D. HIERONYMI
MERCVRIALIS FOROLIVIENSIS
PHILOSOPHI, AC MEDICI

SVI SÆCVLI PRÆCLARISSIMI

Olim in Bononiensi Archigymnasio eminentissimi.

IN SECVNDVM LIB. EPID. HIPP.
PRÆLECTIONES BONONIENSES.

OPVS MVLTIPLICI ERVDITIONE DOCTRINA, AC FERE Innumeris problematibus refertum, non solum Medicis omnibus necessarium, verum Philosophis, ac Politiores literas profitentibus iucundum.

Ad Serenissimum Principem

CAROLVM MEDICEM

S. R. E. CARDINALEM AMPLISS.

Indice adiecto rerum, ac verborum ditissimo.



FOROLIVII:

Apud Cimattios. Ad Signum Liuiæ. 1626.

SVPERIORVM PERMISSV.

SERENISSIMO PRINCIPI

CAROLO MEDICES

S. R. E. CARDINALI AMPLISS.

MAXIMILIANVS MERCVRIALIS FOELICITATEM.

HIERONYMI Mercurialis genitoris mei perennis, & singularis erga Serenissimum Medicam gentem fuit obseruantia, & quidem merito, cum inde cumulatissimas honorum, & munificentiæ perciperet vtilitates, quo circa cogitanti mihi hęc eius in Secundum Hippocratis Epidem. edere commentaria, tù Illico, Serenissime Princeps, tutelare tamquā numen occurristi, quippè qui dum in humanis pater ageret, eū tot ac tantis semper officijs ac muneribus exornasti, vt ingenij quoq; eius lucubrationes augustissimo nomini tuo sacratas in doctiorum theatrum prodire sit æquum Patere hoc recens obsequij ac deuotionis specimen in Filio reuiuiscere, vt veluti ex penitiori animi affectu promit, ita Serenissimi Principis benignitate, & gratia perfruatur. Faue humanitate qua pręstas hisce parentis mei conatibus, & si res exigat, etiam authoritate defende.

FIdem facio,& attestor ego Bartholomæus Moratinus Foroliuiensis Philosophiæ & Medicinæ Doctor à per Reuer. Patre Fr. Francisco Hieronymo Orengo de Papia Sacræ Theologiæ Lectore,ac Vicario S. Officij Foroliuij ad reuisionem librorum deputatus,Prælectiones Bononienses Excellentissimi D. Hieronymi Mercurialis in Secundum Epidemiorum Hippocratis manuscriptas à me fuisse diligenter perlectas, nihilq; in eis repertum, quod christianæ fidei, bonisuè moribus & regulis Indicis de impressione Librorum aduersetur; Quinimò affirmo easdem mihi videri dignissimas & iudicari,quæ tùm à Viris doctis præcipueq; Medicis legantur, tùm quæ, vt typis committantur,possint amplam, liberamq; obtinere potestatem. Forol. 5. Kal. Iunij 1626.

Idem qui supra Bartholomeus Moratinus manu propria.

EGo Vincentius Baronus Medicus Philosophusq; Foroliuien. ex ordine admodum Reu. Patris Fr. Francisci Hieron. Orengi de Papia Sacræ Theologiæ Lectoris, & S. Inquisitionis Foroliu. Vicarij hæc Excellentissimi D. Hieron. Mercurialis in Secundum Hippoc. Epidem. Commentaria perlegi,atq; perpendi ; & cum in eis nihil catholicæ fidei,ac moribus dissentaneū deprehenderim, ipsa promulgatione dignissima censeo. Foroliuij die 28. Maij 1626.

Idem Vincentius Baronus fidem facio vt supra d.

Attentis supradictis attestationibus Immprimatur.

Fr. Franciscus Hieroymus Orengus de Papia S. Theologiæ Lector, ac Vicarius Sancti Officij Foroliuij.

HIERONYMI MERCVRIALIS FOROLIVIENSIS.

IN SECVNDVM EPIDEMIORVM HIPPOCRATIS.

PRÆLECTIONES BONONIENSES.

QVICVNQVE magnum aliquod opus sibi interpretandum proponunt, magnum sæpenumerò apparatum præmittere solent. Vnde eum ego hoc Anno, Dei optimi Maximi auxilio, Hippocratis librum secundum Epidemiorum sim vobis interpretaturus; vt ingenia vestra, ad ea, quæ sigillatim dicentur, suscipienda, aptè disponantur, operæ pretium esse existimaui, nonnulla prælibare, quæ non minus iucunditatis, quàm vtilitatis afferrent. Erunt autem ea sex capitibus comprænhensa. Quorum primum, illud erit. Quæ me ratio potissimum impulerit, vt hunc Hippocratis librum exponendum susceperim. Secundum, quæ sit vera ratio inscriptionis: nam minimè existimandum est veteres illos, bonorum omnium autores, temerè sua commentaria, quasi casu quodam inscripsisse. Tertium. inter quas Medicinæ partes hic liber reponi debeat. Quartum, quis sit futurus eius fructus, cum in præsenti hoc negotio, tùm maximè in humanæ vitæ salute, vel potius fœlicitate comparanda. Quintum, quis fuerit ordo, quæue methodus, quibus sapientissimus, ac vetustissimus Hippoc. in tradenda hac doctrina vsus sit. Sextum, & postremum, quæ debeat esse ratio meæ tractationis, tam in suscepto hoc negotio, quàm in quibusdam alijs pro vtilitate vestra explicandis. Aggrediar itaque primum caput: scilicet, quid me commouerit præ cæteris hunc librum vobis interpretari, idq́. breui sermone complectar. Inuenio omnes consueuisse, Scriptores aliquos sequi, tribus quàm maximè de causis: vel propter egregiam eorum authoritatem, vel ob summam doctrinam, vel propter singularem vitæ, & morum integritatem. Ita magnus Philosophus Aristot. dicere solebat opinionem Eudoxi de voluptate, fuisse omnibus posteris acceptam, quia erat suo æuo in magno pretio & existimatione. Si ergò expendamus Hipp. hunc nostrum, supremam sanè illius authoritatem fuisse, palam fiet: quippe qui non modò Regibus, & Populis optatissi. extitit, verùm nullus vnquam è posteris, tàm profanis, quàm sacris fuit, qui eum non eximijs laudibus extulerit. Seneca maximum medicorum, & istius scientiæ conditorem, atque naturæ peritissimum vocat. Plinius principem medicinæ appellat A. Gellius, diuina virum scientia. Et legimus Coos Hippocrati singulis annis parentare solitos. Tam multa verò à viris, in omni scientiarum genere laudatissimis, extant de Hippoc. præconia, vt si omnia hic recensere velim, prius dies me deficeret, quàm oratio. Vnus Arist. tam-

Lib. 10. Ethic. cap. 2. *Suid. & Plu. & Cat. Censo.* *Epist. ad Luc. 95.* *Celsus.* *Pli. li. 7. c. 51.* *Arist. 7. poli. cap. 9.*

tanquam ingratissimus, illum nunquam nominare voluit, præterquam vno in loco: atq.
hoc non ferêdum æquo est animo, cum integras sententias, & paginas ab eo desumpserit.
Fuit ergo authoritas Hippoc. celebratissima. Si verò doctrinam consideremus, nihil ea
facilius, & vtilius reperiri potest. nam cum omnes homines, vt dicebat Aristot. a natura
desiderium habeant addiscendi breuiter, faciliter, & veraciter, doctrina Hippoct. non so-
lum breuissima est, sed facillima, & verissima. breuissima inquam est, quia siue factum sit
proprietate quadam illius ętatis, siue virtute tanti viri, in commentarijs suis nihil otiosum,
Li. de comate. nihil superuacaneum, nihil inutile est. adeo vt Gal. scripserit, vnumquodq. vocabulum
ab eo adnotatum, imò & omnem syllabam, rem semper aliquam significare. Est etiam
facillima, siquidem nihil scribit, quod non sit maximè consentaneum naturæ, atq. rationi:
imò verò cum hanc artem condiderit ex quotidianis experimentis, nihil memoriæ prodi-
tum reliquit, quod non fuerit approbatum ipsis sensibus, & fixum immotumq. maneat. Vt
iure merito dixerim, hanc esse doctrinam iucundissimam, & facillimam. Esse quoq; veram,
tam multis hominum ætatibus confirmatum satis arbitror, atq; in dies singulos abunde
probatum iri. Solus Hipp. fuit, qui tam fallere, quàm falli nesciret, vt Celsi verbis vtar.
Et vsq. adeo inualuit hæc opinio de Hip. apud omnes, vt in prouerbium manarit, quoties-
cunq. aliquid certò affirmatur esse Aphoris. Hipp. quasi quot verba in Hip. reperiuntur, tot
L. 1. colum. 4. verissima sint oracula: & πᾶσαν ἀνθρωπίνην σύνεσι. Hinc Bartolus dicit, standum esse libris Hip.
ver. pro cuius tamquam authenticis. Quid si vitam quoq. eius, & mores consideremus, quis maior ani-
declarat. ff si mi candor Hippoc. reperiri potest? nam vt prodit Celsus, & Plutarch. is fuit qui honestis-
cer. pet. simè quosdam errores suos, ne posteri errarent, confessus est, more magnorum virorum,
Lib. 8. c. 14. & fiduciam magnarum rerum habentium (vt ait Celsus) longe aliter, quam plæriq. hodie
facere solent, qui errores proprios occultare adnittuntur sedulò, ne existimationi suæ iniu-
rij sint, quemadmodum falsò arbitrantur: cum Hippoc. (vt dixi) in eo omnibus honorib.
ab omnibus dignus est habitus, quod in cognitione futurarum capitis, errorem fateri non
erubuerit. Sed quid opus est probitatis eius argumenta vndequaq; quærere, cum Iusiu-
randum ipsius satis superque illam ipsam indicet. Scio non defuisse nonnullos, qui
ausi fuerunt Hippoc. criminari, quod deprædato templo Æsculapij, & tabellis ad medici-
Str. lib. 8. & 14 nam mirum quam facientibus abreptis, iusserit illud incendi, vt Strabo, Varro, Plin. &
Pl. lib. 26. cap. 2. alij memoriæ prodiderunt; sed fabulæ sunt & scelus arbitror tam scelestum facinus opti-
mo viro adscribere. Iam ergò constat vobis ratio, qua Hippocratem præ cæteris interpre-
tandum susceperim. Sed cum varia habeamus Hippocratis opera, iure aliquis quærat,
cur potius librum secundum Epidemiorum explicare in animum induxi meum; cui hoc
responsum sit, quod cum habeatis hìc eruditos, ac peritos Doctores, qui & praxim, &
theoriam optimè interpretaturi sunt, & libros pariter, quos continuò manu terunt, cla-
rissimè explicaturi, putaui nihil iucundius vobis futurum, quàm si aliquem, quem alij
interpretari non solent, meis interpretationibus illustrare studerem. est enim ita natura
humana comparatum, vt res non vulgares libenter animo, atque oratione complecta-
mur. Præterea liber hic (vt videbitis) multa, atque alta præcepta in se continet, adeò vt
rectè Galenus commentaria in eum scripserit: quæ vtinam hac nostra tempestate non
desiderarentur. Vt interea taceam admirabile illud Aphorismorum opus (quod huma-
num captum excedere dixit non malus autor Suidas, quodque si eo vti sciant, omnibus
Doctoribus, omnibus Scribentibus, omnibusque artibus, & actionibus humanis, incre-
dibile adiumentum & ornamentum prętet) ex libris Epidemiorum, & pręsertim ex secun-
do hoc libro, ac sexto esse petitum, atque collectum. quod vt nos probauimus in Censura
Hippocratica, pręter Gal. autoritatem, etiam ipsa lectio satis superque docere vnumquem-
que potest. Adeò vt cum secundum Epidemiorum librum tractamus, ipsos Aphorismos,
ac propterea quoddam præclarum medicinę promptuarium nostris scriptis exornare vi-
deamur. Sed videre iam omnes abundè satis omninò mihi persuadeo, instituti mei
rationem. Sequitur secundum caput, videlicet: quę sit ratio inscriptionis huius operis.
In qua varias sententias inuenio ex varia significatione vocis ἐπιδημία. primum enim

ἐπι

ἐπιδημία peregrinationem significat, quemadmodum illi qui in litteris græcis quotidie versantur, sciunt. Secundum hanc significationem, putarunt quidam, libros ἐπιδημιῶν inscriptos esse: quasi non solum in his habeat suas peregrinationes Hippocr. sed quoque ea quæ obseruauit in ijs ad medicinam cognoscendam, exercendamquè neccessaria. constat enim ex libris προγνωστικῶν & ex lib. de aer. aq. & loc. summum illum virum incredibili cum studio peragrasse totam fere Libyam, Delum, magnamq. Asiæ atq; Europæ partem. Nam verè Hipp. in his libris experimenta, & obseruationes collegit, ex quibus deinceps præcepta, & regulas vniuersales elicere posset. Vt propterea iure dixerit Aristotel. ex pluribus experimentis rerum memorias, atque ipsas artes emanasse. Ratio ergò ab his allata præsentis inscriptionis, vero quidem similis est, sed cum à Gal. fuerit refutata, non mihi in his diutius commorandum arbitror. Est præterea alia etiam significatio huius vocis, qua solent vti plærique scriptores, & præsertim Hippoc. qui ἐπιδήμιον appellant, quicquid erroneum est, & vagum. Nam si uidebitis Hippocratem, hic duo genera pituitæ facit: alterum νεώτατον, idest, recentissimum; alterum ἐπιδήμιον, erroneum Latinè dixeritis. Sed neq. hæc sententia mihi placet, siquidem non est eius instituti de ijs hoc loco agere. Tertio modo accepta reperitur hæc vox, pro certo quodam morborum genere. Sic accipiendi sunt libri Hippocratis, ἐπιδημιῶν: quia in his tractatur de certo quodam morborum genere, quod ἐπιδήμιον vocatur. Et similem librum scripsisse existimo Athenodorum, qui citatur apud Plutarchum. Ceterũ vt penitius introspiciatis veram rationem huius inscriptionis, ea reuocare in memoriam oportet, quæ scripta sunt cum ab Hippocr. nostro viro, & arte, & facundia insigni, tum à Gal. pluribus in locis: scilicet, morbos alios esse, qui σπόραδες græcè dispersi latinè vocati sunt: alios, κοινοὶ, seu communes dicti. σπόραδες, vel σποραδικοὶ appellantur, & præsertim ab Hippocr. illi, qui in diuersis regionibus diuersos homines apprehedunt. sic enim nominat passim huiusmodi morbos: qui sicuti varij, & diuersi sunt: ita quoq; varias, & diuersas causas habeant necesse est: vt nequeant sub vno causarum genere comprehendi. Morbi communes verò, alij sunt communes vni regioni, alij pluribus: ideò tamen communes vocati, quia cum sint unius, aut paucorum generum, corripiunt tamen vno eodemq; tempore varios, ac diuersos homines. Morbi qui vnius generis communes sunt vni regioni, ἐνδήμιοι sunt vocati; a nostris inquilini, patrij. Et de huiusmodi morbis (vt testatur Gal.) clarissimè scripsit Hippocr. in præclarissimo illo libro de aer, aq. & loc. De his etiam locutus est Lucretius, dicens: Athenis grassari podagram: in Ægypto elephantiasim: in Achaia ophthalmiam: Sic etiam intelligendum est incolas maris rubri laborasse dracunculis: Romam hemitriteo, de quibus mentionem faciunt Iulius Pollux, & Agatharchides. Communes autem pluribus regionibus, vel sunt salubres, vel sunt exitiales. salubres appellantur communi nomine ἐπιδήμιοι, vel ἐπιδήμιοι simpliciter: exitiales verò, pestilentes, & pestiferi. Ergo (vt audistis) morbi qui simpliciter ἐπιδήμιοι vocantur, ij sunt, qui communes quidem sunt pluribus regionibus, sed salutares potius, quàm exitiales: qui verò maxima ex parte interimunt, non simpliciter vocati sunt ἐπιδήμιοι, sed pestilentiales, & pestiferi. Ceterum si causas spectemus morborum, cum dispersorum, tum eorum, qui ἐπιδήμιοι & pestiferi; & ἐνδήμιοι, id est, inquilini vocantur, differentes equidem sunt: quia cum σποραδικοὶ (dispersi latine dixerim) habeant diuersa subiecta, & sint diuersorum generum, diuersissimas quoq. causas habere eos, necesse est ἐπιδήμιοι causas quidem communes habent, sed regioni. & hoc est quod docuit Hippocr. quando scribit: eos qui palustres regiones incolunt, tentari morbis lienis; scilicet ob vsum communem aquarum prauarum. Pari pacto gens illa, quę habitat propè mare rubrum, (vt testatus est Plutarchus, & Cęl. Aurelianus) tentatur peculiari quadam ratione morbis illis, qui uocati sunt dracunculi; quorum se ignorasse rationem Gal. scribit. Et mirum mihi hoc esse uidetur, quia scire sanè poterat gentem illam uictitare locustis, unde ἀκριδοφάγοι appellati sunt populi illi. Idem de elephantiasi dicere possumus: quippe quę ęgritudo familiaris fuit Ægypto, propter frequentiorem salsorum usum. Ceterum morbi, ἐπιδήμιοι uocati, siue salutares, siue exitiales fuerint, habent causam com-

1. Metaph.

lib. de Aff. il. inter.

In quest. conuiu. lib. 8. c. 9

1. de morb. ac. cap. 9.

Hip. li. de aer. aq & loc.

6. de loc. aff.

munem: & addo, nullam aliam habere, quàm aerem ipsum. Hæc enim est irrefutabilis sententia, & demonstratio apud omnes: morbus communissimus fit a communissima causa, & communissima causa, nulla alia est, quàm aer, quem omnes omni tempore trahimus. Et hoc loculentissimè nos docuit Gal. Sed hoc in loco duæ nobiles exoriantur dubitationes: vna; utrum verum sit morbos pestiferos, qui communes sunt, a solo aere fieri. Et quod facit dubitationem, est auctoritas Hippocr. & Galeni ille enim testatur apertissimis verbis, morbos pestiferos oriri quoque ex victu, & in lib. Epidemiorum legetis apud Hippocratem in Lemno fuisse quandam morborum constitutionem non aliunde ortam, quam ab esu leguminum. Galen. autem non obscurè etiam docuit: morbos pestiferos quandoque a victu oriri. Quod si verum est; illud quoque necessario sequitur, morbos pestilentiales non a solo aere, sed etiam a cibis fieri. Alia dubitatio est, circa illud quod diximus ante, morbos cōmunes, & pestiferos esse vnius generis, attamē tētare diuersas gentes, quia contrarium videtur colligi posse ex Galeno quando inquit: pestem non significare vnum morbi genus, sed omne morborum genus posse pestem esse. Itaque videtur hæc sententia valde contraria esse ijs; quæ ante diximus. Primæ dubitationi responderi potest; causas pestis duas esse posse, alias immediatas, alias verò mediatas. immediata causa pestis est vnus aer, & fabulæ sunt, vel contagium, vel cibum, vel quippiam aliud posse formaliter, & immediatè facere pestem, quia quilibet victum, & contactum priuatum habet. attamen pestis est communissimus morbus, qui vna, & eadem hora innumeros in vnaquaque regione solet inuadere: vt necessarium esse omninò existimo confugere ad communissimam causam. Verum enimuerò si loquamur de causis mediatis, fateor certè, victum, vestimenta, & alia posse mediatè facere pestem: ita vt alter alterum prius inficiat, maculamque denique pestiferam cœlum ipsum induat, donec aer inquinatus plenè corruat in mortalium necem: quo tempore pestis formaliter est. Igitur meræ nugæ sunt existimare aliud præter aerem posse facere immediatè pestem. Neque aliquem inuenire vnquam potui, ex scriptoribus antiquis, & probātis, qui huic meæ sententiæ refragari visus sit. Sed hac de re alias disputatum latius. Nunc hæc obiter dicta sufficiant. Ad secundam igitur dubitationem (vt mea iam conuertatur oratio) dico, morbos pestiferos esse vnius generis, vel paucorum, & esse omnium generum: Si loquamur de morbis vno, & eodem tempore grassantibus, reuera huiusmodi morbi sunt vnius, vel paucorum generum. verum si de morbis diuersis temporibus sæuientibus intelligamus, possunt omnes morbi pestiferi esse: & ita intelligendus est Gal. loco citato. Imo uerò si percurratis omnes libros Epidemiorum, uidebitis in tot constitutionibus ab Hippocrate ennarratis, grassata esse ferè omnia genera morborum, sed diuersis temporibus. Igitur ut in unum ueluti fascem colligamus secundum caput libri ἐπιδημιῶν fuerunt ita inscripti ab Hippocr. quia tractatum est ab eo in his tam de morbis, ἐπιδημιῶν salubribus; quàm pestiferis. Et hæc fuit causa, cur Hippocrat. qui versatus erat inter plures pestes, non scripserit peculiariter de pestiferis, vt optimè docuit Galenus. Sed video dicturum esse aliquem, minimè esse veram hanc librorum ἐπιδημιῶν inscriptionem, eo quod in libro secundo; quem iam præ manibus habeo, & libro sexto neque historiæ recitantur, neque pestiferi morbi: sed mera dogmata, pura præcepta ad artem medicam faciendam accommodata. Pro qua obiectione dissoluenda, scire debitis septem Epidemiorum libros ex tribus ordinibus fuisse conflatos: aliqui enim sunt merè spurij, & ab Hippocratis commentarijs germanis stilo, atque doctrina valde remoti, vtiles tamen, & digni; qui legantur, quemadmodum liber quintus, & septimus. quæ plenius videre potestis in Censura nostra Hippocratica. Alij sunt libri genuini: & inter hos, alij sunt facti ab ipso Hippocrate, vt edi possent in lucem, sicuti est primus, & tertius liber Epidemiorum: quos Galenus pluribus in locis germanissimos scribit. Alij autem compositi quidem erant ab ipso Hippoc. sed non vt ederentur, verum, vt essent potius sibi, veluti thesauri quidam, ex quibus tanquam promptuarijs colligere posset & componere alios libros. Nam (vt scriptum est a diuino Platone) pueri & iuuenes eum habeant paucissimas in animo imagines, facile recordan-

Hip li. de flat. & 1. de nat. hum.
In prin. 2. Ep.
Lib. de flatib. initio & de cibis bo & mal. succi.
3. in 3. Epid. com. 19.
3. Epid.
De vic. com 1 tex. 9.
init. l. de diff. resp.

cordantur eorum, quæ didicerunt. Senes vero cum ob temporis diuturnitatem innumeras in animo imagines gerant, fieri non potest, ut quæ in senectute addiscunt, in memoria similiter hæreant: & propterea opus habent thesauris & promptuarijs memoriæ. Quod cum cognouisset Hippocrat. fecit sibi promptuarium, vt librum secundum, & sextum epidemiorum. Vnde apud Galenum legimus, Hippocratem iam senem factum, collegisse *In Prognost.* ex suis promptuarijs, libros Aphorismorum, & prognosticorum, atque eos in lucem edidisse. Quartus liber Epidem. indifferens est indicatus a Gal. Ea propter etsi liber secundus & sextus differant a primo & tertio, nihilominus merentur etiam ipsi nomen Epidemiorum: tum quia a Thessalo Hippocratis filio reperti cum reliquis fuerunt; tùm quia referti sunt præceptis optimis, ex obseruationibus suis, atque experimentis formatis. Erat tertium caput, in qua partæ medicinæ collocari debeant hi libri Epidemiorum. Omnes qui medicinam primis (quod dicitur) labris gustarunt, facilè intellexerunt diuisam suis se in theoricam & practicam. Id quod tametsi non videatur fecisse Galenus fecerunt tamen Arabes, & præsertim Arabum princeps Auicenas: imò vero antiquissima fuit hæc diuisio: nam vt habetur apud Plutarchum, suis etiam temporibus videtur medicina in theo- *Lib. de Homero.* ricam, & practicam diuisa, atque theorica in αἰτιολογικὴν, & σημειωτικὴν: practica in χειρουργικὴν, διαιτητικὴν, & φαρμακευτικὴν. vbi ex Homero probat idem Plutarchus medicinã ab eo ipso Homero definitam esse scientiam salubrium, insalubrium, & neutrorum, qua diffinitione Ga- *In arte Med.* lenus, & ante ipsum Herophilus vsi sunt Apud Diogenem Laertium inuenimus quinque *In vita Plat.* medicinæ partes a Platone esse putatas, φαρμακευτικὴν, χειρουργικὴν, διαιτητικὴν, νοσογνωμονικὴν, & βοηθητικὴν, vel morborum cognitricem & auxiliatricem, quam etiam curatricem transferre possumus. Quæ omnia placuit mihi uobis proponere, ut intelligatis non esse alienam & aspernendam Arabum diuisionem. Constituta igitur hac diuisione affirmo; imò iurare audeo hos libros esse & theoricos, & practicos, ideoque nunquam e manibus uestris seponendos. Est quidem opus Epidemiorum inter theoricos libros recensendum, quia multa præcepta ad cognitionem rerum, & naturarum, atque causarum pertinentia, continet. Est etiam practicum, quod innumeras Historias, complura experimenta, & non paucas uariarum ægritudinum curationes complectatur: ex quibus omnibus, oculatus Medicus possit sibi integram ferè artem comparare. Igitur satis unicuique patere arbitror quis, & quantus ex lectione huius operis expectari debeat fructus; primum enim Epidemiorum libri maximè utiles sunt ad partem medicinæ theoricam addiscendam: quoniam ad causas morborum tàm externas, quàm internas indagandas, atque hauriendas, ualde auxiliantur: tùm quia in Historijs accuratè recensendis, uix ullum dimittit signum, quod medicum etiam peritissimum aliquid ex usu artis non doceat. Nec ob hoc criminari Hippocratem oportet, quod parcissimus sit, & plærunque pauca signa proponat, quoniam id quidem uerum est: sed si signorum pondus, & uis expendantur diligentissimè, minimè dubitandum esse puto quin adeo prægnantia sint, ut ex uno signo solo attentè ponderato, innumera haud possint ab oculato medico colligi. Non minus quoq; ad partem medicinę practicam hic liber facit; quia non pauca pręcepta continet ad materiem remediorum, chirurgiam, & optimam victus rationem complectendam: quę si diligenter percipiantur, ac usui accommodentur, maximam utilitatem procul dubio afferre poterunt. Neque uerò etiam parum conferunt ad prudentiam atque pręseruandi artem comparandam: quoniam quicunque historias ab Hippocrate in his libris relatas, quęque tam ante morbos, & in morbis ipsis, quàm post eos contigerunt, attente considarauerit, non parum ad noxia cauenda, & utilia amplectanda, prudentior fiet. Vt ob hęc omnia ad uniuersam artem instituendam, nec non ad bene sapienterq. uiuendum lectio librorum Epidemiorum admodum utilis sit. Et ut habeatis exemplum, quę est ars cui non inseruiat illud diuini senis oraculum? μηδὲν εἰκῆ, μηδὲν ὑπερορᾶν hoc enim adeo uniuersale est, vt nulla non ars huic disciplinæ & oraculo innitatur. Et possem plurima proponere ex Aphorismis Hippocratis, & alijs suis operibus, quibus cum cæteri, tum etiam Theologi utuntur ad contemplationem, & rerum usum, sed quia a uo-

bis

bis colligi posse ea omnia, plane mihi persuadeo; neq. instituti mei ratio postulat me in hoc altissimo pelago longiore oratione deuolui; ad illud quod quinto loco propositum fuit, meum nunc sermonem conuertam; scilicet, quo sermone, & quo ordine Hippocr. fuerit vsus in tota hac Epidemiorum doctrina. Et quod ad sermonem illius attinet, Ælian. scriptor non contemnendus probat Hippocrat. impulsum fuisse a Democrito præceptore suo, vt scriberet lingua Ionica, cum tamen Doricus esset. Sed etsi Hippocrat. plærisq; in libris vsus est dialecto Ionica, attamen in his libris Epidemiorum vere non fuit Ionicus. Quod ad ordinem, & methodum spectat: Veteres, ante Aristol. fere omnes, scripserunt sine ordine, ac methodo. Vnus Aristotel. tulit hanc laudem, vt non solum methodum, ac ordinem in suis scriptis obseruauerit, verum etiam artem ipsam scribendi ordine, ac methodo, posteris æternæ memoriæ præditam reliquerit. Tamque in his libris Epidemiorum, minimè spectandus est ordo, vel methodus, & præsertim in secundo, & sexto libro: si quidem cum essent hi libri veluti promptuaria quædam, in quibus ab Hippocr. notabantur quotidianæ obseruationes, fieri non potuit, vt vnus idemq. seruaretur ordo. Illud certum est, hos libros & præsertim secundum scatere aureis præceptis. Et vt anatomen quandam huius libri habeatis, Gal. eum in sex partes diuisit; quarum vna, tractat constitutionem illam pestilentem Cranonis, eiusque morbos, atque euentus; & in his, plæclara multa scribit de lumbricis, de autumno, & plærisq. alijs. In secunda sectione, pura dogmata, & præcepta artis habentur. In tertia, narrat constitutionem Perinthi. In quarta, præclaram tractationem de venis habet. In quinta, & sexta, tractat artem fere omnem φυσιογνωμονικὴν; id est, signa naturarum, & temperaturarum, queq. ad artem medicā mirè faciunt, plurima alia. Iam quod ad me attinet, quod postremum erat, Ego, quantum potero maximè vtar perspicua, facili, animisq. vestris accomodata oratione: doctrina (ni fallor) certa, & a principiis ipsis medicinæ composita, probatissimisque in ea viris confirmata. Si enim interdum alios citauero, hoc didici a Galeno atq; alijs, quorum volumina quicunq; vestrum diligenter legit, facile animaduertere potest, ornasse eos sua scripta aliorum autoritatibus. Illud habebitis a me, quod nihil citabo non prius a me visum; & non ad rem vestram plurimum faciens. Versabitur verò omne meum studium circa hoc potissimum, vt Hippocr. sententiam aperiam; & quæcunq. opus habebunt contemplatione diligenter examinem: deinde si occurrent dubitationes aliquæ, eas proponere mihi est animus, atq. omnem ex animis vestris scrupulum eximere: postremò ex præsenti oratione præcepta, atq. exempla eliciam, quæ ad rectum artis medicæ vsum docendum, comparandumq. non parum spectabunt. Veniamus iam ad Hippocratem nostrum & illius verba audiamus, qui cum græcè scribat, a me de verbo ad verbum in latinum sermonem transferetur.

l. 4. var. c. 20

SECTIO PRIMA.

Ἄνθρακες ἐν Κρανῶνι οἱ θερινοὶ ὗεν ἐν καύμασιν ὕδατι λάβρῳ. δι' ὅλου ἐγένετο καὶ μᾶλλον νότῳ.

Carbunculi in Cranone æstiui. pluebat in ardoribus aqua larga. per totum fiebat; magis autem flante austro.

IN Libris Epidemiorum complures pestilentes constitutiones recitantur, sed tres præ caeteris celebratissimæ extiterunt: vna in Thaso, altera in Cranone, tertia in Perintho. Vtrum uerò pestis illa insignis relata a Thucidide, & latina reddita a Lucretio, una sit ex his, quę ab Hippoc. describuntur, non defuerunt qui in cōtrouersiam uocare conati sunt: Sed ad intelligentiam Hippocr. atq. ad vsum artis conducit prolixo sermone hoc in loco id inuestigare. Illud quidem certissimum est, constitutionem Cranonis fuisse valde celebratam: de qua sę

pe

pe Gal. verba facit, & præsertim lib. de diff. feb. & de temp. Inter Arabes quoq. huius meminerunt Auenz. & Auerr. Sunt etiam alij plurimi, qui præsentem constitutionem a nobis tractandam referunt. Sententia Hippoc. est in paulo ante citatis verbis, Æstate quadam in Cranone maximè grassatos esse carbunculos; & eo tempore pluuias largissimas contigisse: atq. austrum continenter perflasse. Circa quam sententiam, vt ab instituto ordine non recedam, quatuor contemplatione digna mihi occurrunt. siquidem cum Hippocr. breuitatis studiosissimus non adnotauerit, nisi quæ maximi referebant, æquum est existimare, nullum verbum ab eo incassum esse scriptum. Itaq. primum est, quare Hipp. in inchoanda hac enarratione incœperit a carbunculis. Secundum, cur Hippoc. mentionem fecerit Cranonis, & de illius situ non meminerit. Tertium, qua ratione Hippoc. dumtaxat mentionem faciat pluuiarum in æstate. Quartum & postremum, cur inter alia mentionem fecerit austri. Quod ad primum attinet, scire debetis vbi pestis futura est, semper solere antecedere plurima signa, quæ ab omnibus quidem relata sunt, sed potissimum ab Auicen. Inter alia enumerantur præcipuè carbunculi, & iure, quia vbi pestis iam sæuit apparent carbunculi. Sunt autem carbunculi vlcera crustosa facta ex sanguine combusto, & crasso. Vnde cum Hip. vellet referre morbũ pestillentẽ factũ, accepit carbũculos tãquam propriũ eius characterẽ. Hoc verò ita esse facilè colligere licet ex ijs, quæ docuit Gal. quãdo scribit: sese coniecisse statum pestillentem futurũ, atque etiam præsentem ex copia carbunculorũ, qui non secus atq. in Cranone vagabantur. Hæc igitur fuit vna ex causis, qua cõmotus Hip. inchoauit sermonẽ de carbũculis. Sed (queadmodũ ego existimo) fuit etiam alia ratio: quia inter cætera mala, quæ in constitutionibus pestiferis ægris negotium facessere solent, primum locum obtinent carbunculi, cùm magnitudine, & sæuitia; tum copia. magnitudine, quia nullum maius in peste malum est ipso carbuuculo; prauitate etiam, quia vsq; adeo sæui, & nocentissimi sunt sua putredine, vt Hippocr. quandoq. appellarit carbunculos σῆψιν, idest putredinem per excellentiam: copia quoq. quod nullum symptoma frequentius eueniat ipso carbunculo: vt quandoq. ab eo pestis inguinaria dicta sit. Videtis ergo quanto cum iudicio Hipp. primum annotauerit carbunculos. Aliud contemplatione dignum erat; cur meminerit Cranonis, & non descripserit. Hippoc. lib. de aer. aq. & loc. scribit maximè pertinere ad medicinam rectè faciandam, vt cognoscantur loca, & regiones in quibus habitant ægri, & quæ loca ijs sint proxima, quis situs, quæ aquæ, quis aer. propterea iuxta suum præceptum voluit notare locum, vbi fuit hæc constitutio. Non descripsit autem Hippoc. quia, cum (vt dixi) hęc sibi scriberet, sat erat notare locum, quem ipse optimè nouerat. Et vt intelligatis etiam hęc verba non absq; mysterio fuisse ab Hippoc. proposita; sciendum est apud Stephanum duas olim fuisse vrbes Cranonis nomine vocatas: atque vnam, in Thessalia prope Macedoniam, de qua (quemadmodum mea fert opinio) hic agit Hippoc. Hanc vrbem non fuisse magnam ex eo inducor ad credendum, quod Gal. scribit: minimum vicum Vrbis Romanę, maiorem fuisse qualibet vrbe ab Hippoc. relata. De situ Cranonis, locutus est Gal. quando scribit: in loco concauo, atq. ad meridiem positam fuisse. Iam verò si ea animaduertantur, quę docuit Vitruuius de eligendis locis salubribus; facile intelligi potest, vrbem hanc in pessimo loco collocatã fuisse: quia erat in loco concauo, ad austrum meridiemq. sita. Præterea vrbs hæc illud habebat, quod scribit Plin. scilicet in Cranone fuisse fontem quendam tepidum, cuius aqua vino permixta triduo seruaret teporem. Quæ omnia argumenta clarissimè docent, neque aerem bouum, neq; aquas habuisse bonas. Quamobrem iure factum est, vt in ea pestis maxima contigerit. Tertio considerandum erat, cur Hippoc. dumtaxat mentionem fecerit pluuiæ, & pluiæ æstiuæ. Et circa hoc dubitatio vtilis oritur; siquidem Hippocr. tradens præceptum circa cognitionem status temporum, inquit: debere Medicum diligenter considerare non solum statum præsentem, sed ex qualibus etiam temporibus, in qualia tempora labantur. quasi voluerit non vnum tempus, sed plura tempora, & plures constitutiones esse considerandas. huc accedit, quod ipse quotiescunq; mentionem facit constitutionum temporum, solet ad minimum meminisse veris, & æstatis, interdum addito Autumno, nonnun-

1. de diff. feb. & 1. de temp. cap. 4.

1. de diff. feb. cap. 4.

De Vrbib.

1. de art. c. 7. In li. 1. Epid. com. 1. Lib. 4. cap. 4.

Li. 31. cap. 2.

6. Epid. sec. 6.

nonnunquam plura connumerat: adeò vt non fuerit sæpe contentus vnius dumtaxat meminisse: quemadmodum hoc loco solum constitutionis æstiuę meminit. Vt autem huiusmodi nodum soluere possitis, scire oportet intemperamenta temporum, quæ faciunt ad morbos producendos, aliquando plura esse, interdum vnum: siue sint vnum, siue plura, solent semper proprios gradus habere, ita ut praua, uel pessima sint, si intemperamentum fuerit unicum, & prauum, facit quidem ad producendos morbos, & prauos, sed minimè pestilentes. Si autem intemperamentum fuerit pessimum, facit etiam morbos pestiferos. Si plura intemperamenta, & praua fuerint, faciunt etiam morbos prauos: sed minimè pestiferos. Sed si pessima, pestes etiam. Cæterum si non solum intemperamenta fuerint plura, sed totus etiam annus intemparatus, procul dubiò fit semper pestis, siue ea sint praua, simpliciter, siue pessima. Itaq. cum in Cranone æstas fuerit pessima, quia fuit tota pluuiosa & austrina, nihil mirum, si quoq. morbos pestilentes induxerit. Deinde Hippoc. dumtaxat pluiarum æstiuarum meminit, quia illæ solæ efficacissimæ sunt ad producendos exitialissimos morbos. Et ne putetis hęc me dicere ex ingenio meo, uidete Gal. qui commemorans hanc Cranonis cōstitutionem, & docens uer minimè appellandum esse calidum, & humidum inquit: quod si uer calidum, & humidum esset, pestiferos morbos induceret: quemadmodum in constitutione Cranonis, cum ęstas fuerat calida, & humida, suborti sunt morbi pestiferi. Itaq. iam satis uidere uos arbitror, quam rationabiliter Hippoc. solum commemorauit ęstatem calidam, & humidam. Cur autem meminerit uenti potissimum austrini, ratio satis aperta est, quia cum hic uentus est calidus, & humidus, atq. flaret in regione calida, & humida, ex patientis dispositione, & agentis efficatia factum est, ut pessimi, & pestiferi morbi fuerint nati: nam quàm grauis flatus sit auster, quàm corporibus nostris inimicus, plęrisq. in locis testatus est Hippoc. & pręsertim in lib. Aphorism. quem deinceps secutus est Arist. Atq. si pestes omnes, quę ab ipsa creatione mundi fuerunt, expendamus, uidebitur fere nulla extitisse, quę non duxerit originem a uento aliquo morboso: quemadmodum de celebratiss. illa peste legimus uento austrino inquinamenta ab Æthiopia in Gręciam fuisse transportata. Summo iure igitur uentum austrinum authorem pestis adiunxit. Sed parum utilis est speculatio nisi id, quod contemplatur dum proponitur ad usum artis trahatur. Quare operę pretium me facturum puto, si documenta ea, quę ex uerbis Hipp. elici possunt, in medium proponam. Primum est Medicum debere diligentissimè animaduertere omnes temporum constitutiones, in arte medica exercenda, tam preteritas, & pręsentes, quàm futuras. Et hoc est, quod dicebat Hippoc. debere Medicum considerare qualia tempora ex qualibus fiant, vt statim ante dixi. nam etsi omnes morbi omnibus temporibus fieri possunt, aliqui tamen magis hoc, quam illo tempore fiant. Alterum documentum, quod ad medicinam faciendam, ex verbis Hipp. elicitur est morbos pestiferos originem ducere a calido, & humido, & propterea omne studium eò esse conferendum, vt caliditas, & humiditas compescantur. Hoc autem fieri non potest, nisi diligenter causis internis, & externis occurratur. Inter causas internas, quibus obnixe obsistere debet Medicus in morbis pestiferis, nullæ aliæ sunt, quàm corporis apparatus, nam, vt Hipp. Gal. cæteriq. omnes scribunt, non quæuis corpora capiuntur a febribus pestiferis in similib. constitutionibus, sed dumtaxat ea, quæ magis apta sunt ad suscipiendam pestilentem labem: hæc autem sunt κακοχυμα, idest prauis humoribus referta. Quod cum vidisset Gal. gloriatur se præseruasse innumeros a peste, cum expurgatione prauorum humorum. tum etiam Auicen. scribit summam curationis febrium pestiferarum esse exiccationem: atq. exiccationem fieri purgatione prauorum humorum, & sanguinis missione. Sic itaq. causæ internæ sunt debellandæ. Sed pugnandum quoq. est aduersus causas externas. inter quas cum aer sit prima, & vera, aduersus aerem maximè certandum est. Ideò etiam Hippoc. in maxima illa peste Græciæ (vt apud Gal. legimus) iussit per totam ciuitatem accendi ignes floribus, coronamentisq. odoratissimis flagrantes, vnguentisquè suaueolentiam spirantibus perfusos, vt ita inquinamenta aeris tollerentur, & syncerior, purior, salubriorq. in vsum humanum cederet. Quę res ita sibi successit prospere, vt pro hac liberatione

[Margin notes: 1. de tem. c. 4. — 3. Aphor. 5 — 1. sect. probl. — 6. Epid. — Hip 3. Aph. 15. — Lib de flat. — 1. de diff feb. cap. 4. — Auic. l. 4. tract. 4. c. 4 — Galli de theriac. ad Piso. cap. 16.]

ratione a peste fuerint illi tanquam Deo aræ erectæ. Sed forsan hoc salutare consiliũ ex sese non dedit, quia ante ipsum idem factitasse Acron. Agrigent. testantur Plutar. Aet. & Paul. *In lib. de Isid. & Osir. Tetrab. 2. c. 94. Lib. 2. c. 35.* Tertium documentũ quod ex Hipp. verbis elicitur est, debere prudentem Medicum in medicina exercenda, ventorũ quoq. magnam rationem habere. siquidem cum hi maxima ex parte morbos ex vna Regione in aliã transferant, Medicus, qui curaturus est morbos præsentes & futuros, debet omnib. virib. aeris iniurias pestilentes arcere, & emaculare. Sic relatum a Plut. & Laertio in vita Empedoclis, hunc a peste præseruasse Agrigen. agrum obstructis meatib. montiũ, e quib. aura pestifera afflabat. Ita quoq. narrat Varro, se liberasse Corcyram a peste, obseratis fenestris, quæ admittebant austrum. Videtis ergo quàm alta præcepta, quã paucissimis verbis nos doceat Hipp. quem iterum loquentem audite attenti.

Καὶ ὑπεγίνοντο μὲν ἐν τῷ δέρματι ἰχῶρες. ἐγκαταλαμβανόμενοι δὲ ἐθερμαίνοντο, καὶ κνησμὸν ἐνεποίεον. εἶτα φλυκτανίδες, ὥσπερ πυρίκαυστοι διανίσταντο· καὶ ὑπὸ τὸ δέρμα ἐκαίεσθαι ἐδόκεον.

Innascebantur in cute. Cum autem erant conclusæ calescebant, & faciebant pruritum. Deinde bullæ similes vstis erumpebant, & sub cute vri videbantur.

Prosequitur Hippoc. hanc constitutionem enarrare, easq. ægritudines, quæ comitabantur illam. Sententia autem horũ verborũ est, collectos fuisse ichores copiosissimos, qui cum sub cute retinerẽtur, Incalescebant, dein putrescebant: putrefacti, acrimoniã acquirebant: acrimonia nõ solum pruritus inducebantur, verũ etiã varia vlcera suboriebantur φλυκτάιναι, hoc est pustulæ similes illis ambustis, quæ fiunt ab igne. Et qđ perpetuũ ferè erat vsq. adeo feri erant huiusmodi ichores, vt corpora velut deuri videbantur. Circa quã sententiã tria primum considerare oportet, primum; cur Hipp. ichores dixerit, & non meminerit humorum; deinde, cur potius in plurali, quàm singulari. Secundo querendum est, quare ichores in hac cœli inclementia generarentur. Postremò, quæ mala inducerent, & quo pacto. Iam vero vt a primo incipiã, quid sit ichor alias copiosissimè in varijs meis lectionib. explicatũ est, & propterea sufficiet nunc vt intelligatis, ichorẽ nihil aliud esse, quàm partem crudiorẽ & tenuiorem sanguinis, & cuiuscunq. humoris. Ita vt, quot sunt humores in corporib. nostris: tot quoq. in fabrica ipsorũ humorũ generentur ichores. propterea sanguis proprium ichorem habet, pituita, bilis, & melancolia. Et ne decipiamini, scire oportet, aliud esse ichorem humoris, aliud serũ, scilicet quod modò per vrinã, modò per sudorem excernitur. nam ichor est pars crudior & tenuior ipsius humoris. Serũ autẽ est pars separata ab humorib. vt apparet ex excrementis ipsis. Cum itaq. in hac cõstitutione ichores oĩum humorũ dominarentur, non autem unus, uel alter, iure dixit Hipp. ichores, non autẽ ichorem. Ceterum humorũ non meminit propter duas causas, quantũ ego puto: vna fuit, quia ichor cum sit pars minima humorum, si hic copiosus fuerit, rationi consentaneũ est, humores quoq. fuisse copiosos; alia causa fuit, quia ex notatis ipsis uitijs, multò euidentius apparet de humorib. loqui quã ichorib. Alterum consideratione dignum erat, qua ratione in hac constit. dominati sint ichores. puto ego duabus de causis id accidisse; una fuit, quia æstas erat, quo tempore solent plærumq. oẽs uesci fructib. unde ex esu fructuũ incredibilis copia crudorũ succorũ colligi solet. id quod Gal. abunde docuit quando sermonẽ habens de fructib. & præsertim cucurbitis dicit: abstinẽdum ab ijs esse, quia paulatim prauus succus accumulatur. alia causa est, quia tunc austri spirabant. nam Arist. quærens rationem, propter quã austri aggrauant corpora nostra, ait esse, propterea quod a tepore huius uenti, humores qui in uniuerso corpore cõcreti manent dissoluũtur, & dissoluti fundũtur ꝑ corpus, & articulos: unde corpora graui fiunt. Itaq. ab austris irritabãtur humores, & in cutim effusi ibi colligebantur. *2. de alim. c. de cucumerib.* Tertiũ cõsideratione dignũ erat, quo pacto fierent ab ichorib. phlyctenæ, carbunculi, incẽdia. Vt hoc intelligatis scire oportet, in hac cõstit. humores & ipsos ichores incendiũ & putredinẽ accepisse. Vbi putrescunt humores, cũ hoc fiat a calore putredinali cõsequenter fit vt partes inter sese separẽtur. ꝓpterea in huiusmodi separatione humoris crassioris accidit, vt sãguis cõbustus, putrefactus, in aliquã partẽ depositus, carbones faciat. partes tenuiores, vel expirant a cute insẽsibiliter, uel retinẽtur in cute. Vbi retinẽtur, si acres fuerint, & salsæ,

pruritũ faciunt. si ꝓpter arredinẽ, & mordacitatẽ. putridi sint, & feruidi faciunt φλυκταίνας. Si neq. acres, & mordaces, neq. cõbusti, & putridi fuerint, sed solum pingues & parui, varia genera macularum inducunt. adeò vt ichor sãguineus maculas rubentes faciat: pituitosus albas: melãcholicus modo liuidas, modo nigras: biliosus pallidas. Itaq. iã satis uidere potestis, qua ratione ichores in cõstitutionib. huisumodi pestiferis tot mala inducant. Quãdoq. uerò etiã inducunt incendiũ, siquidem cum ꝑpetuò in febre putrida sit incendium ingens, ut sæpe scriptum ab Hipp. legimus, fieri nequaquã potest, quin fiat in ingenti putredine tãtum incendium, vt corpora ægrorum flagrare videantur. Atq. hoc testantur Thucyd. & Lucret. qui dum describerent intollerabilem illam Atheniensium pestem dixerunt: in ea constitutione corpora ita flagrasse, vt miseri ægri sese in flumina præcipitarent. Sed video vos hoc in loco dubitaturos, vtrum uerum sit, febres pestiferas vsque adeo æstuosas esse. Et quod facit dubitationem est, quia Gal. dicit: febres pestiferas admodum blandas esse: imò verò solent interdum appellare tepidas. id quod etiam ex eodem Gal. videtur colligi posse in lib. de præsag. ex pulsib. Igitur si verum est febrem pestiferam esse cum calore blando, minimè verum esse potest, quod vsq. adeò æstu, & incendio flagrent illi, qui febre pestilentiali laborant. Responderi potest, calorem febrilem posse considerari dupliciter, vel prout in visceribus ipsis latet, vel prout expansus est, & fusus per vniuersum corpus: si primo modo consideretur, plane calor febrium pestiferarum semper magnus est, eo quia illa corpora ægrotantium semper ardent ob insignem putredinem: sed si consideretur calor, vt per omnem corporis habitum fuerit propagatus, certe sæpenumero in huiusmodi febribus, ita videntur extrema frigida, vt nullum caloris febrilis appareat signum. Sed quæ est ratio dicetis, quod extrema frigida sint in tanto incendio viscerum? duplex est ratio, quantum ego puto, vna, quoniam in summa putredine semper pingues partes consumuntur. vnde mirum non est, quàm citissime corpora ab his febribus contabescere, & consumi. Igitur dissolutis partibus pinguib. vapores mittuntur in cutim; qui succi si sunt tenuiores, dissipantur in halitum insensibiliter. si autem in cute retineantur, sicut substantiam pinguẽ, & leuem habent: sic potius teporem quendam quã calorem inducunt. Alia ratio est, quia in febrib. pestiferis, vsq. adeo prauus, & venenatus est calor putridus, vt ferè calor naturalis extinguatur: quod tametsi nõ ita euidenter efficiatur in partibus internis, vbi focus putredinis latitat; tamen multo magis iugulatur, & extinguitur in externis partib. vt cum partes extremæ sint penè desertę a calore natiuo, hinc fit, vt tæpidæ potius appareant. Documenta ad artẽ pertinẽtia duo sunt: quorum alterum est, quod cum in febrib. pestilentib. omnes humores, & ichores sint cõtaminati, opus est statim euacuare huiusmodi corpora. Propterea male mea sententia est factum, in his febrib. purgandi occasionem non statim arripere. cum ipse Gal. narret se hoc fecisse, antequam febres etiam inuaderent pestiferæ. Atq. hoc etiam præ cæteris monuit diligenter Auic. dicens: summam curationis in his febribus esse exiccationem, hanc verò fieri purgatione, & sanguinis missione; purgatione, si ichores & humores praui, & putridi copiosiores fuerint: sanguinis missione, si sanguis corruptus. Aliud documentum est, in febrib. pestiferis semper opus esse refrigeratione. id quod loco citato clarissimè monuit Auic. Neq. enim debent Medici ea de causa a refrigeratione abstinere, quod non apparent signa externa caliditatis exuberantis in corpore: quia (vt nuper dixi) etiamsi caro extrinsecus non admodum flagrare videatur, est tamen intestinus æstus maximus. Vt propterea maximã vim in ægro refrigerando posuerit Auic. etiamsi calor (vt ante dictum est) nõ est insignis in partib. externis, attractus tamen aer frigidus tùm per arterias, tũ per nares & os, maximã vim habet refrigerandi, & temperandi calorem febrilem.

lib 9. de simpl. med fac cap. de terra samia: 3. de præs. ex pul. cap. 4.

1. quarti trac. 4. cap. 4.

Ἐν καύμασιν ἀνόδρίης, οἱ πορετοὶ ἀνυδρῶτες τὰ πλεῖςα. ἐν τυτέοισιν δὲ ἢν ἐπιψεκάσῃ, ἱδρωτικώτεροι γίνονται κατ᾽ ἀρχάς. αὗται δυσκριτότερα μένει, ἢ ἄλλως. ἀτὰρ ἧσσον, εἰ μὴ εἴη διὰ ταῦτα, ἀλλὰ διὰ τῆς νόσου τὸν τρόπον.

In æstibus sine imbre, febres absq. sudore vt plurimum. In his autem si leuis pluuia fiat, copiosiores fiunt sudores ab initio. Hæc difficiliora indicatu manent, quam aliter; tamen minus, si non essent propter hæc, sed propter morbi modum.

Dixi

Dixi si meinorla tenetis,& secundum librum, & sextum Epidemiorum compositum esse ex varijs dogmatibus,quæ plerumq. neque ordinem, neq. cohaerentiam habent: veluti etiam maxima ex parte sunt Aphor. Itaq. hęc oratio atq. doctrina,vna est ex ijs,quę cum præcedentibus non connectuntur: cuius summa est. In æstibus sine pluuijs, fieri febres absq. fudore. Sin autem leuiter pluat, fieri febres cum sudore initio. atq. hac difficiliora esse iudicatu. minus tamen difficilia esse iudicatu,si non propter pluuiã, aut aeris humiditatem,sed propter morbi modum eueniant. Cuius sententiæ vt summa misteria aliqui possitis, hęc polliceor me vobis declaraturũ, quomodo in æstibus sine pluuia fiant febres: quomodo fiant sine sudore. & quomodo cum sudore, si pluat. qua ratione febres initio,cũ sudore fiunt difficiles iudicatu: & quo pacto sint minus difficiles si sudores non fiant ob pluuiam,sed ob morbi modum. Sic enim neminem ignoraturum arbitror,quam diuina(vt sic dicam) præcepta paucissimis verbis nobis reliquerit θαυμασιώτατος (cum Gal. loquar) idest, admirãdus admodum Hipp. Arist.quærens rationem,cur flante austro sine pluuia fiant febres, inquit:quia austri cum suapte natura calidi & humidi sint, caliditatem & humiditatẽ ingenerant: vnde postea oriuntur febres. Quod si(inquit Arist.)pluuia accedat refrigeratis corporibus, non fiunt febres. Hic duplex peccatum ab Arist. commissum esse videtur. primum est,quod scribit essentiam febris in calido & humido esse positam, cum tamen omnes Medici sciant, febrem esse affectum calidum & siccum. Aliud autem est, quod scribit accedente pluuia fieri aerem frigidiorem,& febres minus regnare:cum tamen Hipp.clarissime dicat constitutionem siccã in vniuersũ humida esse salubriorem. Sed ne indefensũ dimittamus summũ Philos. respondere possumus pro tanto viro, eum illo in loco locutũ esse secũdũ mentem,& sensum antiquorũ,& præsertim Ath.nam(vt habemus apud Gal.) veteres pleriq. existimarunt, solas putridas febres esse febres re uera. Et videtur hæc sententia originem habuisse ab eo,quod scripsit Hipp.omnes morbos esse vlcera. Igitur cum febres putridæ positæ sint in calido & humido, optimè Arist. secundũ hanc opinionẽ dixit: essentiam febris esse collocatam in calido,& humido. Possumus etiam tueri Arist. circa pluuiã, quod pluuia in æstate si fuerit ingens, certe pernitiosa est, & facit febres prauas. Si autem pluia exigua fuerit,refrigerato aere ita attemperantur corpora, vt nõ adeo facile febriant. Igitur in æstate iure fiunt febres,& præsertim quando est sicca:quia cum secundum Medicos,febris est intẽperies calida,& sicca,iure a simili tempore, & constitutione producitur. Sequitur vt videamus qua ratione in æstate calida & sicca sine pluuia, fiant febres sine sudore. Quod,vt facile comprehendere possitis, scire debetis, duas fuisse de sudoris generatione celebratissimas opiniones,vt colligi potest ex Theoph. prima sententia fuit Hip. quã etiam secuti sunt omnes Medici πνευματικοί appellati a Gal. qui existimarunt omnium rerũ originem esse flatũ, siue spiritũ; nam Hipp. & Pneumatici, putarunt sudorem fieri in corporib. nostris eo modo, quo fit aqua adhærens parietib. in balneis. sicut enim vapores eleuati, & adherentes parietib. eorũ frigore condensantur in aquã: sic dicebant isti,in corporib. nostris excitari vapores,qui deinceps cuti adherentes frigore aeris condensantur, & in sudorem vertuntur. Hanc sententiam inter vetustissimos secutus est Heracl. & inter posteriores Asclepiades. Alia opinio fuit eorum, qui existimarunt sudorem esse humorẽ attenuatum,& vi expultricis facultatis in cutim propulsum. Arist. videtur in Prob. existimasse vtroq. modo fieri suporem,cuius etiã sententiæ fuit Theophr. Igitur cum hęc sit sudorum generatio, quinq. ob causas solent corpora carere sudorib. vel quia nec humor, nec vapor in corpore reperitur idoneus ad sudorẽ, vel quia, etiamsi reperitur facultas tamẽ expultrix adeo infirma est, vt nequeat hãc materiã ad cutĩ propellere, siue quia, etiãsi facultas expultrix robusta est, materia tamẽ adeo sit crassa, vt nõ possit a natura ꝓtridi ad cutẽ. vel quia, si vtraq. idonea fuerint, attamẽ cutis vsq. adeo densa sit, vt nõ possit admittere humorẽ, aut vaporẽ veluti cũctis alijs accõmodatis. materia sudoris, a calore sũmo cõsumi potest prius, quã in sudorẽ vertatur; ob defectũ materiæ nõ sudant corpora sicca, & ieiuna. ob defectũ, & imbecillitatẽ facultatis expultr. nõ sudant illi, qui ꝓpe mortem sunt, & qui virib. ualde sunt debilib. tũ pueri quoq. deinde fœmine, ob cutẽ densiorẽ. Non sudant uerò ꝓpter aerẽ

1. sec. prob. 23

3. Aph. 15.

1. de diff. feb.

In li. de sudoribus.

Lib. de flatib.

2. sec. probl.

illi qui ſub plagis viuunt calidioribus, vt Æthiopes. imò verò hac etiam ratione (vt Ariſtot. etiam teſtatur) non ſudant illi, qui diu ſub ſole ambulant: quiq. ad ignem ſe nudos exponunt flammis: quia prius materia conſumitur, quàm in ſudorem verti poſſit. Igitur quotieſcunque corpora ſub æſtibus magnis febricitant, iure fit, vt minimè ſudent, quia non ſolum inteſtino feruore conſumuntur humores, & vapores, ſed etiam externo aeris incendio. Ergo rectè dixit Hippoc. ſi in æſtibus non pluat, fieri febres ſine ſudore. Iam verò ſi pluat fiunt cum ſudore initio, inquit Hippoc. quas febres video antiquitus vocatas eſſe ἱλώδεις, & τυφώδεις. Cur autem fiant febres accedente pluuia æſtiuis temporibus cum ſudore, facile

1. Aphor 6. Aduerus Lycum.

intelligi poteſt ex Hippoc. atq. Gal. Hippoc. enim ſcribit; ſi æſtas fuerit ſimilis veri, febres cum ſudore expectare oportet. cuius rei reddens rationem diligentiſſimus Galen. inquit: tunc ſimilem eſſe æſtatem veri, quando calida eſt, & humida. fit autem calida, & humida, propter pluuias. Cur autem caliditas & humiditas aeris, faciunt febres cum ſudore? quia euocant humores ex penetralibus corporis ad cutem, qui deinde conuertuntur in ſudores. Sed qua ratione febres, in quarum principio ſudores fiunt, ſunt difficiles iudicatu? Vt hoc intelligatis, ſciendum eſt hanc vocem δύσκριτον, hoc eſt difficile iudicatu, quantum ego animaduertere potui tria ſignificare apud Hippoc. vel enim morbum ſignificat, qui male iudicatur, vel qui longo tempore; vel qui ægrè cognoſcitur ſitnè bonus eius futurus exitus, vel malus. Præterea ſcire debetis, excretiones omnes quæ fiunt in morbis, eſſe duorum generum: alias ſympromaticas, alias criticas. Symptomaticæ excretiones ſunt quæ fiunt ſine coctione, cum violentia, & in diebus non criticis. Excretiones autem criticæ e conuerſo ſunt, quæ fiunt in die critica, cum ſignis coctionis & ſine violentia. Iam vero ſudores qui fiunt in initio febrium, qualeſcunq. ſunt, fiunt cum violentia, ſine coctione, & extra diem criticum, & debitum tempus. Atq. hoc eſt quod dicit Hippoc. ſequentibus verbis. Ea quæ iudicantur rectè nunquam debere apparere initio: ſiquidem in principio morbi materia copioſa eſt, viæ clauſæ, & natura nondum cœpit pugnare aduerſus cauſam morbificam. Et propterea ſudores in febribum initio apparentes cum ſunt excretiones ſymptomaticæ, violentæ & præter naturā, iure ſunt difficiles iudicatu: vel indicant mortem futuram, ſiue morbum longum, aut euentum incertum. Et quamquam huiuſmodi ſudores ſint ſemper difficiles iudicatu in initijs febrium, tamen (inquit Hippoc.) minus

1. de diff feb. initio. 6. Epem. 1. tex. 29.

difficiles ſunt, ſi fiant ob morbi modū. Sed quis eſt hic modus morbi? Gal. inter differentias febrium, quæ multæ proponuntur ab Hippoc. connumerat quoque eam quæ petitur ex modo motus ipſius febris. modus autem nihil aliud eſt, quàm typus, & figura febris, vt tertiana, quartana, quotidiana. Si ergo propter hanc proprietatem, figuram, & typum febris, fiunt ſudores in principio, ſunt minus difficiles: quia quotieſcunq. accidentia quæ eueniunt in febrib. vel alijs morbis, ſunt propria illi febri, vel morbo, non admodum metuenda ſunt: ſed formidare oportet ea ſymptomata, quæ ſunt diſſentanea naturæ ipſius morbi. ſiquidem, vt legimus apud Gal. accidentia ſuperuementia ipſis febribus, ſi diſſentanea ipſorum naturæ fuerint, pariunt febres malignas. Summa ergo ratione dicit Hipp. ſudores in febrium initijs ſecundum modum morbi, minus mali portendere. Ex quibus omnibus eligatis inſigne documentum, & præſagium, omnes excretiones, & præſertim eas quæ per ſudores fiunt in initio, nunquam eſſe ſimpliciter bonas: quia etſi aliæ alijs videantur meliores, ſunt tamen ſemper difficiles, quia ſignificant morbū poſſe euadere malignū, vel lethalem, vel ſaltem ſolutu difficilem futurum.

Οἱ καῦσοι ἐν τῇσι θερινῇσι μᾶλλον γίνονται, καὶ ἐν τῇσιν ἄλλῃσιν ὥρῃσιν. ἐπιξηραίνονται δὲ μᾶλλον θέρεος.

Febres ardentes in æſtibus magis fiunt, & in alijs temporibus. Siccantur autem magis æſtate.

Præſentem ſententiam, Aph. quendam eſſe, facile intelligi poteſt. Vtrum autem ſeparata ſit ſententia, an aliquid quod ex antecedentibus colligatur; non ita forſan conſpicuū

fieri

fieri quidem etiam alijs temporibus, sed excitari magis æstate. febres ardentes quæ sint, est. Verumtamen, quodcunq. fit, sententia Hip. est, febres ardentes fieri magis æstate: minimè latere vos arbitror, siquidem ex humoribus putrescentibus circa cor originem ducunt. quarum proprius character est sitis insatiabilis, & ingens incendium. Sed vt mysteria sapientissimi senis melius intelligatis, scribit Hip. omni tēpore fieri omne morborū genus, sed aliud genus fieri magis in vno, aliud in alio. Cur omni tēpore fiant omnes morbi, nulla alia est ratio, nisi quàm affert Hip. cum dicit, promptitudinem corporis humani ad suscipiendas morbos, non aliunde proficisci, quam ex temperamentis quatuor qualitatum: ita vt prout corpus varijs modis temperatum esse potest, sic diuersis morborum generibus omni tempore subijciatur. Cur autem hoc, quàm alio tempore hoc, vel illud genus morbi potius fiat, non nisi a vi, & proprietate aeris, & Cœli proficiscitur. Hoc proposuit nobis Hippoc. quando scribit. siderum Occasus, & Ortus varios efficere, vt annus salubris, & morbosus sit. Et propterea errauit Picus Mirandolanus, & alij, qui æstimarunt ad medicum nihil penitus pertinere cognitionem siderum: nam si (quemadmodum testatur Hip.) a sideribus aer vsq. adeò alteratur, quis negare potest a Medicis considerari debere Occasus, & Ortus siderum? Itaq. cum varia morborum genera varijs temporibus fiant, iure dixit Hippoc. æstate fieri magis febres ardentes, etsi fieri possunt omni tempore. Sed hic nobilissima oritur dubitatio, vtrum verum sit æstate fieri magis febres ardentes. Ex vna parte est præsens Hippoc. auctoritas, & in lib. de vict. rat. morb. acut. alijsq. in locis, vbi tradens rationem generationis febrium ardentium, scribit: febres ardentes ex eo potissimum oriri, quod uenæ æstate inanitæ, attrahant bilem: quę attracta cum ferueat, ardentes febres inducit. Adeò vt iam satis compertum esse arbitror, febres ardentes fieri magis æstate. Sed contra hanc sententiam est Arist. autoritas, qui scribit: febres ardētes fieri magis hyeme quàm æstate. Ratio quæ impulit Arist. vt aduersus Hip. sentiret, est, quia hyeme corpora nostra, ob aeris ambientis frigus, intus magis flagrant. Propterea, vbi febres ardentes hyeme fiunt, videntur iure esse debere multò ardentiores, ideoq. magis fieri hybernis temporibus, quàm æstate. Pro solutione huius difficultatis duplex responsio afferri potest: vna est, febres ardentes magis fieri vno, vel alio tempore, duobus modis intelligi posse: vel enim intelligi potest, huiusmodi febres frequentius, & facilius fieri; vel intelligi potest de febribus, quæ sunt magis, uel minus ardentes. Si primo modo loquamur, verissima est Hip. sententia, quod æstate, & facilius, & frequentius fiant febres ardentes, ob ante iam dictam rationem. Cæterum si secundo modo loquamur, vera quoq. est Arist. sententia: siquidem febres ardentes, quæ fiunt hyeme, & si rariores accidant, sunt tamen multo ardentiores, quàm illæ quæ fiunt ęstate. eo quod calor hyeme coactus in penetralib. corporis, multo maior euadit, quàm æstate, quando corpora sunt magis aperta, & propterea calor magis expirat. Aliter etiam responderi potest, scilicet febrem ardentem dupliciter considerari posse, vel secundum alteram dumtaxat qualitatem, videlicet calorem: vel secundum vtrāque, calorem, inquam, & siccitatem. Si ergò dumtaxat consideremus febres ardentes secundum calorem, certe febres ardentes maiores sunt hyeme, quàm ęstate. Sed si secundū calorem atq. siccitatem eas ęstimemus, multò maiores ęstate sunt. Et hoc est, quod voluit nos docere Hippoc. hoc in loco, quando scribit: fieri febres ardentes magis ęstate, & tunc exiccare vehementius. Sed hic alius nodus soluendus est; vtrum uerum sit, corpora humana æstate magis esse sicca quemadmodū videtur affirmare Hip. quia Theophrastus autor pręclarissimus testatur ęstate corpora uiuentium esse humidiora, quàm hyeme. probat autem hoc duobus non vulgaribus argumentis: quorum primum est, quia tempore æstatis plantæ, arboresq. humidiores sunt, atque tunc producunt magis fructus. deinde, æstate homines laborant sæpius alui fluxu, quam vllo alio tempore. Quasi verò hæc non alia ratione eueniant, quàm ob humiditatis largiorem prouentum. Vt interea non prætercam silentio auctoritatem Arist. qui quærens, vtrum debeant magis exerceri, sudareque æstate, quā hyeme homines; inquit ęstate: quando propter vitiatas coctiones scatent humorib. excrementijs: vt hi scilicet consumantur. Huic obiectioni responderi potest, humorem

[Margin notes: 3. Aph. 19. — Lib. de diæt. — Lib. de aër. aq. & loc. — 3. Aphor. — 4. acut. tex. 1. — 1. sec. prob. 19. — Lib. 1. de causs. plant. cap. 25. — 2 sec. prob. 21.]

rem alium esse excrementitium, alium uerò naturalem, humidum naturale minus abundat æstate, & de hoc locutus est Hippoc. humor uerò excrementitius magis exuberat estate, & sic intelligendi sunt Theoph. & Aristot. eo quia cum calor natiuus æstate languidior fit, fit vt oblatum alimentum haud satis conuenienter concoquatur, & consequenter plura excrementa producantur: Sed non satis rei difficultatem tollit hæc responsio, quia Theophrastus loquitur de humido naturali, quia affert exemplum plantarum. præterea non posse plantis accommodari hanc responsionem facilè colligitur ex eo quod Arist. scribit, & Theop. plantas excrementis carere. Itaque hæc diuisio de humido excrementio, & familiari nullius est ponderis. Ad dissoluendum hunc nodum, dicendum puto, idem quod parum ante, excrementitios humores magis exuberare æstate, quàm hyeme. Neq. obstant
2. de part. animalum 3. Arist. & Theoph. quia excrementum apud Philosophos, & Medicos, duplex est, aliud vtile, alterum verò inutile. Inutile excrementum non est quidem in plantis, quia plantæ at-
12. sec problem 13. trahunt alimentum elaboratum, & confectum, hinc fit, vt non fiant excrementa inutilia:
6 de causs. sed minimè carent excremento vtili, cum & semen habent, & fructum, quæ non aliud sunt,
plant. cap. 14. quàm excrementum vtile ipsarum plantarum: quemadmodum semen est excrementum quoq. vtile ipsius animantis. Neq. refert plantas morbis affici: non secus atq. humanum corpus, quia si quibus morbis plantę capiantur, originem habent ab excremento vtili alterato, & corrupto. Sed vt ad Hippoc. redeam, dubitare etiam aliquis posset, quare Hipp. qui nihil vnquam absq. ratione scripserit, prius dicat in æstatibus fieri febres ardentes, & subnectat statim, in æstate: numero singulari videlicet vtens. Audite summum consilium
1. Epid. Viri maximi. Veteres, vt testatur Gal. partiti sunt annum in quatuor partes, in Ver, Æstatem, Autumnum, & Hyemem. Æstatem diuiserunt in duas partes, prima pars erat ab ortu Virgiliarum vsque ad ortum Canis, & appellabatur hæc pars æstatis Θέρος: secunda pars æstatis erat ab ortu Canis vsq. ad ortum Arcturi, & appellabatur Ὀπώρα a Græcis. Igitur vt complecteretur Hippoc. has duas partes, initio dixit æstatibus; siquidem febres ardentes simpliciter loquendo, sunt tàm in Ora æstate propria, quàm in ὀπώρα. Sed febres ardentes maximæ, sunt magis in æstate propria. & propterea cum loqueretur de his Hipp. in fine præsentis orationis iure dixit, in æstate, non æstatibus. Ex quibus omnibus colligere possumus præclarum documentum ad artem medicam faciendam, scilicet æstate debere homines maximè vigilare certareq. aduersus æstum, & siccitatē: tum Medici qui his temporibus ægrorum valetudini, aliorumq. præsunt, adniti, & cōtendere debent, vt ij quantū fieri possit maximè refrigerentur, & humectentur. Et propterea soleo mirari nonnullos, qui plurimum reformidant cibos, & potus refrigerantes, cum valde conferant in æstibus ad sanitatem conseruandam, & recuperandam. Quo etiam nomine non ita damnandum esse puto fructuum vsum, etsi quidam apud Hippoc. ex fructuum acceptione vitam cum morte commutauerit. nam fuit importunus eorum vsus cum copia, tum qualitate, interitus causa. Neq. enim existimandum est, naturam salutis humanæ amantissimam, voluisse nasci fructus eo tempore, alia de causa, quàm vt doceret, vtilissimos esse ad calores summos & siccitatem compescendam: prudenter tamèn, moderate, atque non sine singulari iudicio assumptos.

Φθινοπώρῳ μάλιστα θηριώδεες καὶ ἡ καρδιαλγία. καί τοι καὶ αὐτὴ ἧσσον κακουργέοι ἂν, αὐτῇ τι νοσήματος τοιέζοντος.

Autumno magis ferinæ, & cardialigia. Et si hæc minus maligna sit, ipso morbo tali existente.

Quasi verò velit dicere fieri quidem ęstate febres ardentes, sed in autumno ferinas. Quod tempus sit autumnus, explicatum abundè satis habetis apud Hippoc. Gal. & Plin. qui omnes in eo conueniunt, autumnum incohare ab initio Arcturi, & finire ad occasum Pleiadum, quod quidem tempus est ab initio Septembris, vsque ad 25. diem Nouembris.

In hoc

In hocquidem tempore post oporam, siue fœcundam partem ęstatis, inquit fieri febres ferinas. Sed vt hanc rem quæ vtilissima est intelligatis, sciendum est hanc vocem θηριώδης complura significata habere in tota Hipp. œconomia, vt Erotianus iuquit, & Galen. significat enim animalia quæ in corporibus nostris generantur, siue ascarides sint, siue lumbrici. tum etiam hæc vox significat morbos ferinos, vt elephantiasim, melancholiã, & lepram. significat etiam tabem, quia sicuti feræ habent vngues aduncos, ita illi qui tabe sunt consump ti, solent habere vngues instar ferarum. tandem significat omnes affectus malignos, siue sit vlcus, siue sit quidpiam aliud. Et (vt hoc obiter addam) memini hanc vocem ab Arist. pro ijs, qui coitu humano vtebantur, & carnibus humanis vescebantur vsurpatam. Hipp. autem hoc in loco sub hac voce nõ solum complexus est febres, sed omnes morbos, & acutos, & exitiales, quos solet producere autumnus: vt melancholiam, maniam, & febres, atque quicquid malignum est: hac voce compræhendit, quasi autumno fiant: quemadmodum non solum ex ipso colligitur, vt qui in 3. lib. Aph. 22. & hoc in loco dixerit: in autumno fieri infinitos penè morbos, & prauos; sed ab Aretæo etiam. Præterea si videatis Gal. manifestissimè vult apud Hippoc. ibi, atq. hoc etiam in loco nihil aliud significare, quàm omne morborum genus prauum, & malignum. Quod etsi sit verissimum, non defuerunt tamen qui existimarint significare lumbricos, hoc in loco, quos appellat Plin. interaneorum animalia. Sed illud mihi placere non potest, quia Hippoc. ipse cum plura genera morborum autumnalium recenseat, in Aphor. nullam huiusmodi animalium mentionem facit. quasi non ita propriè hunc morbum autumnalem esse existimauerit. Neq. valet, ibi non commemorasse etiam cardialigiam, quemadmodum in præsenti oratione, quia cardialgia est purum symptoma, quod plærosq. morbos consequitur. Vnde cum Hippoc. lib. Aphor. 3. referre vellet morbos autumnales, non erat necesse ipsum cardialgiam intexere. Sed vt plena & integra huius rei cognitio habeatur, duo sunt diligenter examinanda: primum, cur fiat, vt inter omnia anni tẽpora, autumnus sit maximè omniũ morbidus. alterum erit, cur hic solum cardialigiæ meminerit. Hipp. videtur totam autumni prauitatem huic vni tribuisse, quod tunc eadem die modò calor, modò frigus fiat. Nec sine ratione, siquidem natura nostra vsq. adeò aliena est a mutationibus in contrarium, vt quandocunq. contingat corpora nostra mutari, semper pessimè se habeant. Et propterea videbitis frequentissimè Hippoc. dicere, αἱ μεταβολαὶ τῶν ὡρέων τικτουσι νόσους: hoc est: mutationes temporum pariunt morbos. Plutarchus quærens rationem cur autumno fiant insomnia adeo confusa & iniucunda, complures causas attulit ex sententia Medicorum; quæ omnes declarant apprimè prauam huius temporis naturam. prima causa est, vsus fructuum & vinorum nouorum importunus & immoderatus, hoc enim tempore cum plæriq. plenius his indulgent, fit vt in ipsis praui succi cumulentur, qui deinde morbos penè irremediabiles inducunt. Altera causa est aeris crassities: tunc enim incipit aer nebulis maximè obscurari, & vaporibus terræ repleri, adeò vt absq. dubio hoc tempore aer crassus, impurus, & morbosus sit. Tertia verò causa est frigiditas & siccitas huius temporis: propter quæ scribit autumnũ a plærisq. vocatum esse anni senectutem, eo fere modo, quo Hippoc. appellat modo occasum, modo vesperam anni. Itaq. cum autumnus frigidus & siccus sit, ac huiusmodi qualitates sint saluti vitæq. omnium aduersissimæ, iure merito autumnus morbosus dici potest, & fere exitialis. His causis, quas videtur etiam probasse Gal. adijcit etiam aliam fortasse omnibus alijs præferendam; quod autumni tempore humores qui in æstate sunt geniti tam biliosi, quàm melancholici veluti fermentantur, & multo deteriores euadunt. Vnde cum vires ob æstus fractæ sunt, infirmioresq. prius redditæ, accedente humorum prauitate rationi consentaneum est, læthales, & grauissimos morbos inducere. Possumus etiam his causis aliam addere, nempè recessum Solis a nobis: vt cum Sol sua ad Nos accessione vitam cunctis viuentibus præstat: pari pacto suo a nobis recessu & morbos, & mortes afferat. Vt propterea summa cum ratione Veteres, autumnum mortiferum dixerint. Sed firmiter hæc constituta maneant. dubitari tamen posset, an autumnus reuera frigidus & siccus, senectus anni dici debeat, quia nobilissimus scriptor Theophrastus planissimis verbis demonstrare cona- tus

Marginal notes:
5. Ethic. c. 4.
Li. 2. acut. c. 5.
6 Epidi com. 1. tract 14.
Lib. 3. Aph.
Lib. 3. Aph. 4
8 symp 10.
4. Epid. 6. Ep. 15.
3. Aph. 9.
1 de plan nat. cap. 15. lib. 3. de caus. c. 3.

tus est;autumnum esse calidum & humidum, atq; in hoc maximè veri similem. Et probat, quia non solum tunc temporis arbores,& plantæ fœliciter germinant: verum etiam, quod magno cum fructu & fœnore semina terræ mandantur: quippè quæ tepore aeris,& humore nutritæ, magnopere intra terram augeantur, & vires sumant. Et hæc forsan fuit ratio, propter quam Hebræi existimarunt annum inchoare tempore autumni: quę etiam Zoroastris, & omnium Asiaticorum fuit opinio, quia autumno semina (quę sunt principia rerum) solo committantur. Vt hæc dubitatio tollatur, puto respondendum esse: autumnum semper in duas partes diuidi solitum, in principium, & finem. Si consideremus principium autumni, certe autumnus est calidus & humidus, quippe cum calor adhuc perseueret, & humor extraneus excedat. Si verò finem spectemus, certè autumnus frigidus & siccus est appellandus. Et hoc tempus vocat Hippoc. occasum & vesperam, vetcresq; anni senectutem. Audiuistis ergo quanto cum iudicio atq; ratione Hippoc. dixerit autumnum ferinum esse. Cur uerò dumtaxat cardialgiæ meminerit, ut diligenter a uobis comprehendatur, oportet vt intelligatis, quid sit cardialgia,& a quib. causis ortus sui principia ducat. Cardialgia igitur vocata est a Græcis καρδιαλγίη,& καρδιωγμὸς: Latini appellarunt dolorem stomachi,& quandoq; nomine græco cardialgiam. Poëtæ, cardiacam, atq; etiam Plin. Sed vt cumq; sit, cardialgia nihil aliud significat, quàm cordis morsum, & dolorem. Cor autem,
4. Aph. 17. vt dicit Gal. plærisque in locis, significat viscus illud quod in pectore collocatum est omnium
1. de plac. Hip. & Plat. cap 8. nobilissimum fons, & principium vitæ. appellatur autem a Pytagoricis ἑστία, seu focus vitæ. Significat etiam os ventriculi, quemadmodum multis testimonijs conatus est pro-
1. de symp. causs bare Galen: quæ non est huius loci singula recensere. Addo ego aliam significationem ex Hippoc. qui scribit pueros appellasse iecur καρδίαν, hoc est cor. mentionem pariter faciens
3. de locis Aff 8. cuiusdam affectus, quem appellabant καρδιωγμόν, & qui ab hepate principium duceret. Iam
De comp. med 5 li 4 de morb. verò cardialgiam significare dolorem seu morsum cordis, quod est viscus omnium animātium præcipuum, ab omni ratione alienum est; siquidem scribit magnus Arist. cor nullum affectum violentum pati. Causa verò propter quam cor immune sit ab omni violenta pas-
3. de part. animal. cap. 4. & lib. 4. c. 2. sione, & dolore, duplex est; vna, quam adfert Arist. eo in loco est, naturam vsq; adeo studiosam fuisse salutis huius visceris, a quo vita ipsa dependet, vt nunquam voluerit tangi ab vllo bilis genere. Quod si verò dolor efficitur ab humoribus acribus, & mordacibus, iam videri potest cor immune esse ab huiusmodi dolore, cum causa huius doloris cor prope accidere non possit. Est etiam alia ratio proposita ab Hipp. scilicet, naturam fabricasse cor substantia admodum dura & solida, vt a sese repelleret omnes iniurias,& si aliquis humor in illud ruat, nullum ab eo patiatur incommodum, aut leue saltem. Itaque satis vnicuiq; patere arbitror, cardialgiam non significare affectū cordis partis principis nostri corporis. Neque verò etiam pro iecinoris affectu accipi potest: quia etsi in ipso reperiatur aliquando aliqua bilis portio, colligitur tamen ferè tota semper in vesica, quam nequaquam ab ea
1. Prob. 38. fauciari scribit Alex. dicens: vsq. adeo familiarem & amicam esse proprio folliculo, vt nequaquam illum corrodat, aut alio modo lædat. Neq. etiam substantia iecoris morderi potest a bile. quia semper illud uiscus vsq; adeo sanguine crasso refertum est, vt omnis uis mordax sæpe hebetetur. Et hoc facilè intelligi potest in ictero morbo, in quo etsi bilis in iecore & vniuerso corpore fit, nequaquam tamen mordet. Super est ergo esse dumtaxat dolorem,& morsum oris ventriculi: a quo morsu (experientia quotidiana probatur) non solum uehementes dolores, & ab his animi deliquia fieri, sed compertissimum est ruere omnes corporis nostri facultates. Vt hinc clarissimè pateat, quàm apposite meminerit cardialgiæ hoc in loco Hipp. siquidem non solum frequenter fit in autumno, quando bilis genita tempore æstatis,& accumulata, hoc tempore longè lateq; effunditur in stomachum: verum etiam acrior & mordacior reddita, exitiales dolores, & affectus secum ducit. Hinc etiam clarissimè colligi potest, nullam aliam esse cardialgiæ causam, præter quam humores, vt testatur Gal. & succos mordaces, acres, atq. biliosos. Sed dicat aliquis, cur ergo Arabes, & præsertim Auic. ab humoribus frigidis etiam fieri contendunt? Dicendum est ueram esse Gal. sententiam, fieri semper cardialgiam a mordacibus succis, sed verissimum

etiam

etiam esse, succos frigdos sæpe mordaces esse. Testis huius rei est Hipp. qui scribit: frigidũ neruis, & vlceribus mordax, habetis etiam manifestissimum humoris melancolici exemplum, quod humoris genus non tantum sua aciditate, & frigore mordet, verum etiam terrã fermentat. quod pituitã quoq; facere, auctor est Hipp. Sed ad postremam Hipp. nostri orationem redeamus, dicit cardialgiam esse minus malignam si fiat tali morbo: quid vult illud Hippoc. tali morbo? dixi nuper cardialgiam esse symptoma; & consequi complures morbos, & præ cæteris, febres autumnales, malignas, & præsertim hæmitritæos, atq; multo magis febres tertianas duplices, & eas quæ fiunt a succis biliosis, & calidis. cũ igitur hoc symptoma sit veluti familiare, & domesticum huiusmodi febribus dicit Hipp. cardialgiã esse quidem semper, & præsertim autumno malam, & exitialem, verumtamen tunc esse minus prauã, & malignã, quando fit ab eo morbo, cui solet esse familiaris. Postquam vt audiuistis, autumnus prauorum morborũ adeo ferax est, ad solertem, & peritum Medicum maximè spectat, hoc tempore semper prauitatem, & malignitatẽ metuere, eo quod sæpe Medici decipi consueuerunt in morbis, quippe qui initio mites, & blandi videantur, sed paulo post ita fiant immanes, vt Medici maximè laborent, & ægri in mortis periculum incidant. Idcirco, debemus hoc tempore semper prauitati occurrere. Idq; fit, tam recta victus ratione, quam vsu eorum remediorũ, quæ vim habent debellandi omnem prauitatẽ. [4. de morb.]
Præceteris autem ex Hipp. nostri verbis illud vtile documentum habemus, vt tempore autumni potissima ratio habeatur ventriculi, quippe qui, & si ab omni ægritudine insigniter labefactetur, plurimum tamen cõsueuerunt autumnales morbi stomacum frangere. Et hoc est quod scribit Hipp. cardialgiã maximè fieri autumno ex quo fit, vt laborante vẽtriculo, vniuersus deniq. corporis status perdatur; nam Hipp. sciptum reliquit: confusio ventriculi, confusio totius corporis, imò dicit, stomachũ similem esse mari: quia vt mare communicat aquas toti orbi; & a toto orbe eas recipit, sic ventriculus toti corpori communicat sua mala, & ab omni corpore eadem recipit. vt recte Serenus scripserit ventriculum totius corporis regem esse appellatum, si quidem à vẽtriculo omnia penè mala nostro corpori accedunt. Et vt hoc etiam obiter addã Ægyptij, vbi aliquis extremum diem obierat, solebant exenterare cadauer, & ventriculum ad solis radios exponere, & percutere tãquã autorem omniũ malorũ, & ipsius necis. Igitur operæ pretiũ est autũno, ventriculi maximam habere rationem, & præsertim cardialgiæ, qui affectus, vt audiuistis, fieri solet tam à frigidis, quàm a calidis succis. Remedia verò aduersus frigidos succos, à quibus hic affectus producatur habetis hoc eodem lib. 2. Epid. vbi narrat casum cuiusdam mulieris, quæ cum laboraret cardialgia ob succos frigidos curata fuit vsu panis calidi, & vini quæ volui etiam breuiter monere vos, vt cognosceretis non parum referre, non tantum hoc tempore rationem habere ventriculi verum etiam earum causarum quæ solent lædere ventriculum. [6. Epid.] [1. de diæt.]

Αἱ ἀσκαρίδες δείλης, ὁμοίως τούτῳ. καὶ ἐκεῖναι ταύτην μάλιστα ὀχλέουσι τῆς ἡμέρης πλεῖστα. οὐ μόνον διὰ τὸ μᾶλλον πονέειν, ἀλλὰ καὶ αὐταὶ διὰ σφᾶς ἑωυτάς,

Ascarides vesperi similiter huic: & illæ eam potissimum diei partem pertubant, non solum quod magis laboretur. Sed ipsi per se ipsos.

Quæ sententia etsi quodam pacto videatur connecti cum superiorib. quantum tamen ipse iudico separata est, perinde ac sunt plæriq; aphor. sentẽtia autem qua vsi sunt veteres sapientes, vt docuit Arist. nihil aliud est, nisi affirmatio quędam de re vtili vitę ipsi, vt propterea iure oracula dici possint sententiæ, quia vtilissimæ sunt ad sanitatem integrã conseruandam, & e sua sede statuq; delapsam restituendam, & consequenter ad bene prudenterq. viuendũ. Omnis autẽ sententia duplex est, vt ibidem docet Arist. aut enim est pura: vel est cum probatione coniuncta, veteres proferebant nudas sententias quoticscunq; res aperta erat, & ab omnib. pcepta, quale est, dimidiũ esse minus toto: rectum contrariũ obliquo, nam huiusmodi sentẽtiæ cum sint receptæ, & intellectæ ab omnib. non egent probatione. Aliud sentẽtiarũ genus est, qđ habet secũ pbationẽ: quo vti solent scriptores quãdo sententia haud quaquã ob omnib. accepta est, sed dubia, & incerta huiusmodi est, vt ait [2. Rhet. c. 15.]

In Meta.c.7. Arist. cum sis mortalis, immortalem vitam seruare noli, ex hoc duplici genere scientiarum, cum in his, tum in Aph. vtitur Hippoc. modò sententia simplici, modò cum probatione. Præsens autem sententia est ex earum genere, quæ coniunctam habent probationẽ: quasi velit nos dicere, ascarides maximè dominari, & lędere vesperè: quod quia non ita certum & receptum ab omnibus habetur, propterea diligentissimus senex nititur hanc sententiã duab. rationib. probare: vna est, quia tempore vespertino dolores omnes exacerbantur magis, altera a ꝓpria, & particulari natura sumitur, quæ est, magis vesperè ascarides exercere ægros, propter seipsos, hoc est, proprietate quadam, & facultate naturæ. Cum ergo sententia proposita secum habeat iunctam probationem, nos totam præsentem speculationem dirigemus in sententiã, & probationem eius. Ascarides fiunt maxime vespere inquit Hipp. Certissimum est, & apud omnes homines probatum, in corpore nostro varia & diuersa animlia procreari: Ita ut in capite, in pectore, in ventriculo, in intestinis, & ,vt vno verbo dicam, in omnibus corporis nostri partibus generentur, quod satis probatum esse à nobis arbitror, in lectionibus de morbis puerorum. Sed quamquam in vniuerso corpore generentur animalia, peculiariter tamen generantur in ipsis intestinis, & ita generantur, ut ualde uarient ab alijs, quæ in alijs corporis partibus producuntur. Siquidem hęc animalia quæ generantur in intestinis, proprio nomine ab Hipp. vocantur lumbrici.

1. lib. aff. c. 5. Et hac ratione potestis intelligere pulcherrimum locum Gal. qui tradit methodum cognoscendi locos affectos, Inquit ex lumbricis cognosci affectum intestinorum: quasi in solis intestinis hæc animalia fiant. Non latuit Gal. etiam alibi generari in corpore animalia, sed putauit etiam uere solos lumbricos in intestinis generari. Neq. ualet quod interdũ per os, & nares excernantur, quia pelluntur ab intestinis, vel venenata materia, vel medicamentis. Cum ergo dumtaxat lumbrici fiant in intestinis, scire etiã oportet, huiusmodi animalia trium esse spetierum, alia enim uocantur lumbrici rotundi, alia lati, alia ascarides. Differunt autem inter se primum figura, quia lumbrici rotundi orbiculares sunt. lati & lati sunt, & interdum longissimi, ita ut Plin. refferat se se interdum uidisse huius modi lumbricos tricenum pedum, aliquando & plurium longitudine. Ascarides autem sunt animalia parua, & tenuia. Differunt præterea loco, quia lumbrici rotundi generantur in superioribus intestinis, ascarides in inferioribus, teretes, seu longi, in omnibus. Differunt quoque alia ratione, quia longi, & rotundi lumbrici, fiunt magis in hominibus, quàm iumentis: ascarides verò, magis in iumentis, quàm hominibus. Et vt possitis profundum Hipp. sensum penetrare, operæ prætium est hic paulisper speculari, cur lumbrici longi, & rotundi generentur potius in homine, quàm in iumentis: & quare fiant in superiorib. intestinis. Ego dixerim fieri potius in homine propter hanc rationem, quia homo maximè omnium victitat cibis varijs, qui citius putredinem concipiunt, & præparant humores ad generationem lumbricorum. Hinc Alex. dicebat stercus humanum maximè fœtere, & magis, quàm brutorum, quia consueuerunt homines vti vario cibo: bruta simplici gaudent. Et propterea etiam Plutarch. scripsit animalia irrationalia salubriora viuere, ipsis hominib. quia victu simplici viuant. Cur verò gignantur potius in superiorib. quàm inferioribus intestinis, ratio est, quia in superioribus fit coctio cibi. Et quia hæc animalia fiunt ex crudis cibis, hinc fit vt eo in loco potissimum gignantur, in quo fit coctio. Cæterum cur ascarides potissimum fiant in brutis, varie disputatum inuenio apud Scriptores. aliqui attribuerunt victui belluarum sicciori, nonnulli calori. Sed ipse existimo fieri potius in brutis, quia etsi simplici vtantur victu, tamen vitiosus ille est. Ad hæc intestina inferiora brutorum sunt frigidiora quam hominum: quod huiusmodi intestina in brutis facile lædantur ad aere ambiente. dicebant autem Aet. & Paul. ascarides potissimum fieri a frigiditate, & vitioso alimento. vt cum in belluis reperiatur vitiosũ alimentũ, & frigiditas in intestinis infernis, iure hæc animalia in ijs potissimũ producãtur. Ex hoc discursu patet quanta cum ratione atq; iudicio Hipp. hoc in loco dumtaxat meminerit ascaridũ, nõ lumbricorũ lõgorũ, aut rotũdorũ. quia Hipp. breuitatis studiosissimus, hoc sęp in more habuit vt cõtentus fuerit, vnũ dũtaxat genus ꝓponere, & illo vno cõplecti reliqua, quẽadmodum

Lib. 11. c. 33. [margin note beside "ti sunt; & interdum longissimi"]

1. Prob. 21. [margin note beside "generationem lumbricorum"]

5. conu. 9. [margin note beside "dent. Et propterea"]

fecit

fecit in præsenti contextu, in quo sub nomine ascaridum reliqua intestinorum animalia omnia compræhendit. Et iure sane ascaridum meminit, quia cum hæc animalia fiant rarius in hominibus, quàm in brutis: si verum est ascarides lædere magis vesperi, multo magis vero simile est, rotundos & longos lumbricos id facere. Itaque videtis quàm aperta sit ratio, cur potius ascaridum meminerit. Hæc igitur est sententia Hippocratis. Probatio vero primum a ratione communi, deinde a peculiari sumpta est. Ratio Hipp. in hoc consistit, quod sit proportio summa inter autumnũ & vesperam. Igitur sicut autũno fiunt magis morbi ferini, & lumbrici: sic hi vesperi magis fiunt. fiunt autẽ magis vesperi (inquit Hipp.) quia hoc tẽpore magis laborant, hoc est, quia vesperi omnes dolores & ægritudines acerbiores & immaniores euadunt. Sed quæ est ratio acerbitatis doloris tẽpore vespertino? vna est elegantissima apud Alexandrum qui quærens rationem propter quam dolores noctu magis præmunt, dicit: ideo esse, quia ad hoc vt percipiantur passiones corporis, necesse est vt animus versetur circa ipsas. Interdum cum animus abducitur ab operationibus sensuum exteriorum, fit vt minus versetur circa passiones corporis, & propterea minus eas percipiat. noctu cum animus sit abstractus ab operationibus sensuum, totus conuertitur ad passiones corporis, vnde fit vt eas multo facilius percipiat. Prima hæc est ratio, & non contemnenda; siquidem vesper est initium noctis. Est etiam alia, quia vesperi Sol a nobis recedit, & aër fit frigidior. Vnde cum magis incipiunt retineri effluuia, consequitur necessario, ut mala atque dolores augeantur. Hæc est ergo ratio communis proposita ab Hippocrate. Est quoque ratio quædam peculiaris cur ascarides vesperi magis torqueant homines, quia a propria ipsorum natura hoc habent. Sed quæ est hæc proprietas lumbricorum, ut magis uesperi angant humanum genus? hæc in duobus collocata est: prima est ratio: quod lumbrici uesperi propter uacuuitatem corporis a cibis, euadunt cibi appetentissimi, & egeni, unde cum percipiant cibos, fit, ut huc atque illuc moueantur, adeo vt sæpe etiam vulnerent intestina. Alia ratio est, qua lumbrici sequuntur accessiones aliorum morborum, & præcipuè febrium. Vnde cum omnes febres, imò omnes penè morbi habeant accessiones vesperi, accidit, vt eo etiam tempore magis moueantur lumbrici & lædant. Etsi quæcunq; dixerunt Veteres, & presertim Hippoc. experientia non ita certa comperiantur interdum; nihilominus tanta est grauitas eorum, quæ scripserunt, vt maximi semper facienda sint. Quod dixisse volui, quia quæ dixi ante, quod vesperi lumbrici maximè vexent, non adeo fortassis experientia probatur. Veruntamen cum sit res ab Hipppoc. obseruata, qui nunquam fefellit, nihil vetat, quin hanc oraculi loco habeamus. Ex his autem id in medicina documentum colligatis, debere Medicum semper præ cæteris tempus uespertinum formidare, & idcircò quotiescunque secus aliquid non contingat, vesperi ægros minus alere & nutrire. quia illud verissimum est, autumno & vesperi, morbos fere omnes exacerbari. Illud etiam documentum ex hac Hippocratis oratione habere potestis, vt quando vel pueri uel iuuenes uobis sese offerunt curandi, semper in suspicionem ueniatis uesperi horum malorum, quæ nobis obseruanda reliquit Hippoc. ita tamen ut uictus ratione, atq; alijs remedijs oportunis occurratur. Remedia quæ plærumque Medici solent habere aduersus lumbricos, sunt amara omnia, acida, & acria. Atquè addo Ego, omnia etiam oleosa. Aristot. enim scribit, oleum interimere omnia insecta, cuiusmodi lumbrici sunt. Causam autem, qua oleum interimit insecta, luculentissimè explicatam habetis ab Alexandro, qui scribit: insecta cum habeant pusillum calorem fieri facile, vt oleo obstructa eorum corpora, omni perspiratione priuentur, & consequenter moriantur. Quare aduersus uermes soleo ipse tamquam efficacissimo remedio uti, oleo amigdalarum amararum: oleo simplici cum cotoniorum succo, & aceto acerrimo. quæ omnia poterunt etiam uobis utilia esse in medicina facienda.

[Margin notes: 1. Prob. 116. — De Hist. animal. li. 8. c. 27 — 1. Prob. 62.]

Ἐν φθινοπώρῳ ὀξύταται νόσοι, καὶ θανατωδέσταται. τὸ δὲ ἦπαν ὅμοιον, τῷ δείλης παροξύνεσθαι. ὡς τοῦ ἐνιαυτοῦ περίοδον ἔχοντος τῶν νούσων οἵην ἡ ἡμέρη τῆς νούσου τῷ δείλης παροξύνεσθαι, τοιοῦτον τῆς νόσου, καὶ ἑκάστης καταστάσιος πρὸς ἀλλήλας, ὅταν μήτι νεωτεροποιηθῇ ἐν τῷ ἄνω εἴδει. εἰ δὲ μὴ ἄλλης ταῦτα καταστάσιος ἂν ἄρχοι ὥστε καὶ τὸν ἐνιαυτὸν πρὸς ἑαυτὸν οὕτως ἔχειν.

Autumno acutissimi morbi, & maximè lethales. Vniuersim simile ipsi vesperi exacerbari, tamquam ipso anno periodum habente morborum, vt dies morbi, quale est vesperi exacerbari, tale ipsius morbi, & cuiusq; constitutionis ad se mutuo, cum nihil mouetur in superiori specie, alioqui alterius constitutionis hæc principium fuerint. quare & annum ad se ipsum ita habere.

Hæc sententia ex ijs est, quæ habent secum proportionem copulatam. Propterea vt rectè possitis Hippoc. alta mysteria penetrare, decreui totam in tres partes diuidere; in sententiam videlicet, probationem eius, atq. exceptionem. Senrentia igitur est: Autumno fieri acutissimos atq. lethalissimos morbos, quæ sententia plærisq. alijs in locis habetur,
3. Aph. 9. sed potissimum in Aphor. secunda pars, hoc est probatio sententiæ, hæc est: quia sicuti se habet dies: ita quoq. proportione se habet annus. vnde vt se habet dies ad annum: sic quoq. se habent partes diei ad partes anni. atque tempus vespertinum (vt audiuistis) est tempus maximè exitiale, & mortiferum: itaq. autumnus qui proportione respondet vesperi, iure morbos habet lethalissimos. grauissima sane probatio. Tertia pars, siue exceptio in hoc posita est, quod hæc omnia vera sint, nisi aliquid in superiori natura innouetur. Oracula omnia æterna memoria digna. Incipiamus a contemplatione primæ partis. Videri posset alicui, Hippoc. loquaciorem esse, quàm conueniat ipsius grauitati. nam cum dixerit ante Hipp. autumnum esse ferinum, quia in ipso generantur morbi ferini, quid opus erat repetere: autumno fieri morbos acutissimos, atq. exitialissimos? Deinde acutissimus mor-
Lib. de temp morb. bus etiam exitialissimus est, siquidem testatur Galen. verum characterem quò figurantur morbi acuti cum esse, vt celeriter, & cum periculo moueantur. hinc si morbi acutissimi sint
6. Aph 18. periculosissimi, erunt quoq. lethales, præsertim cum Gal. scribat, lethale non semper apud Hipp. significare necessariã mortem. Vt autem sapientissimum senem ab omni suspicione vindicemus, scire oportet malignos morbos, & acutissimos differre, quippe cũ multi sunt, neq. acuti, neq. lethales, vt elephantiasis (ferina scabies vocata a Græcis) est morbus ferinus, neq. tamen velocis motus, neq. periculosus. Vnde cnim Hipp. dixisset, autumno ferinos morbos grassari, voluit etiã annotare, autũno non solum hos morbos fieri, sed etiam acutissimos & exitialissimos. Sed quid ad aliam obiectionem dicemus? Nihil melius est, quàm Hipp. cum Hipp. interpretari. quemadmodum qui Aristot. cum Arist. ipso interpretatur,
3. de morb. omne attingit punctũ. Hipp. tria genera morborum facit, aliud salutare, alterum dubium, tertium lethale. Salutares appellat morbos, qui semper & necessario in salutem finiuntur, nec vnquam exitium afferunt, vt est podagra, ischias; Morbi dubij sunt illi, quorum neque certa salus, neq. certum exitium præfiniri potest, quemadmodum dicit Hippoc. esse phrenitidem, pleuritidem, & febrem ardentem. Morbi verò lethales sunt, qui semper, vel vt plurimum mortem inferunt, vt est tabes, hydrops. Igitur ex hoc Hippoc. discursu videre potestis, hanc esse differentiam inter morbos acutos, & lethales, quod acuti dubij sint. Vn-
2 Aph 19. de dicebat: Morborum acutorum non omnino certæ sunt prædictiones, vel ad salutem, siue ad mortem; lethales verò, qui certam necem adferant. Igitur vt Hippoc. complecteretur hæc duo genera morborum differentium sane inter se (sicuti audiuistis) non contentus fuit dicere: autumno morbos fieri acutissimos, sed addidit etiam lethalissimos. quia
3. Aph. verè hoc tempore fiunt acutissimi, & exitialissimi morbi. Dicebat autem Hipp. autumnum tabidis esse inimicum; vt iure etiam tabem inter morbos lethales reponi debere censuerit.
3 de morb. Non igitur accusandus est Hippoc. loquacitatis. Sed dubitari etiam video, vtrum solus autumnus sit tabidis inimicus. & qua ratione hoc fiat, vt hic solus sit tabidis aduersissimus. Cur autumnus vsq. adeo sit inimicus tabidis, rationem sumere possumus ex Arist. qui scribit

bit in Probl. autumnuum propterea morbosum esse, quia mutatio fit a calido ad frigidum, 1. Probl. 27.
ver est morbosum quidem, sed minus, quia mutatio fit a frigore ad calorem. Cum igitur
in autumno fiat mutatio a calore, qui est fons vitæ, ad frigus, a quo calor extinguitur, quis
non videt, tabidos autumno maximè periclitari? quia cum mutetur corpora & ad deterius,
facillimè sentiunt hanc mutationem, ea quæ calorem habent admodum debilem, & con-
sumptum. Et addam etiam illud, quod quemadmodum autumnus φυλλοχόος appellatur, Hesiod. Homero.
quia hoc tempore folia decidant ab arboribus: ita autumno pilis spoliantur tabidi, atque
consequenter ad interitum properant. Qua etiam ratione legimus apud Pluturch. Ægy- De Isid. & Osirid.
ptios vocasse autumnum τυφῶνα: & non secus enim atq. τοφώς, vel τυφώς ventus procellosus
inimicus est plantis: ita autumnus omnibus corporibus. Vtrum autem autumnus solus
hoc habeat dubitatum inuenio. Iam audiuistis, morbosum quidem esse ver, sed minus au-
tumno. vnde magnus Hippoc. dicebat, autumnum esse tabidis inimicum, sed & ver quoq. 6. Epid. sect. 7
est, præsertim eo tempore, quo folia ficus sunt similia pedibus cornicis. Id quod (ni fallor)
didicit Hippoc. ab Hesiodo, qui scribit: tunc pestes maximè fieri, quando folia ficus sunt si-
milia pedibus cornicum. Erat probatio huius sententiæ (quemadmodum antea dictum
est a me) quod sicuti se habet dies: ita quoq. annus. vnde cum vesper sit pernitiosus: iure
autumnus, qui respondet tempori vespertino pernitiosus erit. Circa quam probationem
duo breuiter inuestiganda sunt. primum, cur Hippoc. potius vsus sit hac probatione, quam
vlla alia. alterum erit, quæ sit proportio anni ad diem, & vnde hæc proportio pendeat.
Hippoc. quemadmodum sæpe dixi, solet contentus esse nobis ea proponere, quæ non ita
sunt omnibus nota, missa faciens euidentiora. Euidentissimum erat, & nulli fere non co-
gnitum atq. exploratum, autumnum morbiferum esse, propter vitium aeris, propter an-
tecedentem æstum, & ob esum fructuum importunum & nimium: sed quia non erat adeo
vulgatum, quæ esset proportio diei ad annum. idcircò huius Hipp. meminit præ cæteris.
De hac proportione sermonem habens Galen. scribit: ver respondere matutino tempori, 6. Epi. 1. t. 15.
æstatem meridiei: autumnum vespertino tempori; hyemem nocti. Ratio autem huius
proportionis nulla alia est, quàm ea quę a Sole sumitur. quia sicut Sol sua peregrinatione
per Zodiacum quatuor hęc tempora anni facit: haud secus ab ortu ad occasum vergens, fa-
cit huiusmodi diem naturalem, qui in quatuor partes ab omnibus diuisus est. Igitur, ut in
toto anni spatio variat Sol terram: haud secus suo quotidiano ortu & occasu, diuersas in
corporibus viuentium mutationes facit. Sed si vera est hęc ratio proportionis, cur euenit,
quod mane homines meliùs valeant animo, atq. corpore, cum tamen vere fiunt innumeri
morbi, & Hipp. atq. Arist. appellauerint ver morbosũ. De hoc disputabo aliàs. Nunc autẽ
illud satis sit dixisse correspondere ver matutino tempori: quia etsi uer morbos inferat,
quemadmodum dicebat Hippoc. illi tamen morbi nequaquam generantur vere, sed cum
sint concepti ęstate parturiuntur quodam modo tempore veris. Et hoc est quod alias Hip-
pocr. scripsit, inquiens: non statim fiunt morbi, sed citissimè erumpunt, & efflorescunt. Iam
ergo intelligere vos satis superq. arbitror, cur autumno fiant morbi acutissimi, & lethalissi-
mi. Sequitur tertia pars, quæ est exceptio; atq. hæc est; morbos ita sese habere secundum
proportionem diei, & anni, nisi aliquid innouetur in superiori natura: sed quid vult his ver-
bis Hippocrates? magna continent sane mysteria. quæ vt intelligatis, oportet ad memo-
riam vobis reuocare, ea quę scribit in lib. de morb. vbi cum discurreret circa causas morbo-
rum, dixit: tria esse genera causarum. Vnum est abundantia humorum (πληθώραν Græci vo-
cant) Alterum, quod extrinsecus violenter accidit: totum hoc genus causarum solent ap-
pellare latini, & præsertim Iurisperiti, maiorem vim, vt sunt percussiones, & quicquid ex-
trinsecus corpori nostro vim infert. Tertium causarum genus est, quotiescunq. ea quæ
proficiscuntur a Cœlo noxia admodum sunt. Adeo vt manifestissimè appareat, Hippoc.
voluisse inter veras causas morborum esse quoq. Cœlum. Et hoc loco soleo Ego vti ad
probandam meam sententiam ab omnibus antiquis receptam, pestem a solo Cœlo profi-
cisci. Iam verò quid vult Hipp. nisi ea, quę in nobis fiunt a Cœlo pendere? & corpora no-
stra esse subiecta superioribus lationibus, a quibus gubernentur? quemadmodum scribit
Arist.

Arist. huiusmodi autem gubernatio manat ex decenti proportione, & harmonia aeris ad corpora nostra: quia cum continuò attrahamus aerem uolentes nolentes, nisi ille aer nobis fuerit familiaris, certè sanitas corruet illicò. Vnde uerè oritur συμμετρία hæc à qualitatibus omnium elementorum quidem, sed potissimum ab aspectibus, & ui siderum. ita ut, si quando aer propter nouas Cœli constitutiones permutetur ab hac harmonia, faciat morbos non secundum constitutionē naturalem, sed peregrinam potius, atq. ut hoc loco dicit, non præsentis constitutionis, sed alterius. Videtis ergo quā prudentia dixerit Hipp. tēpora producere morbos proprios, nisi aliquid in superiori natura innouetur. & hoc est quod dicebat Hipp. debere Medicum præter alia præcognoscere semper illud quod in morbis est diuinum, hoc est permutationem aeris in Cœlo, & sideribus. Documentum quod profacienda medicina ex his sumitur, totum pertinet potius ad prognosticam artem, quàm ad curatoriam, nam, vt prudentissimè dicebat Hippoc. 1. Prognost. si liceret Medico omnes ægros ad sanitatem perducere, superuacanea esset omnis prædicendi ratio. Sed quia ea est corporis nostri infirmitas, vt necessario perire interdum debeant ægri; hinc fit vt debeat Medicus non solum artem curandi perdiscere, sed etiam prædicendi. Igitur quando (vt audiuistis) autumnus sit ferax morborum, maximeq. lethalium, debet Medicus hoc tempore præsertim ad prædictionem infœlicem potius, quàm fœlicem inclinare, quod etsi sit vtile Medico omni fere tēpore; est tamen verissimum in autumno, quando morbi plærumq; ad interitum vergunt. Aliud documentum colligere possumus, quòd vbi constitutiones temporum autumnales sunt, potius respiciendum esse Cœlum & sidera, quàm quidquam aliud; quod alias vos docui ex lib. de aer. aq. & locis.

Lib. 1. Prog.

Ε'ν τοῖσι καθεστῶσι καιροῖσι, καὶ ὡραίως τὰ ὡραῖα ἀποδιδοῦσιν ἔτεσιν, εὐσταθέες, καὶ εὐκρινέσταται αἱ νοῦσοι. ἐν δὲ τοῖσιν ἀκαταστάτοισιν καὶ δύσκριτοι.

In temporibus consistentibus, & tempestiuè tempestiua reddentibus annis, constantes, & boni iudicij morbi. In incostantibus vero difficilis iudicij.

Sensus horum verborum est, quod vbi tempora proprias naturas seruant, constantes morbi, & optimi iudicij fiunt. Contrà, vbi tempora deflectunt ab optimis, & proprijs naturis, fiunt non modò inconstantes; sed pessimi iudicij. Id quod cum asseruerit sæpe diuinissimus Hippoc. probat tamen exemplo Perinthi quando scribit.

Ε'ν γοῦν Περίνθῳ ὅταν τι ἐκλίπῃ, ἢ πλεονάσῃ, ἢ πνευμάτων, ἢ μὴ πνευμάτων, ἢ ὑδάτων, ἢ αὐχμῶν, ἢ καυμάτων, ἢ ψύξεων.

Vt in Perintho, cum aliquid deficiat, aut redundet, aut ventorum, aut non ventorum, aut imbrium, aut siccitatum, aut æstuum, aut frigorum.

Hæc sententia (vt videre potestis) duas habet præcipuas partes. prior pars est sententia: secunda confirmatio exemplo Perinthi. Sententia non solum habetur hoc in loco, sed pluribus etiam alijs. Vbi vnum notare præcipuè debetis, quod maximè vtile est vobis ad versandum in libris Hippocratis non sine maximo fructu, Galen. qui (vt liberè loquar) interdum fuit loquacissimus, sæpe repetere in suis commentarijs eadem vsque ad nauseam, etiamsi res sit minimi momenti. Hippoc. verò, vbi repetit eadem, existimate rem esse magni momenti. quia admirabile hoc ingenium numquam res exigui momenti repetit. si repetat aliquid iterum, atq. iterum, est sane summi momenti, quemadmodum est hæc sententia. Quare laborare debetis, ut hanc non solum discatis, sed æterna memoria teneatis. Vt autem eam perdiscere possitis, nō nulla scire vos oportet, quæ non solum conducent ad penetrandam huius sententiæ vim, sed etiam ad plurima alia. Primum quod scire debetis est, annum (ut sæpe audiuistis) apud omnes ferè partitum fuisse in quatuor tempora, &

vnum-

vnumquodq. tempus proprium,& peculiare temperamentum fuisse sortitum, quemadmodum docuit Hippoc. Igitur vt incipiamus a vere, hoc tempus peculiare temperamentum habet, vt sit calidum, & humidum. æstas calida & sicca est: autumnus frigidus & siccus, hyems frigida & humida. Quæ temperamenta vsq. adeo propria sunt vnicuiq. tempori, vt quotiescumq. hæc singula tempora anni non seruant, semper excedere naturæ limites censendum sit. Aliud scire operæ pretium est, quod Hippoc. nos docuit, fusissimè & clarissimè singulis anni temporib. peculiariter aliquem in corpore nostro exuberare humorem: vere, sanguinem: æstate, bilem: autumno, melancholiam: hyeme, pituitam. Sed hic oritur dubitatio, vtrum pituita hyeme abundet, quia vt scriptum habemus ab Hippoc. hyeme corpora animalium maximè calida sunt, & consequenter optimè fiunt concoctiones, optimas coctiones, consequitur generatio sanguinis, non pituitæ. Igitur æquius videtur existimare, sanguinem abundare hyeme potius, quàm æstate. Alex. dixit id quidem verum esse quod Hipp. scribit, nempè fieri meliores coctiones hyeme, sed per accidens contingere, vt tunc gignantur pituita: quia cum eo tempore homines sint calidissimi, plus cibi capiunt, quam par sit, vnde cum fiant multæ cruditates, consequenter etiã multa pituita fit. Sed melior est ratio Gal. qui cùm excitasset hanc dubitationem, dixit: calorem naturalem esse quidem hyeme fortiorẽ in ventre, & propterea in eo fieri coctiones meliores, sed non ita esse in iecore, & venis, quod ab aere ambiente magis refrigeretur. Verum (pace Gal.) hæc responsio nunquam mihi placuit, quia si ventriculus tẽpore hyberno ita calidus esset, vt concoqueret etiam copiosissimos cibos, à quibus ipsius calor solet hebetari, multo magis iecur calidum eo tempore esse debet. Et miror sane Gal. hyeme non voluisse iecurr incalescere, quia pruritus, scabies, & similia tunc magis abundant quate magis mihi probatur Alex. sententia, hyeme plus pituitæ generari, ex vsu prauorum ciborum, a copiosissimo alimento, & præsertim ab vsu vinorum nouorum, sed alias de his latius agemus, vbi locus, & tempus fauebunt. illud tamen ad notandum est, sanitatem collocatam esse nõ modo in harmonia quatuor elementorum, quemadmodum Arist. & Plato sæpe testati sunt, sed etiam in humorum decenti proportione: Itaut quotiescunq hæc harmonia seruetur, vt vere dominetur sanguis, æstate bilis, autumno melancholia; hyeme pituita sanitas sit. Vbi verò huiusmodi harmonia corrumpitur, necessariò sanitatis status ex toto labascit. Præterea adnotare debetis, morbos fere omnes oriri vel à causa interna, vel ab externa. Ab interna inquam, quotiescunq; vel deficit, vel excedit sanguis tempore veris. Ita æstate cum bilis fuerit copiosior, vel parcior. Autumno, quando melancholiæ, vel parum fuerit, vel plurimum; hyeme quando pituita nimium excedit, vel nulla, aut paucissima sit. Animaduertere quoq; oportet, causas externas magnam vim habere ad producendos morbos: quæ & si plures sint, nihilominus fere omnes sitæ sunt, in aeris ipsius permutatione, & licet hęc permutatio fiat secundum qualitates elementorum, fit tamen, vt dicebat Hipp. vi siderum potius, quam ulla alia naturali. Postremò obseruare operæ prætium est, hanc vocem εὔκριτον, atq. etiam δύσκριτον duplicem significationem habere apud Hippoc. vel enim significat εὔκριτον, quod salutare, vt optimi est iudicij, vel quod maxima facilitate, & breuissimo temporis spatio iudicari potest; quemadmodum δύσκριτον, quod mortale est, hoc est pessimi iudicij, vel quod summa difficultate, & multo tempore iudicari potest. His ergo omnibus suppositis, & probè intellectis, iam statim videre potestis viam, qua admirabilem hanc sententiam penetretis. Nam cur tempora constantia pariunt morbos constantes, & faciles iudicij? nulla alia est ratio, nisi quia propriam seruant naturam. hoc est quotiescunque ver non discedit a propria natura, morbi fiunt, vel quia sanguis respectu aliorum humorum copiosior, vel minor est, vel quia qualitatem non seruat. Atq; hoc non solum verum est in corporibus humanis, sed etiam in plantis, & stirpibus: dicebat enim Theophrastus (vtens voce Hipp. ὡραῖα) si hyems tempestiua fuerit, id est propriam naturam seruauerit, nullos fieri morbos in plantis, sed semina ipsorum coalescere, & custodiri. Huiusmodi ergo morbi a corruptione interna, sæpè neq; lethales esse solent, neq; etiam difficiles iudicatu in temporibus constantibus,

Lib. de nat. hum.
Li. d nat. hum
1. Aphor.
2. prob. 5.
Lib de nat. hum. Hipp.
2. de causis plant. cap. 11.

quia etsi causæ morbiferæ intus latent, aer tamen externus amicus, & familiaris est. Et hoc est quod Plato etiam dixit sub persona Erysimachi medici, quod vbi amor conseruatur in qualitatibus elementorum in aere, tunc sanitas fit. Contra autem, si aer laboret discordia, & præternaturali constitutione, ita vt tempora minimè seruent propriam naturam, fiunt morbi inconstantes, & difficilis iudicij, quia vbi aer aut vi ventorum, aut inquinamentis contaminatus est, maximè agit in corpora humana. atq; cum eo tempore inueniat sibi dispares, & improportionatos humores, necessario fit ingens corruptela, & consequenter morbi inconstantes: & qui difficulter iudicantur, hoc est vel longo dierum interuallo, vel cum interitu ægrorum, quia cum non seruant tempora temperiem naturæ suæ conuenientem, modo hoc, modò illud morborum genus inducitur. tum difficilis iudicij, quia etsi plærumq; læthales fiant morbi, tamen a magni iudici viris non possunt iudicari, neq; si soluendi sint, neq; quando. Hæc igitur est ratio, cur Hippoc. dixerit, in constantibus temporibus fiunt morbi constantes, & boni iudicij: in inconstantibus, inconstantes, & mali iudicij. Qui autem hi morbi sint, qui fiunt in temporibus constanti-

Li. de aer. aq. & loc. bus, & inconstantibus, videre potestis apud Hipp. atq; etiam Arist. qui omnia fere ad verbum ab Hipp. sumpsit, nec vnquam illius meminit. Sed video dubitaturum esse aliquem

Lib. 3. Aph. 1. sec. Prob. cur interdum accidat, vt nulli fiant morbi, cum tamen dixerit Hipp. in constantibus temporibus, fieri constantes, & boni iudidij morbos, & in inconstantibus, inconstantes, & mali iudicij, adeo, vt nullum videatur posse dari tempus in quo non producantur morbi. Dicendum puto, verum esse, quantum fit ex dispositione corporis & aeris vt omni tempore fiant aliqui morbi; sed quod interdum aut exigui aut nulli fiant, hoc fit per accidens.

Lib. de aer. aq. & locis. Accidens autem hoc, est duplex: Alterum, quod proposuit Hipp. vbi scribit, quotiescunque flatus salubres spirant in aliqua parte, vt boreas, semper salubritatem insignem inducit. Alterum est, ratio victus: potest enim fieri interdum, vt homines multo rectius & prudentius viuant vno, quàm alio tempore: vnde sanè morbi pauciores fiunt. Quam verò ob causam Hippoc. post sententiam quàm audiuistis attigerit exemplum Perinthi, iure quæri possit. Sed non est admodum difficile causam aperire. quia constitutiones, & tempestates sunt res quædam vniuersales: vniuersalia non compræhenduntur, nisi particularibus declarentur. Propterea vt ostenderet sententiam veram esse, summo iure exemplum particularis constitutionis Perinthij addidit. Sed hoc quidem satis clarum est, illud verò multo magis dubitationem, & admirationem habet, cur Hippoc. potius constitutionis Perinthi meminerit, quàm alterius. Sciò plærosq; dicere posse, hoc fecisse Hippoc. quia forsan tunc temporis inconstantia erant tempora in Perintho. Veruntamen puto ego Hippoc. vulgaria contempsisse, neq. digna censuisse annotatione. Itaq; multo altior illum causa impulit, vt hoc obseruauerit. Corpora quæ in insalubribus locis viuunt, id habent, vt multo minus aeris mutationem sentiant, quàm illi, qui viuunt in locis salubribus: adeo vt Plin. etiam dixerit, assueta corpora, in pestilentia etiam aeris perdurare. Corpora verò quæ viuunt sub plagis salubribus, cum assueta sint valetudini, solent sentire quaslibet mutationes. Quod si verum est, iure ab Hippoc. Perinthij constitutio proposita est, quia hæc Vrbs erat insaluberrima. Erat Perinthus (Heraclea vocata) Vrbs in propontide Thraciæ nobilissima multis Imperatorũ ædificijs, & theatris exornata, per quam

Lib 4. etiam Vrbem narrat Herodotus transiuisse fluuium, quo curabatur scabies hominum, & iumentorum. Posita erat præterea prope mare. Vnde Perinthus erat admodum insalubris, & præ cœteris incolæ eius erant obnoxiæ destillationi in pectus. hoc verum esse,

6. Epid. sec. 7. potestis colligere ex ipso Hippoc. non alia sane ratione. quam Gal. narrat fuisse Romam

Lib. de humoribus. & vniuersam Italiam. Erat igitur Perinthus, quod ad corpora spectat incolarum, valde insalubris. Non secus quoq. quantum ad ingenia hominum attineret, insalubris fuit. quia

5. meth. de temp. morb. Thracum ingenia adeò obtusa erant, vt Arist. dixerit, non potuisse Thracem numerare

Lib. Prob. vsq. ad quartenarium numerum, ob summam ingenij, & memoriæ hebetudinem. Et in hac regione Thraciæ erat Abdera vrbs, de qua scriptum habemus, Abderitana pectora fuisse admodum insulsa. Si ergo hæc regio fuit insalubris ingenijs, & corporibus, recte

huius

huius vrbis meminit. Si enim in inconstantibus temporibus, morbi fiunt inconstantes, & difficilis iudicij; multo magis illud accidet in tali vrbe. Itaq; videtis artificium admirabile diuini Hippocratis.

Τὸ δὲ ἔαρ τὸ ἐπίπαν ὑγιεινότατον, καὶ ἥκιστα θανατῶδες.

Ver autem vniuersim saluberrimum est, & minime lethale.

Hipp. scribit in Aph. lib. tẽpora incõstantia parere morbos inconstantes. deinde, autumnũ facere morbos acutissimos, & lethales. & subiungit, ver autem saluberrimum. Hoc autẽ loco aliũ ordinẽ secutus est, quia primò locutus est de autũno, deinde de incõstatib. tẽporib. post subiũgit de vere. Adeò vt videatur non ignobilis diuersitas in ordine, quã seruauit Hipp. hoc in loco & in Aph. Sed facile est hunc nodũ soluere, quia vt alias dixi, Hipp. in lib. Epid. & præsertim secũdo, & sexto notauit obseruata ab ipso omnia sine ordine. Senior factus, cum cõstituisset redigere in ordinẽ, multa mutauit in Aph. ex lib. Epid. Sed de his satis. Illud sciendum est, hanc sententiam esse puram & nudam, sine vlla ratione. Cur autem non addiderit huic sententiæ rationem, causa potissima fuit, quia hæc sententia est & vsu & ratione ab omnib. spectata satis & probata: Quis enim ignorat, inter omnia tempora anni, ver non tantum esse saluberrimum, sed etiam iucundissimum. Animalia bruta ipsæq; plantæ hoc etiam clarissimè demonstrant: siquidem, quemadmodum testatur Aristot. vere animalia maxime ad libidinem incitantur, & generant. Et scribit Theophrastus, tempore veris tellurem velut gaudere & plantas, atque stirpes omnes geminari, ac florere. Igitur in tanta rei perspicuitate non debebat vllam addere rationem. Continet tamen duas pulcherrimas præsens sententia contemplationes, altera est, qua ratione ver sit saluberrimum. altera, cur Hippocrates non contentus dixisse, ver esse saluberrimum, adiecit ἥκιστα θανατῶδες, ideft, minimè lethale. Quò ad primum, Gal. in explicatione noni Aphorismi inquit, quia ver temperatum est, propterea esse saluberrimum. quam sententiam etiam habuit idem Galenus alijs in locis. Sed aduersus eam primum videtur esse Hippocrates, quando scribit ver esse calidum & humidum. corpora calida & humida tantum abest, vt sint temperata, vt ipsemet Galenus dixerit, huiusmodi constitutionem esse periculosissimam: quod probat exemplo Cranonis. Præterea Aristoteles dicit ver esse morbosum, quia fit transitus a frigore ad calorem. addit Plutarch. vere fieri, territrua, fulgura, propter aeris intemperiem. Hæc quæstio & antiquitus, & hodie agitata admodum est, de salubritate & temperamento ipsius veris. Sed dicam ego breuiter. quid sentio: scilicet, temperaturam seu temperatum dupliciter accipi posse, vel simpliciter, vel comparatiuè. Simpliciter id dicitur temperatum, quod adeo correctas habet qualitates elementorum, vt nulla alteram excedat. Dicitur autem, temperatum respectiuè, quod respectu aliorum, propius accedit ad temperatum simpliciter. Iam cum primo modo accipitur, certe ver temperatum minimè dici potest, quia non habet qualitates ita inter se temperatas, quin altera alteram superet. Et hoc modo locuti sunt omnes qui tribuerunt intemperiem ipsi aeri verno tempore. Si secundo modo loquamur, ver intredici potest temperatum; quia si comparetur hyemi calida est eius temperies; si æstati humida. Adeo vt manifestissimè videatur ver esse temperatum, hoc est medium inter hyemem, & æstatem, Imo verò si videre vobis placebit interpretem antiquum noni aphorismi videtur non intellexisse εὔκρατον, sed εὐκρατότερον, comparatiuè. Sed alius fortassis neque respectu aliorum temporum, ver esse temperatum dixerit, ex Hippocrate, qui dum enumerat morbos veris, non enumerat pauciores, sed plures quàm alijs anni temporibus. Si ergo vere fiunt tot morbi, non videtur vlla ratione debere appellari temperatũ. Respondeo, enumerari quidẽ ab Hipp. multos morbos vernos, sed illos nõ fieri vere. Melancolia nõ fit vere: epilepsia nõ fit vere: sed enumerat hos morbos, quia potissimũ vere apparent, nõ quod veris tempore semina illorum prius cõcipiantur. Quare opertũ iam esse arbitror, ver esse temperatũ, respectu aliorũ temporũ anni, & propterea

3. Aphor. 8.
2. Apor. 9.
6. de hist. aial. cap. 18.
3. de cau. pl. c. 4. & 3.
1. de temp. c. 4 & 1. in 1. Ep.
Li. de nat. hu.
1. Prob. 7.
3. Aphor. 20.

D salu-

faluberrimum. Sequitur secunda contemplatio scilicet cur Hippocrates non contentus fuit dixisse ver esse saluberrimum, sed addidit ἥκιστα θανατώδεις. Non absq; summo iudicio addidit hanc particulam. Dixi nuper in vere fieri etiam aliquot morbos, quemadmodum in omnibus alijs anni tempestatibus. Et quamquam ver statuatur ex alijs temporib. temperatius: nihilominus possunt in ipso fieri morbi, qui necem inferant. Sed vt Hipp. doceret aerem saluberrimum esse tempore veris, & tamen si in ipso fiant morbi, illos non esse exitiales, quemadmodum in alijs temporibus. eapropter ad tollendam hanc dubitationem ex animis hominum, iure addidit ἥκιστα θανατώδεις non solum ver saluberrimum esse, dicens, sed minus etiam exitiale. Sed cur dicit Hipp. morbos veris esse minimè exitiales? Quia mors & vita in morbis non aliunde dependent, quàm ex victoria morbi & facultatis corporis regentis. si facultas corpus regens vincit morbum sequitur sanitas. si morbus, mors. Iam verò vere facultates corporis nostri robustæ sunt, quo fit, vt morbos, qui alioqui sua natura non sunt admodum lethales, superet: Vt hac ratione ver minimè sit exitiale. Sed hæc res ita sese non habet, quia Hipp. scribit, ver esse tabidis inimicum, & præsertim cum folia ficus similia sint pedibus cornicum. Igitur non videtur adeo esse salubre, quia in eo fiunt morbi aliqui exitiales. Respondeo, verum quidem esse, tabidos vere perire, sed non vitio veris, verum quia, cum ipsorum calor sit admodum imbecillis & fractus, tempore hyemis concluso vniuerso corpore facile pusillus ille calor conseruatur: vt videmus pusillum ignem coactum sub cineribus, diu conseruari. Vere autem, quia tum corpora incipiunt aperiri, facile fit, vt expiret paucus ille calor, quemadmodum videmus paruũ ignem, vbi conclusus est sub cineribus, si vel minimum spiraculum habeat, statim interire. Quare effectus hic tabidorum minimè facit, vt ver non sit saluberrimum. Ex quibus omnibus possumus colligere documentum ad medicinam faciendam, & præsertim ad artem prædicendi vtilissimum. quia, vbi tempora sunt inconstantia debemus semper prædicere & metuere, ne morbi fiant inconstantes & mali iudicij. Neq; valet, quod huiusmodi morbi non cognoscantur in ipsa constitutione; quia vt cognoscantur, infallibilis veritas est eorum, quæ dicit Hipp. non solum oportet considerare præteritas, & præsentes constitutiones, sed etiam sequentes, quia euenit, vt dum tempora inconstantia perdurant, resistant quidem corpora, sed vt concepta de in semina morborum in alijs morbis pateſiant. Aliud documẽtum est quod tempore veris, etiamsi morbi non adeo exitiales sint, debeant tamen medici diligentiores esse circa curam valetudinis. quia quo magis tempore homines sanitate vtuntur, eo maior diligentia debet adhiberi, non solum in sanitate reparanda, sed conseruanda.

Πρὸς τὰς ἀρχὰς σκεπτέον τῶν νούσων εἰ αὐτίκα ἀνθεῖ· δῆλον δὲ τῇ ἐπιδόσει, τὰς δὲ ἐπιδόσιας, τῇσι περιόδοισι, καὶ κρίσιας ἐντεῦθεν δῆλοι. καὶ τοῖσι ἐν τῇσι περιόδοισι παροξυσμοῖσιν, εἰ πρωϊαίτερον, ἢ οὔ· καὶ εἰ πλείονα χρόνον, ἢ οὔ. καὶ εἰ μᾶλλον, ἢ οὔ.

Initio morborum considerandum, an statim floreant. Manifestum autem iuramento: ipsa autem incrementa periodis, & iudicationes inde manifesta, & ipsis in periodis exacerbationibus, si prius an non, & an plus temporis, an non, atq; si magis, an non.

Quis sit scopus in præsenti dictione, non ita cõpertum videtur, eo maximè, quod qui hunc contextum tractarunt, diuersas habuisse sententias videntur. Veruntamẽ sum in hac sententia, scopum Hipp. in præsenti oratione nullum alium esse, quàm docere, qua ratione debeat medicus indagare diem indicationis. Nam inter omnia medicinæ negotia, nullum est difficilius, aut vtilius, quàm cognoscere diem crisis atq; eius tempus. Siquidem non solum hoc confert ad præcognoscendum (in qua re solet esse posita medici gloria) sed etiam ad curationem instituendam, præsertim ad victus rationem præscribendam. Et propterea valde laudandus est Hipp. quod de iudicationibus hæc breuiter annotauerit.

Cum

Cum ergo propositum Hippoc. sit, demonstrare rationem indagandæ crisis, totum hoc caput in quatuor partes diuidi potest. Prima pars est; Ad principium morborum spectandum est, si statim floreant. Secunda, cognosci hoc ex incremento. Tertia, incrementa cognosci periodis. Quarta, iudicationes cognosci tum ex præcedentibus, tum maximè ex collatione paroxismorum inter se se: scilicet si anticipent, vel postponant; si diutius durent, vel minus: si acerbiores sint, aut non. Incipiamus primam partem contemplari, vt Hippoc. doctrinam gustemus. Inuenio hac prima in parte duplicem esse Hipp. sensum: alterum, vt dicat, in initio notandum esse an morbi floreant, id est, vtrum sint in vigore. nam hæc vox ἀνθεῖν & ἐξανθεῖν familiarissima est Hippoc. quemadmodum docet Erotianus in Onomast. Hippoc. Altera interpretatio est, vt dicat, ad cognoscendum principium morbi oportere diligenter spectare, vtrum statim floreant, hoc est an subito in vigore futuri sint morbi. Mihi verò ex his duobus, placuit semper posterior: scilicet verè Hippoc. in hac prima parte docere, quo pacto ex cognitione vigoris morbi cognoscatur principium. Sed quamquam hæc expositio videatur probata a Gal. habet tamen non exiguam difficultatem; siquidem cum vigor sit posterior ipso principio, videtur absurdum, vt posterius doceat, & demonstret prius. Vt hunc admirabilem virum cognoscatis nunquam sine summa prudentia quicquam scripsisse, attendite. Cuncta quæ oriuntur sub hoc siderum globo, & præsertim viuentia, primum oriuntur, tum augentur, dein consistunt, deniq; declinant. Vt nullum sit ex viuentib. reperire animal, quod nisi fatũ antecedat, non pertranseat hæc tempora, principium, incrementum, statum, & declinationem. Arist. & Plin. existimasse nonnullos scribunt, crocodilum semper augeri. Sed ego semper illud pro fabula habui: quia non patitur hoc natura, vt vlla species non transeat hæc tempora. Ad similitudinem horum in viuentibus temporum, constituerunt Medici in morbis quoq. similia quatuor tempora: qui morbi tametsi pura sunt accidentia, nec videantur cum viuentibus similitudinem habere, nihilominus oriuntur, augentur, cõsistunt, declinant. Vt non immerito eos diuiserint etiam Medici in quatuor tempora, vt res suas melius componere possent. Quæ tempora duplicia sunt: alia enim sunt vniuersalia, de quibus pulcherrimum librum edidit. Gal. alia sunt particularia. Vniuersalia tempora in morbis dicuntur ea, quibus metiuntur omnes morbi a principio vsq; ad perfectam solutionem: siue sit vnius mensis, siue sit pauciorum dierum, siue plurimum. Et totus hic tractus temporum morborum, appellatur a Medicis græcis σύστασις: nostri dicunt constitutionem morborum esse. Tempora autem particularia sunt illa, quibus vnaquæque accessio, periodus, & paroxismus mensuratur. Et siue vniuersalia siue particularia sunt illa, quibus vnaquaq; accessio, periodus, & proximus mensuratur. Et siue vniuersalia, siue particularia capiamus tempora, semper habent principium, augumentum, statum & declinationem. Loquor de morbis, qui ad salutem terminantur; quia morbi lethales minimè percurrunt hæc omnia tempora. quia aliqui moriuntur in principio: nonnulli in incremento: quidam in statu: nullus vero in declinatione. Cum igitur hæc ita sese habeant, vt quod dicit Hipp. diligenter assequamini operæ prætium est aliud sciatis, quod disertissimè nos docuit Gal. scilicet apud Medicos, esse triplex principium morborũ. Nam appellatur principium morborum, primus ille insultus, prima aggressio morbi, atq; primus impetus morborum, interdum latior est nonnunquam angustior. sed fere semper tamen angustior est. Accipitur alio modo, pro tribus prioribus diebus morborum. de quo principio cum loqueretur Arist. dicebat apud Ægiptios vetitum fuisse, ne Medicus primis tribus diebus quicquam operaretur circa ægrum. alioqui quicquid mali eueniret ægris, Medici pro eo dabant pœnas. Quam constitutionem puto ego postea secutum esse Thessalum, qui instituit διάτριτον vocatam medicinã. eo quod tribus primis diebus nihil prorsus agebat, & exactissima inædia ægros macerabat. Tertio modo accipitur principium pro toto illo tempore morborum in quo nullum apparet iudicium coctionis, sed omnia cruda sunt. hoc tempus solet esse in plærisq; amplum in plærisq; breuius. Cum igitur hæc sint tria principiorum genera, Hipp. hoc in loco, neq; de priore loquitur, neque

Margin notes: 1. de Crif. c. 6. — 5. de Hist. aral cap. 37. Lib. 8. cap. 25 — 1. de Crif. cap. 7. 8. 9. — 3. Polit. 11.

de ſecundo, ſed de poſtremo: atq; hoc ſcribit cognoſci ex ipſo vigore, hoc eſt, ſi vigor ſtatim, vel tarde appareat. Veruntamen, vt rectè etiam hoc intelligatis, ſciendum eſt, id

3 de Criſ. c. 4 & alijs.

quod Gal. pluribus in locis ſcribit, vbi loquens de comparanda cognitione iudicij, in morbis, inquit: primò ſpectandam eſſe naturam, & ideam morbi: dein magnitudinem: tertio motum: quarto morem. Ex quo elicitur, neceſſarium eſſe ad cognoſcendam criſim, ideam & formam morbi habere exploratã. Iam verò cognita ideà morbi, facile eſt ex ipſo vigore cognoſcere principium, quia exempli gratia: angina offerratur, idea huius morbi eſt, vt quarto die habeat vigorem. Itaq; poteſt ſolers Medicus facile intelligere, primum diem huius morbi eſſe principium: quia ſtatim in vigore eſt. Pari pacto ſi offeratur pleuritis. idea huius morbi eſt; vt ſeptimo die ſit in vigore. Igitur poterit Medicus ex cognitione huius vigoris intelligere, circa tertium diem perdurare quoq; principium. Pariter dicere poſſumus de morbis diuturnis, hoc eſt quartana: quod cum ſoleat habere vigorem tertio, vel quarto menſe; principium eius eſſe primis menſibus ipſis. Videtis ergo quàm appoſitè Hippoc. dixerit, Ad principium morborum ſpectandum eſt ſi ſtatim floreant. Iam verò dicit ſtatim Hippoc. morbi vigorem cognoſci ex incremento, quomodo hoc ita eſt? Quia cum immediatè vigor ſequatur augumentum, vbi Medicus videt morbum in augumenro eſſe, & properare; facile intelliget vigorem proximum eſſe. quemadmodum ait Hippoc. cogniſcitur incrementum ex ipſius morbi paroxiſmis: quia ſi paroxiſmi acerbiores fieri animaduertantur, certum eſt, in incremento morbum adhuc eſſe. quemadmodum in vigore eſt morbus, quando paroxiſmus in eodem ſtatu permanet. Subiungit Hippoc. poſtremo loco Iudicationes cognoſci, tum ex his, tum ex collatione morborum inter ſe. Ex principio, augumento, & ſtatu. cognoſci criſim, & iudicationem cērtiſſimum eſt. quia nulla vera criſis fit, niſi in vigore. Itaq; ſi non fit niſi in vigore, clariſſimum eſt, quod vbi videtur morbus in principio eſſe atq; augumento, non poſſe non expectari vigorem. quemadmodum vbi eſt in vigore expectanda eſt criſis. Ex collatione etiam paroxiſmorum cognoſcitur criſis: quia vbi anticipant paroxiſmi, morbus eſt in incremento: quando verò poſtponunt, potius in declinatione. vbi eiuſdẽ manentte noris, vigor adeſt. pariter ſi paroxiſmi ſunt diuturniores, morbus augetur: ſi breuiores diminuitut. Adeo vt facilè intelligatis, Hippoc. certãm, & ſolidam doctrinam nobis de iudicationum cognitione attulliſſe. Sed duæ hic oriuntur dubitationes: Altera eſt, cur Hippoc. in declaranda iudicatione, non vſus fuerit, quemadmodum alijs temporibus ſignis cruditatis, atq; coctionis, & eo maximè quod Galen. in lib. de Criſibus totum negotium iudicationis videtur in hoc collocaſſe, vt diligentiſſimè attendantur ſigna cruditatis, & coctionis. Altera verò dubitatio eſt: Cur Hippoc. meminerit hoc loco principij augumenti, & ſtatus, atq; de declinatione nullam fecerit mentionem, cum tamen declinatio ſit pars etiam paroxiſmorum. Circa primam dubitationem dicendum eſt, verum quidem eſſe, tempora morborum mirum in modum cognoſci ex ſignis cruditatis & coctionis; imò

4. Meteor.

verò Ariſt. dicebat Medicos propterea ſpectare excrementa, vt cognoſcant coctiones, & cruditates, quemadmodum quoq; Auic. videtur omnem cognoſcendi tempora morborũ

Prima 4 t. 4. cap 3.

rationem in hoc poſuiſſe: tamen illud non eſt vſq; adeo artificioſum, quemadmodum eſt modus quem indicauit Hippoc. quia ſcire, vbi coctio apparet, proximam eſſe iudicationem, & expectandam eſſe criſim, non eſſe arduum, plane mihi perſuadeo, etiam mediocriter in arte medica verſatum. Sed ex ſola temporum morborum ſpeculatione hoc ſcrutari, intelligereq; ſolertiſſimi, & peritiſſimi eſt Medici. Atq; Hippoc. vt audiuiſtis, his libris nequaquam vulgaria, ſed tantum abſtruſa & recondita a vulgo Medicorum perſequitur. Itaq; iure ſiluit ſigna coctionis & cruditatis, contentus ſignis a morborum temporib. petitis. Reliquum eſt, vt ad ſecundam dubitationem mea nunc vertatur oratio. Tres, (vt ego puto) fuerunt cauſæ, quibus impulſus Hippoc. declinationis non meminerit: vna quia (vt ante dixi) ſcopus ipſius eſt declarare modum præcognoſcendi morborum iudicationes. certe declinatio nihil ad hoc facit, quia vbi declinatio eſt, non expectanda eſt criſis, aut fuit. Alia ratio eſt, quod declinationis contemplatio non eſt vtilis ad curationẽ

quia

quia vbi morbus declinat, cessant omnia auxilia. Neq; est etiam vtilis ad instituendam victus rationem; quia hæc mensuratur quidem, sed in longinquitatem, vel proximitatem iudicij. Vnde declinantibus morbis, non est opus amplius victus rationem præscribere: quia nemo non illam eo tempore tenet. Summo igitur iudicio tacuit Hipp. declinationem hoc in loco. Cum ergo ad crisim cognoscendam maximè confert cognitio temporis morborum, & comparatio paroxismorum inter se, operæ pretium est breuiter intelligere quid sit periodus, & quid sit paroxismus. Est enim periodus apud Medicos nihil aliud, quam reditus iteratus morbi ab eodem termino ad eundem terminum. vt quotiescumq; aliquis morbus plures reditus habet, plures habere periodos dicatur. In huiusmodi reditu aliqua pars morbi mitior est, aliqua immanior & molestior. Pars mitior, qualiscunque sit, solet vocari διάστημα siue interuallum. pars autem quæ molestior est, παροξυσμὸς nostri exacerbationem vocant. Igitur quod dicit Hippoc. conferendos esse paroxismos inter se, atq; latissimè explicauit Gal. magnopere confert ad comparandam iudicationis cognitionem. Et hæc est vtilitas quæ acquiritur ex præsenti lectione Hippoc. vt in medicina facienda studeatis diligenter cognoscendis temporibus morborum, & præsertim paroxismis, atq; ijs etiam inter se conferendis.

Πάντων δὲ τῶν συνεχέων ἢ διαλιπόντων τῶν χρονίων, καὶ τρωμάτων, καὶ πτυέλων ὀδυνωδέων, καὶ φυμάτων, φλεγμοναὶ, καὶ ὅσα ἄλλα ἐπιφαίνονται ὕστερον. ἴσως δὲ καὶ ἄλλων πρηγμάτων κοινῶν, τὰ μὲν θᾶσσον βραχύτερα. τὰ δὲ βραχύτερον μακρότερα, καὶ ἐν περιόδοισι τὸ ἐπιπρωιαίτερον, καὶ ἄλλης ἐπιδόσιος ἀπανδάσης τὸν νόσυ.

Omnium autem continuorum, & intermittentium quæ longa, & vulnerum, & sputorum cum dolore. Et tuberculorum inflammationes, & quæcumq; alia apparent posterius. Forte autem, & aliarum rerum communium, quæ celerius breuiora, quæ autem tardius longiora. Et in periodis quod prius, & aliud incrementum reijciente morbo.

Maior pars huius orationis in contextu græco adeo confusa est, vt fere nullus sensus Hippoc. dignus elici possit. Nonnulli elaborarunt, vt elicerent aliquem sensum. Sed in permutandis codicibus veterum, semper religiosus esse soleo, quod Gal. monuit omnes ne hoc faciant absq; testimonio veterum exemplarium. Propterea quia confusa est dictio, ea quæ hic proponi videntur sub velo Hippoc. mox clarius explicabantur. Quare transeo ad alia.

Καὶ γὰρ τῶν παραχρῆμα ἀπολλυμένων, ταχύτεραι αἱ κρίσιες, ὅτι ταχέες οἱ πόνοι, καὶ ξυνεχέες, καὶ ἰσχυροί. τὰ δὲ κρίνοντα ἐπὶ τὸ βέλτιον, μὴ αὐτίκα ἐπιφαινέσθω.

Etenim eorum qui statim morituri sunt, celeres iudicationes, etenim labores celeres, continui, & vehementes. Quæ autem iudicantur in melius, ne statim appareant.

Vniuersa (quam audiuistis) dictio grauis est, & nostro Hippoc. dignissima, veruntamen indiget aliqua luce, vt a vobis compræhendatur. Propterea, vt vestræ vtilitati consulam, putaui partiendam esse in duas sententias, velut duos Aphor. Prior est, cum ratione: posterior, sine ratione. Itaq; prioris sententiæ sensus est, eos qui citò perituri sunt citò iudicari; quoniam veloces, assidui, & validi sunt labores. Adeo vt si placeat alicui curioso ingenio hæc verba Hippoc. in elegantem syllogismum reducere, posset hoc pacto. Vbi sunt citò labores validi, & continui, citò ægri pereunt: sed vbi fiunt celeres iu-

dicatio-

dicationes, fiunt celeres labores, assidui, & validi: ergo vbi ægri sunt perituri, celeres fiunt iudicationes. Elegantissima est, & accommodatissima Hippoc. ratiocinatio, quam vt adhuc intimius penetrare possitis, operæ prætium est rectè intelligatis, quid sit crisis. quæ res vsq. adeo magni momenti in medicina facienda est, vt omnes Medici defigant aciem omnem ingenij sui in hanc vnam. Crisis significat quodlibet iudicium de quacunque re factum: vnde apud Veteres, illi qui iudicabant scripta Poetarum, vel aliorum, κριτικοὶ Græcè, critici a Latinis appellabantur. de quibus satis superq; scripsit Sext. Empiricus, & Gal. etiam noster. Alio modo accipitur communiter pro sententia, seu iudicio, quod facit iudex inter actorem & reum. Ad quam similitudinem scribit Gal. Medicos vocasse iudicia naturæ crises. Cæterũ crisis Medicorũ, quemadmodũ ego diligenter obseruaui, quatuor modis tum in doctrina Hippoc. tum maximè in doctrina Gal. accipi solet.

1. Aph. 19. Primo enim crisis accipitur pro ipsa accessione morbi, & hoc pacto locutus est Hipp. quem locum interpretantes Gal. & Philotheus, dixerunt; vocari eo in loco ab Hippoc. crises, ipsas accessiones. Secundo modo accipitur pro solutione morbi quæcumq; & qualiscumque sit. Et Celsus noster elegantissimus, semper solet apud Hippoc. vertere hanc vocem κρίσιν & κρίνεσθαι, solutionem, & solui: vt ego puto, imitatus Hippoc. qui in libris Epidem. cum vult significare aliquem eorum morbo defunctum, dicit esse iudicatum. Sic etiam

2. de Crisis. & alib. inuenietis Gal. dicentem, quandoq; febres hæticas esse iudicatas, hoc est solutas. Tertio modo vsurpatur hæc vox pro qualibet expulsione facta a natura rei molestantis. nã Hipp.

Lib. de sep. partu. expulsionem fœtus a natura factã appellauit crisim. Postremò accipitur pro magna & repentina morbi commutatione, quæ & proprior, & frequentior omnibus alijs significatio est. Et aduertite vere sic appellatam esse crisim a Gal. quia etiamsi magna fiat mutatio in morbis nisi tamen repente fiat, non appellatur crisis, sed solutio; quemadmodum disertis-

De Cris. lib. 1. simè notat Gal. Iam verò crisis hoc quarto modo & propriè accepta adhuc triplex est, vt luculentissimè docuit Gal. loco citato, vel enim magna & repentina mutatio fit ad certam, & firmam salutem, vel fit ad certam & firmam mortem. Si mutetur ad certam salutem, vera perfecta & propria crisis est, atq. in hac cognoscenda laborare consueuerunt Medici: hanc semper in mente defixam habent. Si fiat hæc mutatio ad mortem, vocatur mala, & perniciosa crisis. Inter has crises veram & perfectam, & perniciosam atq; læthalem, est quoq; altera media, nempè quando fit quidem magna, & repẽtina mutatio morbi, sed nõ ad certã salutẽ, aut mortẽ: sed vt dicit Gal. in melius, vel deterius. quasi fiat interdum crisis, quæ est quidẽ mutatio in melius, sed non in certã salutẽ, vt in deterius, sed nõ in certũ interitũ. Propterea tres sunt species crisis quarto modo acceptæ, & ꝑpriæ scilicet, ꝑfectæ, imperfectæ, & mediæ. Perfecta crisis opus habet multis euidentissimis signis, quæ in sequentib. declarabimus. Sed oportet præ cæteris, vt fiat apparente perfecta coctione, vt fiat debito tẽ-

2. Aph. 17. pore, & potissimum diebus imparibus, quemadmodum Hipp. explicatissimè docuit. His itaq; hunc in modum explanatis iam strata vobis est via ad intelligendum, quicquid dicit Hippoc. in tota hac dictione. Nam cum dicit, eos qui citò morituri sunt, celeritet iudicari: perspectissimum esse vnicuiq; potest, loqui de ea iudicatione, quæ est contraria perfectæ, hoc est perniciosa, quæ est subita, & magni morbi mutatio in malum. Pari pacto intelligere licet iure apposuisse hanc causam Hippoc. quod in initio sunt labores celeres, assidui, & magni, quia vbi cito pereunt, sane illi eueniunt. quando nimirum vis morbi maior est ipsa natura. Vis morbi pendet ex materia morbifica, quæ peccat, vel qualitate, vel quantitate, vel vtriusq; Vbi igitur in initio est materia maximè perniciosa, necessariò stimulat naturam ad sui excretionem: vnde natura, etsi sit minor morbo, aggreditur tamen expulsionem, quæ quoniam importuna, & imbecillis fit, hinc sequitur, vt neq; secundum qualitatem, neq; secundum quantitatem fiat motus ipsius materiæ. Et propterea etiam initio fiunt labores celeres, continui, & magni: celeres, quia tanta est læsio, vt natura maximè properet ad materiæ expulsionem. fiunt assidui labores, quia materia copiosa est necessario. Magni deniq; quia lucta & certamen est inter duos maximos hostes, hoc est inter immanem vim morbi, & naturam non admodum prostratam.

Adeo

Adeo vt facile videre poſſitis, nullum verbum otioſum Hippoc. noſtrum protuliſſe. Id quod maximè etiam debet vos monere, has tres conſtitutiones propterea quoque appoſuiſſe Hippoc. quia fiunt etiam labores poſt perfectam criſim, ſed nequaquam tamen cum his conditionibus. Et ſcribit Hippoc. in Aphor. Nox quæ antecedit criſim, ſemper grauior eſſe ſolet. *2. Aphor. 18.* Ex quibus manifeſtè colligitur, in criſi perfecta fieri labores, atque poſt eam; ſed differre, quia illi ſunt celeres, aſſidui, & magni. qui verò poſt perfectam criſim fiunt, celeres quidem eſſe poſſunt & magni, vt vertigo, dolor, & animi deliquium, ſed non ſunt aſſidui. Et hoc ſignificauit Hippoc. quando ſubiunxit, nox verò quæ ſubſequitur facilis eſt. Sed video hoc in loco dubitari, cur Hippoc. ſolum erroris ſecundum tempus meminerit. Nam criſes peccare ſolent in quantitate, quando deficit quantitas humoris expulſi. In qualitate, ſi humor qui purgari debet expurgetur. In modo, ſi non fiat expulſio per vias decentes. In tempore, ſi intempeſtiuè. Dixi vobis huncamantiſſimum fuiſſe breuitatis, & delectatum fuiſſe paucis verbis multa complecti. Hoc his verbis fecit. Nam ſub tempore complexus eſt omnes errores, qui fiunt in imperfecta & exitioſa criſi. quia vbi celeres, & nimium tempeſtiuæ fiunt iudicationes, accidit id ſane, quia materia morbifica valde copioſa eſt & inimica atq; cruda, hoc eſt permixta bona cum mala. Vbi ergo natura exiſtente materia cruda & inobediente, mouetur ad ipſius expulſionem, neceſſe eſt fieri peccatum in quantitate, qualitate, modo, atq; tempore. quia cum materia bona mixta ſit malæ, bona iuxta expellitur, ac mala, & propterea, minus inutilis noxiaque expellitur quàm conueniat, & plus bonæ. Non ſecus atq; cum ſit cruda, non expellitur, qualis deberet expelli. Neq; etiam ſæpe natura expellit per vias debitas, ſed furentis inſtar, huc atq; illuc, materiam ſibi inimicam propellere conatur. Et hinc cognoſcere poteſtis male Medicos aliquos operari, qui putantes ſe naturæ opitulari, interdum purgare conantur in initijs morborum. quia ſi verum eſt, quod ſcriptum nobis reliquit Gal. nihil *In com. de ac.* poſſe in principio rectè iudicari a natura, eſt quoq; veriſſimum, non poſſe Medicum in initio rectè euacuare, quod eo tempore ſunt labores celeres, aſſidui, & magni. Vt iure Ægiptij animaduerterunt in eos, qui in initio aliquid mouere ſtudebant. Sequitur ſecunda pars, iudicantia ad melius, non ſtatim apparere debent. Propoſita dictio Hipp. poſſet, forſan alicui videri ſuperuacanea, quia ſi prius dixit, celeres iudicationes inducere mortem, quis non videt, ſigna illa iudicantia, quæcumq; apparent initio, mala eſſe. Adeo vt videatur vna & eadem ſententia præſens, cum ſuperiore. Veruntamen non conſueuit Hippoc. ſuperuacanea annotare. Oportet ergo vt aliquo iudicio hanc particulam addiderit. Videamus itaq. qua ratione ſubtexuerit. Audiuiſtis iudicationem duplicem eſſe, aliam perfectam, quæ ſemper ad certam ſalutem tendit: aliam imperfectam, quæ ad certum interitum: his accedere quoq; mediam, quæ modo ad melius, modo ad peius vergit. In ſuperiori dictione locutus eſt Hippoc. de iudicatione imperfecta, quæ tendit ad certam mortem. Nunc autem loquitur de iudicatione quæ media eſt, & ad melius ſolet finiri, quaſi dicat abſolutiſſimus Medicus: non ſolum iudicatio perfecta non poteſt fieri initio, ſed ſemper fit exitioſa, verum etiam iudicatio ad melius, fieri non poteſt cito; ſed opus eſt tempore, vt aliqua ſaltem coctio appareat. Hæc igitur eſt ratio, qua impulſus Hippoc. addidit illa, vt plane demonſtraret, nullam bonam criſim fieri vnquam initio. Poſſumus etiam dicere Hippoc. in præcedentibus locutum eſſe de iudicatione: hic verò loqui de ſignis iudicationis. Iam verò ſine his iudicium non facimus. Igitur vt omnino plenam & perfectam traderet doctrinam, dixit: non ſolum iudicationes, ſed & ſigna iudicationis initio mala eſſe. Sed dubitari poſſet, vtrum verum ſit, ſigna præapparentia ſemper eſſe mala: ſiquidem in hoc ipſo libro narrat caſum cuiuſdam Bionis, qui cum laboraret inflammatione ſplenis, morbo ſcilicet acuto, in principio ſudauit copioſè, habuit *Lib. 2. 2. ſect.* fluxum ſanguinis è nare ſiniſtro: tamen inquit Hipp. ipſum ſanatum eſſe. Igitur non ſemper ſigna iudicantia in principio exitioſa ſunt. Tripliciter reſponderi poteſt huic obiectioni: primò Hipp. nequaquã docere ea ſigna apparuiſſe initio; ſed ſimpliciter dicere, maximè ſudaſſe, & ſanguinis fluxione laboraſſe. Altero modo reſponderi poteſt etiamſi

illa

illa signa in principio apparuerint, quemadmodum ego existimo, & verisimile est, tamen scribit Hippoc. morbum reuertisse: quod quidem signum est, illa signa non fuisse bona. Possumus tertio modo respondere, casum illum veluti rarissimum fuisse ab Hippoc. obseruatum & propositum. Atq. animaduertite, quod vbi Hippoc. videbat aliquid euenire contra regulas, & communia dogmata Medica, semper illud diligentissimè solebat obseruare, & scriptis commandare, quemadmodum in libris epidemiorum obseruare potetitis. Ex vniuerso hoc discursu potestis hoc documentum elicere, vt nunquam signis iudicatorijs apparentibus initio fidatis. Solent vuulgares Medici, & ad pauca respicientes vbi vident prima, vel secunda die ægros sudare, aut alui beneficium habere, maximè lætari, quasi propinqua sit salus ægri. Tamen plærunq. decipiuntur, quia non callent regulas cognoscendi iudicia naturæ.

Τὰ κρίμα, μὴ κρίνοντα, τὰ μὲν θανατώδεα. Τὰ δὲ δύσκριτα. Τὰ προκρινόμενα, ἢν ὠμῶς κριθῇ ὑποστροφαὶ, ἢν δὲ μὴ, ακρισία, γένοιτο δὲ ἂν καὶ ὀλέθρια, τὰ μὴ σμικρά.

Iudicatoria non iudicantia, partim lethalia sunt, partim difficilis iudicij. Quæ præiudicata, si cum cruditate iudicata sint recidiuæ, sin minus, in iudicationes, fuerint autem & lethalia, quæ non parua.

Multa antiquitus fuerunt obseruata, quæ hac nostra ætate paucissimi, aut nemo certe obseruare queat. Inter cætera est negotium crisium. Apud nos rarissimè videntur crises. Et ego sane, qui triginta quatuor annos medicinam feci, in vniuerso hoc vitæ meæ curriculo, rarissimas vidi crises perfectas: quæ tempore Hipp. erant frequentissimæ. Ita vt non sit mirum, si copiosissimus in docenda hac arte fuerit Hipp. & Gal. qui alias fuit diligens, in hac parte profectò fuit diligentissimus. Quare verò eueniat, vt hoc tempore non videantur ita frequentes crises, diu mecum cogitaui. Et nihil inuenio, in quo magis acquiescam, quàm modum nutriendi ægros esse omnino diuersum hodie ab antiquorum. Adeo vt non mirari oportet, si frequenter decipiamur; quia errores in victu perturbant omnem statum, & vim naturæ. Hipp. hic tria proponit de diebus iudicatorijs, æterna memoria dignissima. primum est, Iudicatoria non iudicantia, partim lethalia esse, partim difficilis iudicationis. Secundum, præiudicata, si crudè iudicata sint fieri recidiuas: sin minus, ἀκρισίας. Tertia pars erit. p̃iudicantia crudè, si nõ sint parua esse lethalia Adeo vt his paucissimis verbis, tria profundissima habeatis oracula. Ergo nostra iam cõuertantur oratio ad primam celebratissimamq. partem expendendam, & præsertim Gal. quæ quanquam verbis vsitatissimis ab Hippoc. hic nobis proponatur: habet tamen opus diligentissima interpretatione. Optimum verò est, vt signa decretoria primo explicentur: in quorum cognitione vis, & cardo totius huius disciplicæ consistit. Apud Medicos duo signorum genera præ cæteris frequentissimè numerantur. Scilicet signa coctionis, & cruditatis, necnon signa crisis. quæ signa crisis modo sic appellantur, interdum etiam signa decretoria. Signa coctionis, & iudicationis, in omnibus fere eadem sunt; prætetquam in duobus. differunt enim primum, quia signa cruditatis & coctionis immediatè significant vel coctionem, vel cruditatem materiæ. mediatè, hoc est, mediante coctione, crisim. Signa decretoria immediate significant ipsam crisim. Exempli gratia. sedimentum album, leue, & æquale in vrinis, pus album, leue, & fætoris expers, in abscessibus, sunt signa coctionis, quia immediatè significant ipsam coctionem: mediata verò coctione, futuram crisim. Cæterum expulsio copiosa sanguinis e naribus facta debito tempore significat crisim, aut quidpiam aliud. Est etiam alia differentia, quia signa cruditatis & coctionis, semper certam pronuntiant coctionem vel cruditatem: signa verò decretoria non semper. Et propterea obseruabitis infida nuncupata, quia interdum quoq. oculatissimos Medicos fallunt. Quod autem signa coctionis indicent semper certam coctionem, fit, quia sunt inseparabilia ab ipsa coctione. Et de hac loquebatur Arist. cum dice-

4. met. cap. 4. 1. sec. Prob. 53.

bat,

bet, propterea Medicos inspicere vrinam, atq; alia excrementa, vt coctionem explorarent & futuram, aut præsentem sanitatem. Sed signa decretoria adhuc duplicia sunt. vel enim purè significant ipsam iudicationem: vel significant quoque causam ipsius iudicationis. exempli gratia, dolor capitis, vertigo, deliria, vbi apparent in nocte antecedente crisim, de qua loquitur Hippocrates; significant quidem futuram crisim, vt dictum est; 2 Aph. 13.
sed non faciunt eam. quando verò signa sunt, quæ faciunt crisim, sunt ea, quæ magnas in morbis faciunt mutationes; quemadmodum sunt euacuationes materiæ morbificæ. Sed hæc exempli causa dicta sint. Signa ergò efficientia crisim, sunt propriè ea, quæ magnas & repentinas morborum mutationes efficiunt. Sed quæ sunt mutationes illæ? Ex natura rei inueniemus. Magnæ mutatationes non fiunt nisi a motu magno. Itaque si debent fieri crises, necesse est vt fiant a vehementi & magno aliquo motu: quemadmodum sunt expulsiones, quæ fiunt ab ipsa natura, quæ expulsiones nihil aliud sunt, quàm transmutationes materiæ, vel intra corpus a loco ad locum ab intimis partibus, ad externas, a nobilibus, ad ignobiles: vel fiunt extra corpus. In primo genere sunt rigores, qui fiunt transmutata materia ab intimis ad externa; abscessus a parte nobili ad ignobilem; sunt pruritus, scabies, vlcera; hæc omnia sunt signa decretoria efficientia crisim. Quæ verò extra corpus fiunt expulsiones, vel per vrinam, vel per aluum, vel per sudorem, siue per vomitum, aut per sanguinis fluorem eueniunt: qui sanguinis fluor, aut fit per nares, vel os, vel aluum, siue per vrinam, aut vterum. Quæ sunt signa decretoria significantia, & causantia, iam abundè satis a me dictum esse puto. Ex quibus videre potestis, quàm accommodatè faciant ad præsentem speculationem. Dicit itaque Hippocrates signa decretoria. Non intelligit quæ purè significant, sed ea quæ simul significant causam. Non iudicantia addit, nam hæc signa quæ tum significant, tum faciunt etiam iudicium, possunt quidem aliquando apparere, sed tamen non perfectam facere crisim. Hæc partim lethalia sunt, partim difficilis iudicationis. Sed quæ est huius rei necessitas? Summa sane, quia cum iudicatio fiat, vel ad certam salutem, vel ad necem; siue ad melius, siue ad deterius: signa iudicantia, si non pariant certam salutem, certè afferent mortem, pessima, vel dubiam, debilia. Sed quare, cum non faciunt perfectam crisim, illa necessario sunt δύσκριτα? quia materia non est parata, concocta, & disposita aptè ad expulsionem. quod cum ita sit, atque signa iudicantia faciunt maximas mutationes, fit vt initio, maximis mutationib. vires vel pareant, vel non superentur. Si vires nō resistant aduersus impetū morbi, sed inferiores, & impares sunt, necessariò succedit mors: quia vbi in maximis motibus natura vincitur, non amplius recuperat vires. Si verò mutationes repentinę, & vehementes, non penitus prosternant naturam, omnino morbus fit difficilis iudicatu; quia cum materia mota sit cruda, & fiat expulsio, viresque infirmantur, necesse est, vt aliqua portio in corpore relinquatur: qua remanente, necessario recurrunt morbi. qui cum longi sunt, & diuturni, tum facilius ad perniciem, quàm ad salutem ægri conuertuntur. Igitur videtis, quàm prudenter Hippocrates dixerit, signa decretoria non iudicantia, partim esse lethalia, partim esse difficilis iudicationis. Sed quanquam signa decretoria semper praua in principio sunt, tamen non semper sunt lethalia. Exemplum habetis apud Hippocratem, qui narrat, rigorem in principio semper malum esse: non tamen obseruatum est, in suis ægris, huiusmodi rigorem semper attulisse mortem. Præterea loquens multa de rigore, dicit, a febre ardente occupato, rigore accedente, solutio fit. Ex quo certè loco, constat, rigorem interdum bonum esse, nonnunquam malum. siquidem vbi extra principium, & augumentum superuenit, bonum est: vbi verò initio apparet, semper rigor malus est, non tamen semper lethalis. 1 Epid. sec. 3 Lib. 4. Ap. 58
Nunc ad secundam partem veniamus, quæ est, quæ iudicantur, si crudè iudicentur, recidiuæ, sin minus ἀκρισίαι, hoc est iniudicationes. Quæ vt optimè intelligatis, operæ pretium est, videre, quæ sint ea quæ indicantur, & quid significat ὑποστροφή, vel recicidiua, & quid ἀκρισία. Ea quæ iudicantur, possunt esse vel corpora ægrorum, vel ipsi humores. nam æque dicuntur apud Hippocratem ægri iudicari, atque humores. hoc tamen in

E loco

2. *Aph.* 12. loco puto ego potius intelligendum esse de humoribus, tum quia, cum dixit in Aphorif. quæ relinquuntur in morbis, recidiuam faciunt, manifestum est, loqui de humoribus: tum quia easdem sententia, aut non admodum dissimilis hoc in loco continetur. Quid autem sit ὑποστροφή, a plerisque etiam variè disputatum inuenio. Sed verissimum est, nihil aliud esse, quàm reditum morbi, post imperfectam eius solutionem: morbi inquam, eiusdem generis. dico autem post solutionem, quia vbi morbus perdurat, etiamsi interdum egregiè remittatur, non dicitur tamen redire, quia nullo modo vnquam solutus est. Addidi, eiusdem generis: quia interdum propriè est reditus morbi eiusdem, vt tertianæ ac quartanæ, & est recidiua. aliquando accidit; vt etiamsi soluatur morbus, & post solutionem iterum morbus redeat; non appellatur tamen recidiua, sed nouus morbus. Iam intelligere vos quoq. plane mihi persuadeo Auicenam, quando scribit recidiua est peior sua radice: quasi voluerit recidiuam cum morbo habere idem germen, & ab eodem genere proficisci: & cum vires infirmitate & fractæ admodum sint priore morbo, vt ab altero magis languescant, & concidant. Cæterum ἀκρισία apud Hipp. proprie significat perfectam carentiam, tum signorū decretoriorum duntaxat, tum, etiam eorum, quæ significant simul causam. quia quidam morbi adeo latenter finiuntur, vt nullum signum appareat interdum ex his. Superest, vt videamus, quid Hippocrates nos his verbis docere velit, quando dicit, quæ iudicantur, si crudè iudicentur, recidiuas fieri: sin minus, ἀκρισίας. Quæ est ratio, cur humores crude iudicati, efficiant recidiuas.? Hoc Galenus clarissimè docuit, quando scribit, quotiescunque humores crudi immaturè, &

3. *de Cris.* intempestiuè e corpore pelluntur, duo semper euenire: alterum esse, vt praui humores minimè omnes expellantur: qui cum relicti fuerint in corpore morboso, non solum non consumunt fomitem morbosum, sed etiam augent; fit, vt morbus iterum reuertatur, & hoc est, quod voluit significare Hippocrates, quando dicebat ea, quę relinquuntur in morbis recidiuas facere. Alterum, quod in iudicationibus intempestiuis fiat, est, quod boni succi vnà cum malis, & maiore quantitate euacuentur. vnde accidit, vt natura priuata optimis succis laboret in recuperandis ijs, atq; ita fit, vt diu perdurent morbi, & fiant difficilis iudicationis. Itaque res ita se habet, quod vbi nimium cito fiant iudicationes, si cruda sit valde materia, recidiuæ fiant; sin minus ἀκρισία. Sed video dubitari, cur Hippocrates non contentus dixisse præincipientes iudicationes, addidit etiam, si crudè iudicentur: nam videtur hæc Hippocratis oratio superuacanea: siquidem, vt alias vos docui, iudicationes vbi fiunt initio, semper fiunt cruda existente materia, non ergo debebat addere crudè? Hippocrates semper breuitatis amantissimus fuit. Veritas autem hæc est. Iudicationes si perfectæ sint non solum fieri in vigore morborum, verum etiam in accessionibus vigoris, atque ita in ijs fiunt, vt narret Hippocrates, quandoque iudicationes vsque ad centesimum diem fuisse protractas. Iudicationes imperfectæ, & exitiales semper fiunt initio, atque apparente cruditate. Sed illæ quæ mediæ sunt, hoc est, quæ modo ad melius, modo ad deterius inclinant, id habent, vt interdum cum cruditate, nonnunquam cum aliqua coctione fiant. Itaque de postremis sermonem habens Hippocrates iure dixit, si crudè fiant; vt doceret, nec de imperfecta, nec de perfecta loqui iudicatione. Videtis ergo quod nihil Hippocrates temere protuelrit. Sequitur postrema pars, cuius ea est sententia, si iudicationes quæ præmaturæ fiant, sint magnæ, etiam exitiales euadere: si verò paruæ, esse quidem graues, sed non ita lethales. Cuius sententiæ vis, vt diligenter a vobis percipiatur, oportet scire, huiusmodi signa decretoria, & præsertim, quæ non solum signa sunt, sed etiam causæ, duplicia semper reperiri, copiosa, vel exigua. in perfecta iudicatione quanto sunt copiosiora, tanto sunt meliora hæc signa. Et hoc est, quod scribit Hippocrates se nunquam vidisse vllum

1. *Ep. com.* 1. interijsse ex ijs, quibus largissima sanguinis copia e naribus effluxerit. Contra autem est in iudicationibus imperfectis, quæ quò maiores sunt signa, & copiosiora, eò semper sunt deteriora. Atque in perfectis iudicationibus, semper, quò pauciora fiant.

fiant signa decretoria, eò deteriores sunt: in imperfectis quo pauciora, eò minus malæ. Sed quæ est ratio huius? manifestissima est, siquidem vbi fit copiosa iudicatio, siue quando copiosa sunt signa dectetoria, in perfecta iudicatione, optima sunt, quia signum est, & naturam valere, & materiam duntaxat noxiam euacuari. Secus est in imperfectis, in quibus materia quidem est copiosa, sed plus boni euacuatur, quam mali: & quod maximum est, fieri non potest, vt vires diu valeant in tam larga effusione. Aliter autem accidit, vbi fit parua iudicatio. Veruntamen parua signa decretoria, de quibus Hipp. hoc in loco meminit, habent etiam opus aliqua distinctione: siquidē licet semper grauia sunt, quandoq. tamen minus grauia, aliquando amplius reperiuntur: Grauiora sunt hæc signa etiam parua in morbis omnibus acutis: & propterea Hipp. scribit, (quod etiam annotauit Gal.) stillam sanguinis in febribus ardentibus lethalem esse. Contra autem est in morbis frigidis, in quibus tametsi stillæ sanguinis sint graues, non sunt tamen lethales, quemadmodum explicatum habetis in Coac. pranot. apud Hippoc. Et propterea si quandoq. Hippoc. videbatur vobis sibi ipsi contrarius in hoc signo decretorio, semper debetis intelligere, vno modo loqui de morbis acutis: alio modo, in diuturnis. Documentum ex hac Hippoc. oratione elicitur, vt semper animaduertantur signa decretoria: & vbi apparent in initio, vel augmento, nunquam ijs fidatis. propterea quod necessariò, vel afferunt interitum, vel recidiuas faciunt, vel morbos longos & difficiles iudicatu. 1 Epid.

Ὅσα κρίσιμα σημεῖα γινόμενα, τὰ αὐτὰ ταῦτα μὴ γινόμενα δύσκριτα. Τὰ ἐναντία δὲ σημαίνοντα, κακόν, εἰ μόνον ἢν παλινδρομέῃ, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀρχαίης φύσιος τὰ ἐναντία ῥέποντα. ὥσπερ καὶ τῶν κακῶν σημείων, ἐπὶ τἀναντία ῥέποντα.

Quæcunque decretoria cum fiunt, hæc eadem si non fiunt, difficilis iuditij. contraria autem significantia, malum, non solum si recurrant, sed etiam primariæ naturæ contraria repentia. Et & malorum signorum in contraria repentia.

Vt autem diligenter possitis complecti arcana huius sententiæ, hinc initium sumendum esse duco. In rebus omnibus humanis hoc verissimum est, quod quæcunq. sua præsentia bonum afferunt, eadem, absentia, malum pariunt. Et vt exemplum habeatis, intueamur Solem: cuius præsentia dum fruimur, omnia calore perfunduntur, luce gaudent, & fœcunda sunt: vbi verò ille a nobis recessit, in frigore, tenebris, & sterilitate versamur. Adeo vt, quod est manifestissimum in cœteris; sit maximè clarum in negotio signorum, quibus vtimur. Itaq. summo iure addita hæc sunt ab Hippoc. præcedentibus, vt plenior & perfectior esset tractatio. Quæ vt vera esse cognoscatis, accipiamus exemplum febris ardentis. Febris ardens solet iudicari fluxu sanguinis, quemadmodum omnibus est perspicuum, si debito tempore appareat. Sed si huiusmodi signa decretoria non appareant, clarum est febres illas difficilis iudicationis esse, eo quod signa decretoria, quæ debent apparere, non appareant. Quod si non solum hæc non apparent, sed etiam contrarium, dicit Hipp. deterrimum hoc esse: exempli gratia, si in morbo acuto septimo die appareat nubecula in vrina, optimum signum est. si non appareat, morbus est difficilis iuditij, siue longus. sed si præter hoc appareat copia succi crudi in vrina, obscuritas, & signa contraria coctioni, est omnium pessimum. Quemadmodum si in inflammatione iecinoris sanguis e dextra nare copiosè fluat, optimum est: si non, malum. Sed si sanguis e nare sinistra profluat, deterrimum est. Et ita intelligendus est Hippoc. quando subiungit, pessima, si fiant contraria. Iam verò vt plenior hæc notitia habeatur, sciendum est ea, quæ iudicatoria sunt, & non apparent, duplici modo dici non apparere: vno modo, si prorsus nō appareant: alio modo, si appareant quidem, sed statim occultentur. Non apparere, est quidem malum, exempli gratia, tempore status, non apparere in magnis febribus euacuationem sanguinis, vel fluorem alui; malum; argumentum enim est, morbum futurum difficilis indicationis. Sed si forte appareat sanguinis, vel alui fluxus, & statim sistatur,

pessimum est. Et hoc est quod Hipp. dicit, si recurrant. Qui locus optime explicatur à
1 Prorrh. t.1. Gal. quando scribit non solum deterius esse vt signa decretoria appareant, & statim recurrant quàm si non appareant: verum etiam huius rei accommodatissimam habet rationem, vbi subiungit, posse quidem naturam interdum intentam coctio in humorum, non excitari ad expulsionem, & consequenter non apparere signa decretoria, atq; propterea nō ingens malū impendere. Sed quod natura inchoet expulsionē, & statim desinat, pessimum est. quia signum est debilitatis naturæ, volentis quidem expellere, sed quæ non possit. Verum video a peritissimis Medicis posse hic iure dubitari, quasi non sit verū, quod semper signa decretoria apparentia si reccurrant, malum sit: quia non rarò obseruatur, in quibusdā apparere sudamina & papulas in cute, quæ vt cito enascuntur, ita subito delitescunt, sine tamen detrimento ægrorum, imo cum vtilitate interdum. Huius rei ratio ap-
2. Progsex. penult. tissima colligitur ex Gal. ea quæ statim reuertuntur, duplici modo dici ἀφανίζεσθαι, (vt lo-
1. Prorrh. quar verbo Hipp.) Vel enim dicuntur occultari, quia statim abolentur; vel dicuntur occultari, quia recurrunt. Quæ primò modo euanescunt, hoc euenit, quia materia tenuis est, corpus rarum, aer calidus, & expultrix facultas robusta. Ea propter quæ hunc in modum occultantur, non solum nihil damni afferunt, sed plurimum vtilitatis. Cætera vero quæ euanescunt, quia materia retrò cedit duobus modis id accidit ijs; vel enim materia recurrit, vnde defluxit, & hoc apud Hippoc. est παλινδρομέειν, vel materia in alias profundas corporis partes relabitur quæ impropriè dicitur recursa, quemadmodum illa propriè. Igitur si quandoq. in morbis apparent sudamina, & cito euanescunt, cum fructu tamen ægrorum, id accidit, quia materia tenuis est, & facultas expultrix robusta. Contra autem si euanescant, quia recurrunt, proprie, vel impropriè, semper pessimum est, quia signum est materiam prauam esse, nec posse sustineri a natura, & propterea sua sponte refugere. Huius rei luculentissimum exemplum habere possumus ex multis, præsertim verò ex abscessibus pone aures, παρωτίδες nuncupantur a Græcis; nā hi vbi apparent, nec euanescunt, cum signa sint decretoria solent si tempestiue fiant, prodesse. Et propterea
Prob. 20. Cassius in prob. & Gal. li. def. med. scribunt, parotidas vocatas esse a veteribus Cast. & Pol. quoniā sicuti hæc duo astra, dū apparent aeris serenitatem pollicentur, sic parotides solent sanitatem promittere. Verum hæc eadem abscessum genera, si retenta euanescant exitialissimū est signū, adeo vt nunquā ipse viderim quenquā seruatū, quia materia recurrit vnde defluxit hoc est in cerebrū, quod cū sit pars princeps necessario ab ea materia, admodū læditur. Itaq; potestis colligere ex hoc Hipp. discursu, optimū esse vbi signa decretoria apparent, siue bona ea fuerint, siue mala, vt pseuerent. deterius autē si nō pseuerent,
6. Ep. com. 7. sed recurrant. Et propterea queadmodum docet Hipp. debet Medicus in huiusmodi casib. efficere, vt vel cōseruētur abscessus per eruptiones iudiciales; vel si forte recurrant, vt omni arte reuocentur Atq. idcirco recte faciunt Medici, qui apparentibus papulis rarefaciunt cutim, attrahunt materiam, & conseruant illas eruptiones. Vbi parotides adsunt, optimum est, vt laxantibus & paulatim attrahentibus conseruentur.

Τωρεῖν δὲ οὕτω δεῖ, βρωμάτων συμπτωσίων. φλεβῶν ὄγκοι. ὑποχονδρίων, ἀναδιαῤῥοπίων, καταῤῥοπίων. πολλὰ δὲ καὶ τῶν τοίων, οἷον ἀπεφθειρκυιῶν, οἱ τίτθοι προσισχναίνονται.

Considerare verò sic oportet in coloribus, compressionibus venarum, tumoribus hypochondriorum, sursum vergentibus, deorsum vergentibus. Sed & multa sunt huiusmodi. Velut abortientium mammæ graciles fiunt.

Dixerat Hippoc. mala esse signa decretoria, si non appareant, esse autem peiora, si appareant, esse autem peiora, si appareant, & statim euanescant. Quæ sententia quoniam maximi momenti in medicina facienda est; propterea Hippoc. in præsenti dictione, Huic vni studet, vt doceat quomodo Medicus debet cognoscere & iudicare recursum signorū decretoriorum. Est autem sententia præsentis dictionis cognosci recursum humorum, & iu-

& iudicationis, coloribus, venarum subsidentijs, hypochondriorum tumoribus, & multis
alijs similibus: Sed videri posset alicui Hippoc. aut nihil, aut parum tradidisse; idcirco
particulatim singula verba ipsius Hippoc. examinabimus, & primum videndum est, quo-
modo huiusmodi recursus cognoscatur coloribus. Circa quod, ante alia animaducrten-
dum est, omnes codices vulgares & manuscriptos, loco colorum, habere ciborũ, βρωμάτων
græce. & ego sum huius sententiæ. Calui copicem (qui temporibus Veterum traduxit
Hipp. & videtur legisse χρωμάτων cunctis alijs esse præferendum. siquidem videre non pos-
sumus, quò pacto cibi possunt conferre ad cognoscendum & iudicandum huiusmodi recur
sum. Neq. valet quod loco ciborum intellexerit Hippoc. repletionem, quia non est con-
suetudo Hippoc. vsq; adeo longis & remotis vti vocabulis, & propterea multo satius est
legatur χρωμάτων. Sed hìc nobilissima dubitatio oritur, vtrum colores possint docere Me-
dicos recessum humorum ad interiora, quia Hipp. scribit, colorem indicare humores do- *Lib. de hum.*
minantes, nisi intro recesserint. ex quo loco euidentissimè colligitur, colores non posse
indicare humores residentes in intimum corporis; & propterea non esse verum, quod ex
coloribus cognoscuntnr humores residentes in profundis corporis partibus. Accedit e-
tiam ratio. quia color est affectus cutis, vnde Arist. dicebat. colores, vel in summo esse *Lib. de sens.*
vel esse summum. & Pytagoras hac ratione appellauit colorem summam partem. Ergo *& sen. c. 3.*
si est affectus cutis, non potest nos docere abdita corporis. Pro solutione, tripliciter re-
sponderi potest, primo modo Hipp. non dixisse hoc in loco colores indifferenter indica-
re recessum humorum in intimis corporis partibus, sed dixisse, quod inter alia signa sunt
queq. interdum colores. Possumus alio pacto respondere. colores docere posse humo-
res, vel positiuè, vel priuatiuè; positiuè, vt in Erysipelate, color enim flauus. catis, indi-
cat subtus cutim esse biliosum ichorem. priuatiuè, quando sua absentia indicat aliquid;
exempli gratia, si pars extima fuerit inflammata, & consequenter rubro calore obducta,
signum est, subesse sanguinem. sed si sanguis repente euanescat, & relinquatur locus, vel
pallidus, vel albus, signum est abesse illum sanguinem, & recessisse in partes profundas,
hic est secundus modus respondendi, & quemadmodum ego puto, satis accommodatus.
Tertio modo respenderi potest, colores vniuscuiusq. partis indicare abditos humores, sed
aliquarum partium dumtaxat, & præ cæteris oculorum & linguæ. De oculorum colori-
bus audite Hippoc. qui præclaram hanc sententiam memoriæ proditam reliquit statum *6. Ep. sec. 4.*
& colorem oculorum indicare valetudinem totius corporis, quomodo autem significet
constitutionem totius corporis, neq. a Gal. neq. ab alio satis explicatum est. Sed de hoc
alias. Colorem etiam linguæ indicare statum totius corporis, idem Hippoc. nos docuit; *6. Ep. sec. 5.*
quando scribit, colorem linguæ indicare excrementa totius corporis & Arist. dicebat lin-
guam variare tot colorib. quot ipsa cutis, quoniam & ipsa inter partes externas est. Vide-
tis ergo quàm verissimè dixerit Hippoc. recessum humorum maximè cognosci ex colorib.
qnia vbi colores ex aliqua parte repente euanescunt, signum est reuertisse ad parte repen-
te euanescunt, signum est reuertisse ad partes internas. Subiungit Hipp. cognosci hunc
recursum ex subsidentijs venarum. Et vt intilligatis quid sit apud Hippocr. vena sub-
sidens, legatis Gal. vbi scribit a natura ita comparatum esse, vt quotiescunq. aliquis do- *5. Aphor. 53.*
lor, vel alius affectus molestus est, in parte aliqua, semper eo deferri & sanguinem &
spiritum, vt facultas expultrix valida sit ad expellendam noxam. admirabilis est hoc in
loco Gal. discursus. Quotiescunq. ergò aliqua pars extima afficitur corporis, eo & spiri-
tus & sanguis confluunt, prouidentia summa naturæ, vnde fit, vt vasa illius longè lateq.
impleantur, & in tumorem attollantur. Si venæ illæ tumidæ aliqua ratione concedant,
vt videantur exinanitæ, dicuutur ab Hippoc. tunc subsidere, vel quemadmodum Celsus
dicit considere, cum sanguis qui eo confluxerat, intro recurrit. Et propterea obseruatum
est, quotiescunq. labra vulnerum tument, bonum semper esse: si autem detumeant sine
ratione, malum: quia signum est vasa subsidere, propter recessum ad interiora. Id quod
etiam colligi potest ex venis varicosis; nam vbi venæ crurum & scroti sanguine crasso &
copioso implentur, tument & attolluntur: sed si sanguis postea reflectatur, & restagnet,
subsi-

subsident. Vnde sicut bonum est signum tumere has venas, atq. varices habere; ita eas occultari, est malum: nam scribit Hipp. maniacis, & melancholicis si varices superueniant, bonum esse: quia humor illi melancolicus & prauus restagnat in cerebrum. Videatis Gal. vbi scribit si venæ varicosæ excindantur, homines fieri melancolicos. Et ego me legisse memini apud Plutarchum, Marium euasisse crudelissimum, postquam exempti ei fuerant varices ex altero crure. Itaq. verissimum est iudicari recursus humorum ex venarum subsidentijs. Addit Hippoc. tumores hypochondriorum nam tumores hypochondriorum fieri solere tum a flatibus, tum maximè ab humoribus, omnes quicunque Medicinam faciunt, satis intelligunt: qui humores & flatus solent interdum vnam eandemq. sedem tenere, nõnunquã tamẽ etiã mutare; & modo sursũ, modò deorsũ vergere. Dicit ergo Hipp. si tumores hypochondriorum sursum videantur inclinare, fieri recursum flatuum, vel humorum in partes supernas; quemadmodum si deorsum ferantur, ad inferna. Subiungit Hipp. non solum huiusmodi exemplis manifestari recursum humorum, sed etiam multis alijs. Et ne videatur hoc temerè addidisse, certissimum humoris recursus indicium, recensct, tumores mammarum: scribens ex tumoribus mammarum, si repente euanescant, cognosci futurum abortum: quia vbi mammæ extenuantur ex inopinato, necesse est, vt humor ille aliqua insigni violentia feratur in vterum, atq. ita interimat fœtum. hoc autem verum esse, non semel dixit Hipp. Sed est tamen maximè quæstione dignum, qua ratione fiat, vt primum recurrat sanguis a mammis ad vterum, & ex hoc necessario strangulctur fœtus; nam Hipp. lib. de nat. pueri, & in sequentib. huius libri, quem interpretandum nunc suscepimus, verbis, rationem huius recursus vniuersam videtur retulisse in communionem quandam vteri cum mammis: quæ autem sit hæc, diligenter explicauit Gal. quando scribit propterea fieri huiusmodi recursum, quia vasa vteri, & vasa mammarum sunt inter sese vsq. adeo cõnexa, vt fiat facillimè transitus a mammis ad vterum, & ab vtero ad mammas; cæterum diligentissimus & eruditissimus Vesalius, non videtur, cognouisse huiusmodi communionem, nam a venis axillarib. mitti ramos in mammas dicit; venas autem ceruicis vteri originem ducere a vasis seminalibus, & venas fundi vteri, cùm ab his, tùm a vena caua: adeo vt nulla videatur communio vasorum, inter vterum, & mammas. Interdum autoritas Vesalij mihi persuadebat id verum esse, & propterea dicere solebam, hanc rem ideo fieri, quia sanguis qui mittitur in vterum, ab vniuerso corpore decidit, & consequenter multo magis a mammis: quia sanguis ille propterea eo in loco conseruatur, vt inseruiat fœtui & in vtero, & extra vterum, & propterea non esse mirũ, si laborante fœtu, sanguis in vterũ trahatur. Sed in hac opinione olim fui. Verũ enimuero cum viderim Fallopium, & peritissimos nostros Anatomicos audiuerim, mutaui sententiam, & dixi. esse certam & claram communionem vasorum vteri & mammarum tam venarum quàm neruorum in musculis abdominis rectis. Qui consensus, nisi esset reuera, nequaquam fieri posset, vt mulieres dum contrectarentur illatum mammæ ad libidinem excitarentur. Vnde videre potestis Hippoc. nostrum omnia nouisse, & dixisse hanc rem fieri per consensum. Sed videre oportet, quo pacto humor seu sanguis in mammas collectus, si repente in vterum trahatur, fœtum interimat. Gal. cum gustasset hanc difficultatem, in com. ad Aph. dixit, quocunq; modo fœtus in vtero perdatur, siue propter inopiam nutrimenti, siue propter alium quempiam casum, semper necessario sequi mammarum extenuationem. Quod si laboret fœtus inopia nutrimenti, attrahit sanguinem e mammis: quem non attrahit, nisi ob summam indigentiam; hinc fit vt semper fœtus intereat. prætcrea si foetus etiam alia ratione violetur, ita vt ligamenta & venæ abrumpantur, fit, vt semper ratione doloris, fiat attractio spirituum & sanguinis a mammis & foetus pereat, non tantum ab confluxum sanguinis, quantum quia hoc pacto attractus sanguis significat ligamenta soluta. foetum maxime offensum, & cõsequenter necessario perire. Adeo vt manifestissimum iam esse puto, quàm prudenter Hipp. dixerit, semper mammarum extenuationem significare abortum, & eo maximè, si repente extenuentur.

Marginal notes: 6. Aphor. 21. — 6 Ep. com 2. tex. 14. — Lib. de atrab. cap. 4. — Lib de nat. pueri, & de mor. mul. li. 5 Aph. 37. 38. & 3 — Lib 5. Ap 37 com & 53. — Li. 14. de vs par. cap 8. — Lib 5. cap. 18 — Lib. 5. 53. ap.

οὐ δὲ γὰρ ἐναντίον, οὐ δὲ βῆχες χρόνιαι, ὅτι ὄρχιος οἰδήσαντος παύονται. ὄρχις οἰδήσας ἀπὸ βηχέων.

Neque enim contrarium est. Neque tußes diuturnæ, quoniam vbi testis intumuit, cessant: & testis tumor, à tussi, cessat & subleuatur.

Sententia præsentis dictionis celebratissima est, & ab Hippocr. non solum hoc in loco, verum etiam Lib. de humorib. & Epid. & pluribus alijs in locis tractata. Imo reperietis ipsam sæpissime vsurpatam a Gal. & præsertim in Epid. Sensus autem huius sententiæ *6. Ep. com. 4. tex. 4.* hic est, ea quæ dicta sunt, scilicet, quod sit consensus mammarum cum vtero, non repugnare rationi. sicut non est contrarium rationi, quod, tussi sicca existente, testiculus tumeat, & e conuerso, detumescente testiculo, suboriatur tussis. Ratio autem huius nulla alia est, nisi quod vbi maxima vi thorax mouetur in tussi, humores qui alioquin in thorace detinentur, depellantur in testes; ita vt soluta tussi, necessario intumescant testes. Quod verò nonnunquam etiam tussis fiat, vbi scrotum detumescit, non alia ratione accidit, quàm quod materia, cum non possit vinci neque superari, mittitur a natura in partes supremas & præsertim in thoracem; adeo vt facile videre potestis quàm rectè dixerit Hippoc. neq; quæ supra dixerit, neq; hæc esse contraria rationi.

σύμπτωμα κοινωνίης στηθέων, μαζῶν, γονῆς, φωνῆς.

Quæ res admonet nos communionis pectorum, mammarum, geniture, vocis.

Quoniam in hac sententia frequentissimè ab Hipp. vsurpata, quot verba, tot sunt oracula; operæ pretium me facturum arbitror; si singula examinare pergam. Primum autem scire oporret, in contextib. græcis haberi vocem γονήν, quàm etiam Cornarius & omnes recentiores interpretes transtulerunt genituram. Sed vera interpretatio ipsius est transferre non genituram, sed vterum. Atq; hoc non solum docuit Erotianus, sed multi etiam alij, & ipse quoque Gal. qui dixerunt hanc vocem γονήν apud Hippocratem significare vterum. *In Onomast. Hippoc.* Adeo vt sententia Hippocratis est, maximam communionem esse inter vterum, & omnes partes genitales, cum thorace, & omnibus partibus spiritualibus. Ceterum, quod vterus habeat hanc communionem & partes genitales cum pectore, non solum apparet ex ijs, quæ nos docuit Hippocr. sed ex multis alijs. Primum enim compertissimum est, & apud Medicos, & Philosophos, viros, vbi primum incipiunt venerem exercere statim vocem mutare: non aliam sane ob causam, quàm propter hanc communionem. Et propterea Veteres, vt conseruarent voces eorum, qui Tragœdias, & Comœdias recitare solebant, non incidere testes, vt barbari, sed infibulare præputia: conscij scilicet maximam συμπάθειαν esse inter partes genitales & vocem. Cognosci etiam illa potest ex ipsis mulieribus, quia quo tempore & ipsæ ad libidinem inflammantur, mammæ intumescunt: & propter hoc veteres Medici appellabant eas mammas, sororias, seu sororiantes. Adeo vt vndequaq; manifestissimum sit, communionem insignem esse inter partes genitales, & vocem vt dicit Hipp. Sed non solum huiusmodi communio euidens est ex his, sed etiam apparet clara satis inter partes genitales, & cerebrum. Audite Auenz. grauissimum autorem, qui lib. 1. suæ med. docens, vterum non esse necessarium vitæ mulierum, inquit, plærisque excidisse, & tamen superuixisse. & addit, vterum ad hoc a natura esse factum, vt esset receptaculum conceptus, qui vt etiam demonstraret huiusmodi communionem intercedere inter partes genitales & cerebrum, scribit propterea, eos quibus *Li 2. t.5. c.4* amputata sunt genitalia esse stupidos magna ex parte, & stultos, quia maximũ est consortiũ inter partes genitales & cerebrum, vt vbi genitalia adempta alicui fuerint, dimidium intellectus quoq. amiserit. Sed quæri potest, cur Hipp: ad declarandã hanc cõmunionẽ nõ

vtitur

vtitur communi oratione, sed inquit, hoc sit ὑπόμνημα communionis existentis inter has partes? magno iudicio hac phrasi vsus est, quia cum hæc, quæ dixit, fieri non possunt absq. communione harum partium, iure dixit Hippoc. hoc debere esse monumentum perpetuum.
3. in 3. Epid. & 6. Ep. com. 2. & 4. Sed cum huiusmodi communio necessaria sit, scire oportet, quod scripsit Galen. ex autoritate Veterum, scilicet, tria genera communionum reperiri: vel enim fit ob vicinitatem, vel ob similitudinem generis, vel ob similitudinem operum. ob vicinitatem, quando inguen dextrum consentit iecinori, os ventriculi colo pulmones cordi. ob generis similitudinem, vt cum venæ cum venis, nerui cum neruis, membranæ cum membranis compatiuntur. Communio operum est: vt testatur Gal. quemadmodum vterus cum mammis. Ex quo loco intelligere potestis, non solum esse communionem inter has partes ob generis similitudinem; verum etiam ob communionem, & similitudinem operis. Ergo duo iam documenta ex his eliciatis, primum vbi statim mammarum tumores euanescunt in prægnantibus, sequi abortum: alterum, vt in curandis affectibus earum partium, quæ sibi mutuo consentiunt, remedia adhibeantur his ipsis partibus. Atq. ego sæpe curaui illos, qui expuebant sanguinem, fomento ex aqua gelida testibus adhibito. Sic etiam in affectibus testiculorum, tussis superueniens, non raro iuuit; quanquam tussim prouocare nō oportet in his affectibus, quod grauiora semper sunt vitia pectoris, quàm testium.

Ἀποστάσιες, ἢ διὰ φλεβῶν, ἢ τόνων, ἢ δ' ὀστέων, ἢ νεύρων, ἢ δέρματος, ἢ ἐκτροπέων ἑτέρων.

Abscessus vel per venas, vel per ossa, vel neruos, vel cutim, vel alia diuerticula.

Dixi semel atq; iterum hunc librum Epidemiorum, non fuisse expolitum ab Hippocr. sed huius velut promptuarium. Et propterea non est mirum, si non habeat interdum ordinem exactum, quemadmodum in præsenti dictione apparet, quæ non videtur mihi cum præcedentib. cohærere. Sed quia facile memoria tenetis, dum Hipp. tractaret de signis decretorijs, inter ea etiam recensuisse abscessus; hinc fit, vt exactissimam eorum contemplationem, nunc sumat sermonem de abscessibus. quam sententiam priusquam examinare inchoemus, scire debitis, hoc nomen ἀπόστασις apud Hippoc. fere semper significare omnem transmutationem materiæ a loco ad locum. Dicit ergo Hippoc. abscessum (qui est transmutatio materiæ a loco, ad locum) fieri per venas, ossa, neruos, cutim, & alia diuerticula. Sed cur Hippoc. præponit abscessum venarum cæteris? non sine iudicio: siquidem cum abscessus sit transmutatio a loco ad locum, vt statim dictum est, humores maxima ex parte continentur in venis; quo fit vt huiusmodi abscessus & euidentius, & frequentius fiant in venis. Vnde Hipp. putauit, sermonem ab ijs inchoandum esse. Sunt igitur venæ veluti canales, quidam per quos transferuntur humores ab vno loco ad alium, vt apparet in papulis efflorescentibus in cute, in tumoribus subtus aures, & tandem in omnib. transmutationibus humorum, quæ fiunt ab internis ad externa, vel ab externis ad interna. Fit autem hæc transmutatio tripliciter, vel quia humores per rarefactas venas transudant, & transcolantur, & appellatur, διαπήδησις, vel fit, quia venæ, vel arteriæ franguntur, & hic modus appellatur per διαίρεσιν. vel fit hæc transmutatio, quia oscula venarum referantur & dicitur ἀναστόμωσις. Adeo vt euidentissimum sit, fieri hanc transmutationem frequentissimè in venis. Subiungit, etiam fieri per ossa hniusmodi abscessus. Sed hoc in loco quæstione dignum est, quomodo fieri possit, vt per ossa fiant huiusmodi abscessus.
Li.5. de com. Med 5. l. c. 8 Accidit autoritas Gal. qui scribit dentem pati inflammationem inflammatio verò est tumor, imò probat sui ipsius exemplo, interdum dentes inflammari. Et Plinius solebat dicere, rem esse admiratione dignam, quod dentes non possunt consumi ab igne, cum tamen
2.1.f.2.c.4. consumantur a pituita. Auic. in ossibus interdum etiam hoc fieri, testatur. Adeo, vt certum sit, ossa posse pati abscessus. Ex altera parte est autoritas Serapionis qui ma-
1.3.f.3.c.4. nifestissimè scribit, neq. cerebrum, neq; ossa pati posse abscessum. Est etiā autoritas aliorum,

rum, vt docet Auic. quando scribit nonnullos existimasse, minime ossa abscessum pati posse. Sed præter horum autoritatem, sunt quoq; aliquæ rationes non aspernandæ. Prima ratio est, quod ossa non possunt extendi, sunt enim corpora dura: vnde non possunt pati tumorem, quia non potest augeri magnitudo. Præterea si ossa immergantur aqua, non imbibunt aquam: sicut ergo non imbibunt aquam extra corpus, pari pacto existimandum est, non posse imbibere humores in corpore. Neq. silentio præterire volo, quod Aristot. memoriæ proditum relinquit, neq; ossa, videlicet, neq. pilos fœtere, quia carent humoribus excrementitijs. Si ergo carent humoribus excrementitijs ossa ipsa, iure sequitur non posse abscessum pati. Solutio huius pulcherrimæ dubitationis hæc est, ossa hominum de quib. loquor, diuerso modo cōsiderari posse, vt diuersæ sunt hominū ætates: si consideremus ossa infantiū & puerorū, quemadmodum Gal. huiusmodi ossa sunt flexibilia extensibilia, plena muco; adeò vt facile sit existimare, tentari vere abscessibus. Cæterum si cōsideremus ossa in ætate matura, certè ea quantum ex se, pati non possunt abscessum, neq. etiā eum producere: sed propter periostia, quibus ambiuntur omnia ossa, fiunt equidem in eis abscessus, & per has easdem vias transuehuntur quoque humores in alias partes. Adeo vt si consideremus ætates primas vel postremas, patiuntur abscessus: in primis, secundum totam sui substantiam per se; in postremis, propter periostia quibus ossa ambiuntur. Addit Hipp. fieri abscessus per neruos. Notandum verò est, esse vna in græco textu τόνος de qua voce loquens Erotianus in Onomast. Hipp. scribit huiusmodi vocem significare corpora carnibus extensa. Ex quo adducor vt credam, nonnullos quoq; existimasse, hanc vocem significare membranas, sed frequentissimè vsurpari pro neruis. Id quod etiam testatum nobis reliquit Gal. Fuerunt etiam alij qui existimarunt hanc vocem esse retinendam, & significare neruos duntaxat motui destinatos. Sed puto ego, quemadmodum plærīq; melius esse, vt deleatur. Illud certum est, abscessus sæpe fieri per neruos, & hoc maximè indicari tum a contractionibus, tum a relaxationibus neruotum. Imo verò vsq; adeo solent nerui abscessibus infestari, vt ad euitandos spasmos Medici interdum deuenire cogantur ad amputationem neruorum; vt apud Gal. & Auer. legimus. Modus autem, quo in neruis fiunt abscessus, vsq. adeo patet, vt nulla egeat maiori probatione: quia tametsi nulli nerui, exceptis visorijs, sint perforati, attamen substantia eorum adeo rara est, & (vt ita dicam) foraminulenta, vt maxime bibaces sint nerui, ac propterea facilè fit, vt repleti humiditate, abscessus & apostemata sustineant. Vtrum verò nerui ipsi moueantur, an facultatem mouendi duntaxat perueheant, quæstio est ab instituto nostro aliena. Addit postremo Hipp. fieri quoq. abscessus per cutim. Nam cutis facta fuit a natura, vt esset veluti vestis & amictus, quo vniuersa cōpages corporis vnita retineretur. Vnde Arist. dicere solebat, cutim vniuersam continuam esse exceptis foraminibus communibus. Plato assimilabat eam massæ piscatoriæ; siquidem vt retra massis continentur vnita sic compages corporis cute. Et quanquam primarius scopus naturæ hic fuit, vtitur tamen etiam ipsa cute in alios fines, & pcettim vt sit veluti cloaca, per quā repurgamenta totius corporis euacuentur. Id quod cum cognouisset Plato in Timæo, dixit, Cōditorē corporis nostri pupugisse & pforas se ipsā cutim, vt p foramina oēs corporis sordes efferri possent. id quod facile ipso visu pcipi potest, q a si cutis modice ad ignē cōburatur, & lucernæ apponatur, tota foraminulenta apparet. Sed hic oritur dubitatio, vtrū verū sit, cutim esse abscessus subiectū, siquidē abscessus morbus est, morbus autem fit in parte quę habet actionem, q a morb. est dispositio præter naturā, lædens actionē, & cutis nullā habet actionem, vt testatur ipsemet Gal. Dupliciter respondere soleo huic dubitationi, primū diuersā esse cuticulam a cute, cuticula nullā habet actionem, & est pi imū excrementū fine sēsu; cutis verò habet actionē, & ppterea dicere possumus Gal. eo loco locutum esse de cuticula. Sed mul to accōmodatius est, vt respondeamus, duplex esse actionis genus: aliæ enim actiones sunt propriæ, vt chylificatio ventriculi, sāguificatio iecinoris, motus musculorum vsq. adeo enim ppriæ sunt actiones harū partiū, vt nulli alteri sint cōmunes. Aliud genus actionum est cōmune, vt attractio, retentio, alteratio. Itaq; si loquamur de proprijs, certè verū est cutim nullam habere

1.3.tr.3.c.1.

Sec.13.Pr.9.

1.de Artic.

3.meth.cap.9 7 coll.35.

3.de Hist. animal. cap. 11. in Timæo.

habere huiuſmodi actionem: ſed ſi de communibus, ſanè habet, quia nutritur, & conſequenter attrahit, retinet, expellit. Propterea cum ſufficiat ad morbi conſtitutionem vt edat aliquam actionem, iure merito abſceſſus poteſt fieri in cute. Subiungit Hipp. & per alia emiſſaria, ſeu diuerticula. Quaſi velit dicere longum eſſet enumerare omnes partes, per quas fiunt abſceſſus, ſatis eſt has dixiſſe: & ex his de alijs facilè poteſtis iudicare. Sed quid Hippocr. intelligit per alia emiſſaria? Scire debetis duplex eſſe genus viarum, quibus vtitur natura ad expurgandos omnes ſuperuacaneos humores: aliæ enim viæ ſunt abditæ, & ſecretæ, aliæ apertæ & manifeſtæ. De abditis & arcanis locutus eſt lib. de alim.
6. Epid. ſec. 5. & lib. Epid. quibus in locis inquit magnus Hippoc. naturam ſibi vias ſecretas parare, non ex cogitatione & diſcurſu, vt facit homo, ſed nullo Doctore vnquam edoctam, per quas ſe exoneret, & liberet a ſuperuacaneis excrementis. Aliud genus eſt viarum apertarum, de quibus clariſſimè locutus eſt Hipp. nam lib. de gland. docet ſeptem eſſe vias, per quas natura expurgat humores cerebri, aures, oculos, nares, palatum, thoracem, venas, & ſpinalem medullam: libro autem de ſtructura hom. plus quàm quatuordecim enumerat vias, quibus natura conſueuit expurgare excrementa. Itaq; admirabilis Hipp. qui paucis verbis multa complecti ſolet: per alia emiſſaria intellexit vias arcanas, & ſecretas, atq; manifeſtas.

Χρησαὶ δὲ αἱ κάτω τῆς νόσου. οἷον κιρσοί, ὀσφύος βάρεα, ἐκ τῶν ἄνω. ἄριστα δὲ μάλιστα, αἱ κάτω. καὶ αἱ κατωτάτω κοιλίης, καὶ προσωτάτω ἀπὸ τῆς νόσου, καὶ αἱ κατ᾽ ἔκρουν, οἷον αἷμα ἐκ ῥινέων, πύον, ἐξ ὠτὸς, πτύαλον, οὖρον, κατ᾽ ἔκρευν.

Boni autem ſunt qui infra morbum fiunt, velut varices, lumborum grauitates ex ſupernis. optimi verò præcipuè ſunt inferni, & longiſsimi infra ventrem, & remotiſsimi a morbo, & qui per effluxionem fiunt, velut ſanguis e naribus, pus ex aure, ſputum, quæ per effluxionem fiunt.

Hippocrates, qui præcipua medicinæ documenta obſeruare inſtituerat, non contentus fuit docere omnes vias, per quas abſceſſus fiunt, ſed exiſtimauit ad rem quoq; maximè pertinere, vt ſciretur, qui ſint boni, qui ſint mali abſceſſus: ſiquidem hoc non tantum confert ad faciendum iudicium, ſed etiam ad meditationē benè & fœliciter inſtituendam. Dicit ergo primùm tria ſempiterna memoria digna, quorum vnum eſt, abſceſſus eos eſſe bonos, qui ſunt infra morbum, hoc eſt infra partem affectam morbo. alterum eſt optimos eſſe, qui κατωτάτω, hoc eſt (ſi latinè ita dicere licet) infimiſſimi ſunt, & quàm remotiſſimi, tùm a morbo, tùm a ventre. tertium, inter hos abſceſſus omnes, eos adhuc cæteris eſſe anteponendos, qui fiunt ſecundum effluxionem. Circa quæ duo diligenter examinare oportet: primum, qua ratione abſceſſus qui fiunt infra morbum ſint boni: deinde, cur Hippoc. vt doceret hanc veritatem, potiſſimum ſcripſit hoc exemplum, vt varices, & lumborum grauitates. Dua (vt ego puto) ſunt cauſæ, propter quas abſceſſus infra morbum ab Hipp. commendantur: prima eſt, quia id quod facile fit, ſemper optandum eſt: facile fit, vt humores a parte ſuperna affecta propellantur ad partes infernas, quia hi ſua ſponte natura ad inferna feruntur. Igitur cum id quod facile fit, ſit maximè optandum, abſceſſus infra morbum maxime laudandus eſt. Eſt & alia ratio, quia in abſceſſibus omnibus, illud magnopere exigitur, vt non reuertatur materia, ſi percipiatur in infernis partibus, difficile fit, vt recurrat. Propterea iure huiuſmodi abſceſſus laudantur ab Hipp. Sed cur potius hoc exemplo vtitur, quàm alio, hoc eſt varicib. & lumborū grauitatibus? Ariſt. ſcribit homines mirū in modum delectari exemplis; quia per exempla breuiter & faciliter diſcunt. Itaq. quicūq. voluerit aliquid elucidare exemplis, operæ pretiū eſt, vt exēpla ſint clara. Quod cū intelligeret Hipp. iure voluit veritatem declarare, & confirmare exemplo facili

facili & manifesto. Sed hæc multo clariora vobis reddam breui discursu. Lumbi apud
Anatomicos sunt vniuersa illa pars, quę est inter finem dorsi, & coxas, quę nisi fallor, com
præhenditur septem vertebris; hęc pars tam cum vertebris quam musculis, solet appellari
ab Hippoc. ψύαι. Cœl. Aurel. scribit nuncupari ψοαι. & apud Athen. Clearchus interdum 5. chron. c. 1.
refert ἀλώπεκας, aliquando νευρομήτρας vocari: quæ vox etiam est apud Hippoc. Sed de hu- Lib. 7.
iusmodi re non est, vt sitis admodum solliciti. Illud satis est scire, tam articulos ipsos, quã
musculos, interdum appellari nomine lumborum: vnde illi qui præ dolore non possunt se-
flectere, dicuntur delumbari. Ergo tã in articulis, quàm in musculis solent sæpe humores
crassi, melancholici & crudi colligi, ita vt non solum faciant grauitatem, sed etiam gibbo-
sitatem. Ab articulis ad crura mitti huiusmodi humores, & fieri varices, aliquando ac-
cidit. Sed difficile est, vt ab articulis materia depulsa, ingrediatur venas, & varices faciat:
quanquam id interdum contigit. Et Hippoc. scribit, nonnunquam per varices factas in 3. de ar. tex. 4
cruribus, curari etiam gibbositatem: quia per vias arcanas natura propellit humores ab
articulis lumborum ad ipsa crura, ad poplitem. Quod etsi fiat raro, fit tamen frequentis-
simè, & euidentissimè, vt humores crassi melancolici crudi in venis dispersi, per musculos
lumbales præcipitentur modo in inguina, modo in venas poplitis, modo crurum, atq; ita
varices fiant: id quod clarissimè, & accommodatissimè docuit Gal. quando scribit, per hu In com.
iusmodi musculos lumborum dispersas esse insignes venas, quæ ramos mittunt in popli-
tem, & crura, in quibus venis lumborum, si quando colligantur humores crassi, mittuntur
vel in inguina, vel in poplitem, vel in ipsa crura; vbi distendentes vasa, varices faciunt:
qui varices facile est, vt tollant postmodum grauitatem lumborum. ad quod maximè au-
xiliatur motus: quia cum lumbi inter mouendum non parum agitentur, facile fit, vt humo
res ab ipsis in crura depellantur. Adeo vt clarissimo & accommodatissimo exemplo vsus
sit Hipp. ad demonstrandum, abscessus infra partes affectas semper bonos esse, eo quod,
vbi varices, abscessus partium interiorum fiunt, auferunt grauitatem lumborum. Sed di-
cetis, non videtur hoc verum esse, quia potest fieri, vt affectus sit in corde, & abscessus fiat
in pulmone; & tamen huiusmodi abscessus, etiamsi sit in pulmone infra morbum, non est
tamen bonus. Respondeo non esse verum prorsus, quod abscessus in partibus infernis
semper sit bonus, & propter hoc secundum subiungit, quod discussione dignum est. Di-
ximus abscessus omnes bonos esse, qui infra morbum sunt, & longissimi tùm a morbo, tùm
a ventre. Circa quam sententiam primum scire oportet, κοιλίαν siue ventrem significa-
te multa apud Hippoc. vt Erotian. & Gal. scribunt: primum enim significat omnem caui- In Onomast.
tatem: deinde quicquid continetur subtus diaphragma: præterea interdum significat tho Hipp c. 1 de
racem. Sed differentia est, quia vbi Hippoc. pro thorace solet dicere ventrem, addit ven- Artic.
trem superiorem: quemadmodum vbi significat, partes cauas subtus diaphragma nomi-
nat ventrem inferiorem. Sed vtcunque sit, hoc in loco nomine ventris, quantum ego pu-
to, intelligit tùm thoracem, tùm partes infra thoracem; adeo vt sententia Hippoc. sit ab-
scessus eos optimos esse, qui fiunt in partib. maximè infimis & remotissimis a morbo. huic
sententiæ astipulatur Hipp. quando scribit in peripneumonicis hoc est, inflammationib. Progn. 67.
pulmonum, abscessus in cruribus optimos esse: quia habent has conditiones, quas recen-
set Hippoc. nam fiunt in partibus infra ventrem, & remotissimi a morbo. Causa autem
propter quam huiusmodi abscessus optimi sunt, duplex est: quarum prima est, quia vbi
materia morbifica missa est in partes infimas, & remotissimas a morbo, etiamsi illæ partes
consumantur a materia morbifica, nihil tamen referunt ad vitam. huius rei exemplum
habemus apud Gal. qui scribit pestem quandam fuisse, in qua materia pestilens ferebatur
in pedes, quibus consumptis, ægri incolumes euadebant. Sic etiam narrant Thucid. &
Lucret. in ea grauissima Atheniensium peste materiam decubuisse in partibus genitalibus
atq; ijs amputatis, & cõsumptis, ægros superstites euasisse Auerrh. etiã narrat, se a grauis. 7. coll. cap. 31
morbo liberatũ fuisse, cum materia decubuisset in articulos. Quæ omnia ideo referre pla
cuit, vt intelligeretis, hac etiam ratione abscesus in partib. infimis & remotis. optimos es
se, quia saltẽ vitã tuẽtur. Sed oritur hoc in loco scrupulus, quia nõ videtur hæc Hip. sẽtẽtia

perpetuò esse vera: siquidem vbi cor laborat & grauiter, si abscessus fiant sub axillis, optimi sunt, & tamen non sunt in remotissimis partibus, neq; etiam infimis. Respondeo hoc quidem verum esse, abscessus nimirum sub axillis liberare cor ab affectu etiam grauissimo: neq; tamen contrariũ esse menti Hipp. quippe qui dixit, abscessus infimarũ partiũ, semper quidem bonos esse: sed non negauit, posse interdum secus euenire. Imò verò si rectè expendamus, locus axillarum potest recenseri inter partes intra cor, aut inter partes externas, de quibus Hipp. loquens in Coac. dicebat, abscessus in externis partibus semper bonos esse. Ex his duo documenta ad medicinam faciendam colligere possumus, primum est, quod vbi in morbis grauissimis materia morbifica non facit huiusmodi abscessus
11.Met.c.20. Medicus eos facere debeat. nam Gal. eadem ratione impulsus, vt febres curaret, podagras balneis excitauit. Et ex hoc loco soleo ego colligere, vsum medicamentorum vesicantiũ in febribus pestiferis fructuosissimum esse. siquidem sępe vidi ex eorum vsu graues abscessus factos in partibus infimis, qui ex toto morbum abstulerint: Itaque hortor etiam vos, vt non desistatis ab imitanda natura. Alterum documentum est, quod cum huiusmodi abscessus sint vsq; adeo vtiles, quotiescunq; vel facti sunt, vel lente fiant, Medicus diligentissimè prouidere debet, vt vel perfecti fiant, vel facti iam, conseruentur: nam vbi affecto cerebro parotides fiunt in feb. pestifera, habemus legem a Gal. huiusmodi absces-
3.de med.sec. loc.cap.2. sus prouocandos esse, & diligenter obseruandos. Atq; in curandis his abscessibus placet
1.sec.prob.34. mihi id proponere, quod ex præscriptis Medicorum proponit Arist. quando scribit, abscessus triplici modo curandos esse, vel medicamentis, vel ferro, vel igne: medicamentis curandi sunt illi, inquit, qui fiunt sub axillis & in inguinibus: ferro curantur, qui in parte solida non existant, & sunt acuminati: igne vero, qui late sunt, processuq; multiplici crumpunt, quiq; venosis, non carnosis resident locis. Superest modo vt examinemus ea, quæ sequuntur, scilicet bonos, seu meliores esse illos abscessus, qui fiunt κατ' ἔκρουν, hoc est, secundum effluxionem: quæ particula, quia satis obscura est, oportet sciatis quid signifi-
6.Ep.com.3. cet hæc vox κατ' ἔκρουν, quam vsurpatissimam videbitis, tùm apud Hippoc. tùm apud Gal.
tom.40. ergo pluribus & vtilissimis verbis docet differentiam esse apud Hippoc. inter abscessus,
1.Ep.com.2. qui fiunt κατ' ἔκρουν & κατ' ἀπόστασιν, id est, qui fiunt secundum effluxionem, & qui fiunt se-
t.8. & eiusd. cundum depositionem. Abscessus secundum defluxionem debent habere has conditio-
3.com.3.casu nes, quemadmoum scribit Gal. vt fiat effluxus vitiosorũ humorum, omnium, vel saltem
3. plurimorum. Præterea abscessus secundum effluxionem fiunt semper missione humorũ extra corpus. fiunt quoq; per vias a natura ad expurgadum constitutas. Postremò, quantum sit ex se, nunquam detrimentum afferunt, semper iuuant: Contra abscessus qui fiunt per depositionem, semper humores vel non morbosos, vel non omnes exciunt: adhæc fiunt huiusmodi abscessus intra potius, quàm extrà: præterea fiunt sæpe cum damno, & malo ægrorum. Et vt vno verbo dicam, habent penè conditiones contrarias abscessibus per effluxionem. Facile ergo videtis, quam bene Hippoc. dixerit abscessus κατ' ἔκρουν esse meliores: scilicet ijs, qui fiunt per depositionem. Et quia Hipp. minimè contentus erat rem adeo vtilem breuiter attigisse, propterea exemplis quibusdam propositis illustrare conatus est: vnde scribit abscessus per effluxionem esse, veluti sanguinis fluxum e naribus, pus ex aure, sputum, vrinam per effluxionem. Sed cur Hippoc. primò proposuit sanguinis fluxum è naribus? ratio est, quia, vt ipse inquit, in lib. Epid. huiusmodi excretio sanguinis est inter signa decretoria præcipua, adeo vt Hipp. & Gal. dicant, sese neminem vidisse mortuum, cui larga sanguinis effluxio sit facta: & Auic. loquens de signis decretorijs, dicebat, inter hæc signa primum locum obtinere sanguinis fluxum. Subiungit deinde, Hippoc. inter hos abscessus quoq; esse, pus ex auribus. Cuius rei loculeutissimum exemplum habetis 4. li. Epid. vbi narrans Hipp. quandam constitutionem, inquit, in ea aliquib. corrosos fuisse dentes, aliquibus exilijsse pus ex auribus: & addit, illos, quibus exilijt pus ex auribus, fuisse magis tussientes; siquidem spiritus, atq; auditus instrumenta inter se cõ-
Sec.32.Pr.9. municant, vt facile ab auribus in pectus communicetur materia. Vnde Arist. dicebat, eos qui scalpunt aures, propterea tussire, quia est quoddam foramen commune inter asperam

arte-

arteriam, & aures, per quod foramẽ facile fit, vt humores, qui sunt in auribus, transmittãtur in thoracem, & tussim inducant. & propterea dicebat, surdos fieri ob vitia pulmonis. Illud certe verissimum est, sæpe fieri, vt inflammatio cerebri, vel aurium ad suppurationẽ deducatur, atq; ægri liberentur solo puris copiosi exitu ab auribus. Vt minimè dubitari debeat, quin inter abscessus per effluxionem, sit exitus puris ab aure: nam Hipp. in Epid. non solum hoc dixit, verum etiam manifestissimè docuit pus ex aure citius æstate & in ętate iuuenili prodire, quàm in senibus, & hyeme: qui quoq; in Aph. dicebat, huiusmodi materiæ ab auribus exitum, esse proprium morbum puerorum. Posuit Hippoc. tertio loco, sputum: quod quidem dixit in lib. Aphor. esse signum iudicatorium, sed non semper bonam iudicationem significare: nam in pleuritide, & pectoris affectibus, vnum ferme signũ effluxionis, & iudicationis est sputũ. Sed dubitatio hìc oritur, cur Au. cũ recẽseret abscessus, & omnes euacuationes iudicatorias, sputi nullam tamen mentionẽ fecerit, cum Hipp. ponat sputum inter abscessus per effluxionem. Puto Auic. sputum complexũ esse sub nomine exituræ, hoc est, sub nomine apostematum: nam posuit primo loco sanguinis fluxũ, deinde alui, tum vomitum, quarto vrinam, quinto sudorem, sexto exituras, seu apostemata; alioquin enim certe mãca, & imperfecta esset Auic. oratio, cum modus iudicationis maxime familiaris ab eo fuisset omissus. Addit postremo vrinam, & addit, vrinam per effluxum. Circa quam sententiam opere pretium est duo breuiter discutiamus. vnum erit, cur Hipp. dum nominat alios abscessus, non addit hanc vocem secundum effluxionẽ, sed tantum dum nominat vrinam. alterum, vtrum verè possumus dicere, abscessus per vrinam optimos esse. quod ad primum attinet, nonnulli existimarunt hanc vocem κατ' ἔκρουν, non solum cum vrina debere connecti, sed etiam sputo; quasi quotidianæ expuitiones, & mictiones excipiantur hoc in loco ab Hippoc. Ego puto alia ratione ductum esse Hippoc. vt adderet hanc vocem tantum vrinæ, non sputo, neq; alijs; quia sæpe fit copiosa vrina (hoc est abscessus per vrinam) quæ tamen non fit verè secundum effluxionem: vt in febribus ardentibus, & colliquatiuis sæpe videntur copiosissimę vrinæ, vt & ratione loci, & ratione copiæ verè sint abscessus; minimè tamen sunt secundum effluxionem, quia, vt audiuistis, ad hoc materia exeat per effluxũ, primum debet esse cruta morbosæ, & prauæ materię euacuatio; sed in huiusmodi febribus vrina copiosa minimè copiosa est ob effluxum prauæ materiæ: verum enimuero quia carnes, & pinguedo incendio febrili consumptę, colliquantur. Igitur vt Hipp. excluderet huiusmodi abscessus in feb. ardentibus, & colliquatiuis, addidit κατ' ἔκρουν. Iam verò vtrũ verè possumus dicere abscessus per vrinas, aut bonos aut meliores esse, inuestigandum. Ex vna parte est Hipp. & Auic. qui non solum vrinæ profluuium inter bonas crises enumerant, sed anteponunt ipsis sudoribus. Ex altera parte est autoritas Gal. lib. de crisib. qui cum doceret modos pręcognoscendi iudicationes, aliorum quidem mentionem facit, vrinæ non meminit; quasi nec fieri, nec præcognosci possit iudicatio per vrinam. Dicendum est, abscessus per vrinas esse quidem vtiles, & bonos, sed non facere perfectas iudicationes. Et quanquam Bion relatus in secunda sectione huius libri, videretur solutus, & iudicatus ab vrina, tamen reuersus est morbus. Vel possumus dicere Gal. negasse quidem reperiri modum præcognoscendi crisim per vrinam, sed non negasse, quod huiusmodi iudicatio fit. Itaq. non est vt criminemur eos medicos, qui in affectibus pectoris, & lienis, atque in febribus, solent medicamentis diureticis vrinam prouocare, quippe quod etsi nõ fiat perfecta crisis per vrinas, fiunt tamen vtiles excretiones.

ὅσι μὴ ταῦτα ἀποστάσιες, οἷον ὀδόντες, ὀφθαλμοὶ, ῥὶς, ἱδρώς.

Quibus non fiunt huiusmodi abscessus, sunt, velut dentes, oculi, nasus, sudor.

Postquam Hipp. docuisset, quemadmodum spectabat ad eius grauitatem, qui sint abscessus secundum effluxionem, transeundum sibi putauit ad docendum, qui abscessus non fiant secundum effluxionem. Neq; incassum suscepit Hipp. hunc laborem, quia vbi sunt aliqua

Ibidem.
6. Epid.
3. Aph. 24.
1. Aph. 13.

aliqua genera inter se similia, nisi diligenter discernantur, solent fallere ingenia auditorũ & cum ingens intercederet similitudo inter abscesus secundũ effluxionẽ, & eos qui non fiunt per effluxionem: propterea iudicauit Hip. ad se pertinere, eos abscesus mõstrare, qui non sunt secundum effluxionem. Id quod hoc in loco facit: & primo inquit, abscesus nõ secundum effluxionem esse eos, qui fiunt in dentibus. Circa quod primum dubitare licet, cur Hippoc. neget abscesus secundum effluxum fieri in dentibus: pro ratione enim est in primis autoritas Hippoc. qui in fine quarti lib. Epid. narrat constitutionem quandam, in qua ægris corrodebantur dentes, & sic liberabantur: præterea experientia quotidiana facile intelligitur, plærosq; morbos fere solui per abscesus, & fluxiones factas ad ipsos dentes: imò vero si vlla est pars in corpore, quæ ingentes fluxiones sustineat, certe dentes tales esse videntur: primum enim cum natura intellexisset dentes ob continuum vsum, & atterendos & minuendos esse, priuilegio quodam eos donauit, vt perpetuo augerentur: quod cæteris ossibus negatum est. Et idcirco vt posent nutriri & augeri, circumposuit ipsis venas & artarias. Adhæc singuli dentes ita connectuntur ossi maxillari, vt vnusquisq; dens vnum articulum faciat. quos articulos non colligauit natura ligamentis duris & insensibilibus, quemadmodum alios, sed neruis, vt ex anatomia perspicuum vnicuiq; esse potest: propter quos efficitur, vt incredibiles cruciatus sustineant: ob quos deinceps fiunt ingentes effluxiones. Quæ omnia dixi, vt videatis omnia difficultatis puncta, an verè dixerit Hippoc. abscesus non fieri in dentibus secundum effluxionem. Respondendum est, dentes esse ossa durissima & siccissima, & omni medulla, omni succo orbata: propter quod a canib. respuuntur, & vt dicebat Plin. a foco non domantur. Quod si ita est, dentes, quantum fit ex proprietate suæ substantiæ, omninò sunt alieni ad suscipiendam & transferendam fluxionem: quod si assiduo pituitæ illapsu corrumpantur & consumantur, fiunt quidem abscesus per depositionem, sed non per effluxionem. Neq; valet, quod tamen fiat effluxio in gingiuis: etiam illud abscesus genus est potius secundũ depositionẽ, quã effluxionẽ. Addit Hipp. inter abscessus nõ sec. effluxionẽ oculos. Circa quã sent. nõ exigua oritur dubitatio; siquidẽ experiẽtia quotidiana cõprobatur morbos plærosq; & pſertim capitis solere finiri p abscesus factos in oculis, & secũdũ effluxionẽ. mus enim morbos sæpe desinere in ophtalmias, & lippitudines oculorum; vt non videavidetur verũ esse, quod scribit hoc in loco Hipp. nõ fieri abscesus secundum effluxionẽ

Lib. de loc. in homine, & li. de gland.

in oculis. Accidit autoritas Hippoc. qui scribit oculos ipsos esse vias a natura etiam factas ad expurgandum cerebrum. Vix induci posum, vt credam naturam fecisse cerebrũ, & in alto posuisse propter oculos, vt dicit Gal. atq; ipsos oculos esse cloacas humorum: certe malè ageretur cum homine, si natura voluisset pretiosissima hæc instrumenta esse receptacula excrementorum. Sed quid ergo vult dicere Hippoc. Respondeo rectè eum dixisse, quia tametsi in alium præclarum vsum fecerit natura oculos, voluit tamen quandoq; ipsis abuti ad expurgandum cerebrum. Et si rectè opera naturæ velimus examinare videbimus nunquam naturam vna parte duntaxat ad vnum finem vti, sed semper ad plures. Illud tamen differunt, quia inter hos fines, habet vnum principalem, & præcipuum alios vero non principales, quos ego soleo appellare abusus naturæ. Itaq; iure dixit Hippoc. per oculos fieri abscessus, sed non secundum effluxionem; hoc est, abscessus per oculos non esse bonos atq; legitimos. Addit Hipp. inter abscessus, qui non fiunt secundum effluxionem, esse quoq; eos qui fiunt per nares. Sed notandum est, non intelligi ab Hippoc. hoc in loco eos abscessus qui fiunt per sanguinis fluxum e narib. quia huiusmodi abscessus non est propriè narium, sed est venarum quæ sunt in naribus. Itaq; certissimum est in naribus fieri abscessus secundum depositionem, vt clariss. docent polipi, alijq; nariũ affectus. Sed quemadmodum hæc, quæ dixi, manifesta sunt; ita quoq; valde obscurum est, an abscesus per effluxionem fieri possint in naribus: & notato, quia ni fallor, pulcra audietis. Quod facit difficultatem est, quia ex vna parte Hippoc. manifestissimè hoc in loco negat; præterea si fieret abscessus per effluxionem in naribus, æquum erat hanc partem constitutam fuisse a natura ad expurganda excrementa. At hoc nobilissimus Anatomi-

E iij. tomi-

tomicus Vesalius magnis demonstrationibus refutare conatus est: primum quia a cerebro in instrumento narium nullæ apparent viæ manifestæ, per quas putandum sit excrementa cerebri euacuari. Adhæc, inquit, incusanda esset natura, si voluisset instrumentum vsque adeo nobile esse veluti cloacam excrementorum cerebri. Itaque concludit nasum non posse esse viam ad expurgandum cerebrum. Suffragari videtur Vesalio, Arist. qui cum plures vsus nasi proposuerit, aliorum clarissimè meminit, huius autem nullam mentionem facit. adeo vt videatur existimasse Arist. hanc partem nullo modo inseruire ad expurganda excrementa cerebri: quod tamen intelligendum est de corporibus in optima sanitate constitutis. Ex altera parte est experientia: qua docemur, quotidie per nares eximiam excrementorum copiam euacuari. imò si vlla pars est per quam copiosissimè excrementa euacuantur, est nasus, per quem Medici sæpissimè cerebrum, & ferè vniuersum corpus expurgare conantur. huc accedit naturam constituisse nasum ad expurganda cerebri excrementa: quod autem res ita se habeat, intelligi potest ab Hippoc. qui scribit, naturam inter alias partes, expurgandis excrementis nasum fecisse. In hac rei obscuritate dicendum est, verè nares non esse partes primariò a natura constitutas ad expurgandum cerebrum, sed, vt etiam habet Arist. in duos potissimum vsus: primum, vt essent via ad recipiendum, & emittendum spiritum: vnde, quia homo est calidissimus omnium animalium, & propterea eget maiore aeris refrigerantis copia: hinc factum est, vt secundum proportionem sui corporis, habuerit nares grandiores cæteris animalibus. Alter vsus primarius narium est, obfactus: qui tametsi homini non est necessarius ad vitam, est tamen vtilissimus ad bene, cōmodeq. viuendū. hi itaq. sunt vsus primarij ipsarum narium. Sed natura prudentissima, non solet in vnum, vel in alterum finem partibus vti, sæpissimè verò diuersis & penè contrarijs vsibus destinauit. Quare etiamsi concedamus Vesalio, primariò hanc partem non fuisse factam, vt excrementa cerebri per eam expurgarentur, non negari tamen potest abuti naturam narib. ad hoc munus. Ex quo sequitur abscessus quidem in naso secundum depositionem, sed non secundum effluxionem fieri: quia etsi per hanc partē expurgantur excrementa, nō tamen affatim, neq; aceruatim, neq. copiosè. Addit Hipp. sudorem, quasi verò etiā sudor sit abscessus quidam, sed non secundum effluxionē. Quę sententia, vt diligenter a vobis comprehendatur, duo prius sunt examināda: primū est, cur Hipp. ante enumerans, qui sint abscessus non secundum effluxionem, recenset partes, dentes, oculos, nares: nunc verò a partibus transit ad materiam; nominat enim sudorem. videtur autem hæc transitio indigna esse grauitati Hipp. Alterum est, an verum sit abscessus per sudores non esse secundum effluxionem; siquidem interdum ægris vsque adeo copiosi exeunt sudores, vt ilicò morbi tollantur. Præterea Auic. non solum sudorem collocat inter signa decretoria, sed etiam inter bona: quāuis hunc postponat sanguinis fluxui, alui fluori, vomitui, & vrinæ. Circa primum dicendum est, non absq; iudicio Hipp. hunc transitum fecisse a partibus ad materiam, siquidem sudor non est excrementum alicuius partis peculiaris, sed est excrementum vniuersale totius corporis. propterea vt Hippoc. omnia complecteretur, enumeratis particularibus, transit ad vniuersalia: id quod facere consueuerunt ij, qui nolunt singula enumerare. Vt interea non taceam, Hipp. antea enumerasse, quæ habent propria excremēta, quemadmodum sunt oculi, qui habent lacrymas: aures, marmorata Plinio vocata: & nares, quæ mucum. Iure igitur Hipp. a partibus ad materiam, nempe sudorem transiuit. Ad secundum autem dicendum est, abscessus per sudorem, posse dici per effluxionem, & non per effluxionem: si per effluxionem intelligamus perfectam illam effluxionem, quæ solet ex toto morbum auferre, certe sudor non est huiusmodi, quia etiam si copiosissimus sit, interdum tamen, imo verò plærunque fit, vt sudor nunquam perfectè finiat morbum, sed imperfectè: vel si soluat, redit. nam inter alia exempla, Petrus Aponensis, narrat sese habuisse quendam, qui in febre tertiana copiosissimè sudauit; sed non abstulit ex toto morbum: imò verè, inquit ille, hunc perdurasse quatuor annis, in quibus singulo manè in aurora sudauit. Hoc dico, vt intelligatis sudores etiam copiosissimos non esse veras effluxiones. Cur autem ita sit, audite Aristot.

1. de Hist. animal. cap. 11.

Lib. de gland. & de nat. hom.

2. de part. ani. cap. 6.

In com. ad 21 Prob. sect. 1.

Li. 1. prob. 2.

qui

qui quærens rationem, propter quam, cum quotidiè, imò singulis momentis, in corpore nostro fiunt euacuationes, tamen grauitas corporis non adimitur nisi per sudorem, inquit idcirco esse, quia per insensibiles & quotidianas euacuationes, non educitur humidum illud viscidum, quod facit grauitatem. Cur autem per has expurgationes non euacuetur hic humor, duas esse dicit causas, quarum vna est, quia vbi fiunt insensibiles euacuationes, meatus angustissimi sunt, vt per eos non possint penetrare succi crassi & viscidi: altera causa est, quia ex pauco humido viscido & crasso, fit plurimum halitus, siquidem ex vna parte aquæ, fiunt decem aeris. sic vult dicere Arist. ex vna parte humoris viscidi fit copiosissimus halitus. Adeo vt licet quotidie fiant insensibiles excretiones, nihilominus parum est quod euacuatur illius materiæ, quę facit grauitatem. Secus autem est in sudore, primum, quia sudor exit per vias latas & patentes: vnde fit, vt per illum multo plus euacuetur illius materiæ a qua fit grauitas. Eadem etiam ratione dicedat Arist. vomitum multo magis tolli lassitudinem, quàm sudore: siquidem per vomitum euacuatur copiosius ille humor viscidus, & crassus, quia multo proprior est hic succus ventriculo, quàm cuti. Quæ omnia eo tendunt, vt intelligatis, sudorem non esse perfectam effluxionem; quia etsi euacuetur per sudorem materia morbosa, non tamen copiosè id fit, quemadmodum per vomitum. Vt iure hac ratione Auic. postposuerit huiusmodi abscessus per sudorem sanguinis fluxui, etiam alui fluori, vrinæ, & vomitui. Sed dicetis, cum ergo huiusmodi euacuationes, abscessus minimè sint per effluxionem, scilicet qui fiunt per nares, aures, oculos, & sudores, licetne Medico interdum, monente vsu, hos abscessus facere, aut factos conseruare? hoc ad medicinam faciendam valde refert intelligere. Dico neq. per aures, neq. per oculos debere vnquam Medicum prouocare vllos abscessus; imò verò si fiant, inhibere subito. euidentissima fanè est ratio, quia aures & oculi sunt instrumenta sensuum nobilissimorum, & vt dicebat Arist. & Cels. elegantissimus, maximam partem conferunt tàm ad dulcedinem vitæ, quàm ad disciplinas capessendas. Accedit etiam illud, per aures & per oculos, minimum esse illud, quod euacuari potest per aures quidem, quia angustissimos habent anfractus, per oculos verò, quia quantuncunq; lacrymarum exprimatur vix ipsi cerebro vtilitas accedit. Itaq; cum exigua sit vtilitas, & detrimentum magnum, quod imminet, æquum est vt non prouocentur abscessus. Cœterum de sudoribus secus est, quia tametsi huiusmodi ab Hipp. dicantur esse secundum depositionem, attamen non semper damnandi sunt, neq; damnantur ab Hipp. dicit quidem abscessus secundum effluxionem esse meliores non tamen negat, quin interdum abscessus secundum depositionem prosint. Vnde licet excrementa etiam e naribus prouocare. Neq; metuendum est damnum odoratus, quia nullius momenti est odoratus ad vitam: imò si consideremus fœtores, quos quotidie percipimus, multo plures sunt, quàm odores boni. Adeò vt ego sæpe dicere soleo, forsan bonum esse, vt aliquando odoratu careamus. Sic etiam dicendum est de sudore. licet Medicis sudorem prouocare, & eum, qui effluit, augere: quia etsi non sit secundum perfectam effluxionem est tamen secundum depositionem, quæ non raro afferat etiam maximam vtilitatem.

2. sec. prob. 22 & sec. 5. prob. 7.

1. de part. an. lib. 6. cap. 6.

ἀτὰρ καὶ τὰ ὑπὸ δέρμα ἀφιστάμενα ἐς τὸ ἔξω φύματα. οἷον ταγγαί, καὶ τὰ ἐκπυοῦντα, ἢ ἕλκος. καὶ τὰ τοιαῦτα ἐξανθήματα, ἢ λοποὶ, ἢ μάδησις τριχῶν, ἀλφοὶ, λέπραι.

Sed & quæ sub cute abscendunt foras, tubercula, velut humentia, & quæ supperantur, aut vlcus, aut eiusmodi exanthemata, aut squamæ, aut defluuium capillorum, vitiligines, lepræ.

Sententia præsentis dictionis est, non solum ea, quæ relata sunt, esse abscessus non sedum effluxionem, verum etiam ea quæ subtus cutim abscedunt, extra cutim, omnia esse sine effluxione. Et non sine ratione dixit Hippoc. subtus cutim, qnia distinguere hæc, ab ijs, quæ de sudore dixit; paulo ante, omnino vtile esse existauit: Sunt autem subtus

cutim absfedentia, quæ enumerantur ab Hipp. trium generum: vel enim sunt tubercula, vel vlcera vel exanthemata. tubercula, quæ φύματα ab Hipp. nuncupantur, aut sunt putrescentia, & humentia; aut sunt ea quę superantur. putrescentia & humentia tubercula sunt, veluti melicærides & achores; sunt etiam, veluti variolæ. quæ suppuranrur, sunt velut apostemata. possunt etiam quædam genera variolarum inter hæc numerari. Vlcera autem sunt humida, vel sicca: humida, velut, scabies, lepra: sicca, sicut squammæ, defluuium capillorum. Exanthemata autem, vt peticulæ vocatæ, vitiligines &c. De his itaq; omnibus dicit Hippocr. ea omnia esse abscessus absq; effluxione. Sed, vt melius intelligatis, quis fuerit Hipp. hic sensus, primum animaduertere oportet, illum sua lingua, appellare tubercula humentia, τάγγας. quam vocem, nemo, albi ab Hippoc. vsurpatam, inueniat, & ταγγὸς. vel τάγγη significat rancorem. Vnde ἔλαιον ταγγὸν, oleum rancidum dixit Alex. 2. Prob. 70.
Atq; vt ego puto, vsurpauit Hippoc. hanc vocem, quia verè rancor est quidam pro putrescentia. Aliud, quod considerandum est, quid Hippoc. intelligere voluerit nomine squamarum: nam inter abscessus, qui non fiunt per effluxionem enumerat squammas. Quod vt intelligatis, ea in memoriam vobis reuocare debetis, quæ habet Gal. scilicet Veteres rebus, diuersis rationibus nomina imposuisse, præserim verò morbis. alios appellarunt a loco affecto, vt podagram, chiragram: alios a symptomate, vt tremorem, spasmum: alios, ab vtroq; vt cephalalgiam, otalgiam: alios a causa, vt melancholiam, hydropem: alios a similitudine, vt cancrum, elephantiasim: alios ab inuentore, vt vlcus telephium. Igitur cum veteres diuersis rationibus diuersa nomina morbis dederunt, Hipp. hoc in loco squammas appellat a similitudine: & sic appellat quandam impetiginem, qua qui laborant, ijs decidit cutis combasta, instar squammarum piscium. quasi diceret, numerarietiam inter abscessus impetiginem, in qua decidunt squammæ. Tertio notandum est, Hipp. inter abscessus retinere defluuium pilorum: quod quidem non videtur rationi adeò consentaneum esse. Sed hoc facit Hippoc. accipiens effectum, puro causis: nam defluuiū pilorum, est effectus proprius abscessus: quia vbi praui humores mittuntur a natura in cutim capitis, corrumpitur radix pilorum, & ea corrupta, pili decidunt, vt defluuium capillorum verè fit abscessus. Et hoc est quod dicebat Hippoc. vbi varices fiunt, caluitium non fieri, & vbi nō fiunt varices, fieri; scilicet, quia vbi non fiunt varices, sanguis impurus mittitur in capite, vnde corrumpuntur radices capillorum. Ex his ergo habetis omnia iam dicta subcutanea abscessuum genera esse puros abscessus secundum depositionem, & consequenter nunquam fieri crisim bonam per depositionem in cute, quippe siue sint tubercula, siue exanthemata, nunquam fiunt abscesus per effluxionem. 2. Meth. c. 2.

ἢ τὰ τοιαῦτα ὅσα ἀποστάσιες μὲν εἰσιν ἀθρόως ῥεύσασαι, καὶ μὴ ἡμιρρόπως, ὅσα ἄλλα εἴρηται. Καὶ ἢν μὴ ἀναξίως τῆς περιβολῆς τῆς νόσου: οἷον τῇ Τημενέω ἀδελφιδῇ ἐκ νόσου ἰσχυρῆς, ἐς δάκτυλον ἀπεστήριξεν· οὐχ ἱκανὸν δὲ δέξασθαι τὴν νοῦσον, ἐπαλινδρόμησεν. ἀπέθανεν.

Aut eiusmodi, qui abscessus sunt aceruatim fluentes, & non semirepentes, & quæcunq; alia dicta sunt. Atq; si non sint pro ratione excretionis morbi indigna. Velut Temeni nepti, ex morbo forti ad digitum decubuit, qui cum non sufficeret ad suscipiendum morbum, recurrit. Mortua est.

Si memoria tenetis, dixi nō semel, inter alias conditiones, quæ requiruntur in abscessibus secundum effluxionem, hanc præcipuuam esse, vt effluxio fiat aceruatim. Sed cum potuisset aliquis suspicari, hanc vnam sufficere ad efficiendum abscessum secundum effluxionem, addit Hipp. in præsenti dictione, non solum requiri, vt effluxiones fiant aceruatim, verum etiam exigi alias tres conditiones. Prima autem quæ exigitur, est, vt hæ effluxiones non fiant (si latinè dicere licet) semirepentè: altera est, vt aliæ qualitates absint, de quibus antea disserui. Tertia, vt effluxiones & excretiones semper sint pro ratione,

& exigentiam magnitudinis morbi. Sed dubitare poteſt ingenioſus, quid ibi vult hæc vox ἡμιῤῥόπως quæ non eſt admodum frequens Hippoc. & forſan nuſquam alibi reperitur. Quare puto ego abſceſſus ſemirepentes eos vocari, qui erumpunt quidem, ſed non perficiunt eruptionem: ſimiliter etiam vocantur ſemirepentes abſceſſus, qui etſi erumpant, nõ tamen vniuerſa materia euacuatur: itaq; etiamſi huiuſmodi abſceſſus fiant aceruatim, non poſſunt tamen appellari abſceſſus per effluxionem, eo quia non perficiunt eruptionem, etſi abſoluant, non fit euacuatio totius materiæ morbificæ, vt par eſt. Aliud quod dicit Hippoc. requiri in abſceſſibus aceruatim factis, eſt, vt nulla ex relatis conditionibus deſit, quæ omnes fuerunt quatuor; vt cum coctione ſint, neq; in principio, neq; contrarium aliquid accidat antiquæ naturæ, & poſtremo, vt abſceſſus nullo modo recurrat. Vbi autem aliqua ex his conditionibus deſideratur, etiamſi abſceſſus ſint aceruatim facti, minimè tamen ſunt ſecundum effluxionem. Tertium quod exigi dicit Hippoc. eſt, vt excretio non ſit indigna magnitudine, & exigentia ipſius morbi, hoc eſt, vt abſceſſus ſemper ſit pro ratione magnitudinis morbi. Summa eſt, eos eſſe veros abſceſſus per effluxionem, qui ſunt verè decretorij; alioqui ſi non ſint decretorij, non ſunt ſecundum effluxionem. Et quia mos fuit Hippoc. res arduas, & vtiliſſimas exemplis illuſtrare, & confirmare, ideò poſtquam hæc dixit, ſubiungit exemplum feminæ cuiuſdam, in qua dicit abſceſſum factum eſſe in digito, ſed quia locus ille non erat capax omnis materiæ morbificæ, ideò inquit, abſceſſus recurrit, & miſera interijt. Quod quidem efficaciſſimum documentum debet eſſe omnibus, qui medicinam faciunt, vt vbi in grauiſſimis morbis abſceſſus non fiunt ſecundum exigentiam morbi, ſemper abſceſſus eos eſſe formidandos, & debere Medicum, medicamentis, ferro, & igne materiam attrahere, atq; conſumere: quæ alioqui eo ferri non poteſt. Memini me quondam Patauij aliquem curaſſe, in quo factus erat in grauiſſimo morbo abſceſſus in digito: quem cum ego maximè formidarem, iuſſi adhiberi ignem, & ſanatus fuit: ſiquidem potentiſſimus fuit ille ignis, cùm ad attrahendam, tùm ad conſumendam materiam, quæ alioqui non poterat in eum locum decumbere.

Ἀποστάσιες, ἢ διὰ φλεβῶν, ἢ διὰ κοιλίης, ἢ διὰ νεύρων, ἢ διὰ δέρματος, ἢ κατὰ ὀστέα, ἢ κατὰ τὸν νωτιαῖον, ἢ κατὰ τὰς ἄλλας ἐκροάς, στόμα, αἰδοῖον, ὦτα, ῥῖνας.

Abſceſſus aut per venas, aut per aluum, aut per neruos, aut per cutem, aut iuxta oſſa, aut ſecundũ ſpinalem medullam, aut ſecundum alias effluxiones, os, pudendum, aures, nares.

Hippoc. nil aliud videtur hìc dicere, quàm ea, quæ alias docuit, nempè per quas vias, ſint abſceſſus. Sed quid hoc eſt rei, Hipp. breuitatis amantiſſimum, & rariſſimè eadem repetentem, tamen breui interuallo hoc in loco ea quę antea recenſuit, iterum ſcriptis tradere? Hippoc. fecit hos libros, tanquam promptuarium: quicunq; ſibi parant promptuarium aliquod, illud habere ſolent, vt interdum crebro obſeruent, & adnotent, nonnunquam longo interuallo. Vnde fit, vt illi, qui minus memoria valent, eadem ſæpe in aduerſaria referant. Quid igitur mirum eſt, Hippoc. ſenem, & ab id obliuioſum, eadem annotaſſe. poſſumus ergo hunc errorem Hippoc. iam ſeniori condonare. Sed videamus an aliter eum tueri poſſimus. Hippoc. ſummatim recenſuit abſceſſus ſecundum effluxionem, & depoſitionem, adeò vt fere de differentia vtriuſq́. videtur locutus. Sed quia dubitare aliquis poſset, vtrum in vlla re conueniant, ideò Hippocrates ad auferendum hoc dubium, enumerat eoſdem abſceſsus, & ſignificat in hoc ſolum conuenire, quod omnes ſunt abſceſsus. Potuit etiam alia ratio mouere Hippocratem ad reperendum eadem quæ prius dixerat, quia ſupra enumerauerat quidem multos abſceſsus, ſed omiſerat etiam alios. Vnde cum nunc eos, quos omiſerat, proponere vellet, exiſtimauit melius eſse repetere. Tres verò ſunt quos omiſit, & nunc cum alijs repetit abſceſſus per medullam, per os, & per genitalia. Abſceſsus fieri per medullam declaratum habe-

habemus apud Hippoc. lib. de gland. & modus hic est, quod humores cerebri, ac etiam pectoris sæpè a natura pelluntur in medullam spinalem; vbi decumbentes, faciunt alios morbos. Et quanquam huiusmodi abscessus potest interdum esse per defluxionem, plærunq; tamen est per dispositionem, & inutilis. Vidcatis Hippoc. in Aph. vbi scribit, eos qui gibbi ex asthmate, aut tussi fiunt, ante pubertatem mori: & hoc fit, quoniam humores pectoris & capitis deponuntur in medullam. Omiserat etiam abscessum per os: sed video dicturum esse aliquem, Hipp. enumerasse abscessum per sputum, vnde cum sputum ab ore prodeat non videtur absæssus ab ore omissus. Respondeo, exire quidem sputum ab ore: sed quia nunquam aceruatim exit, non est abscessus. Vomitus quidem est, per quem verè fit ebscessus, & hic adeo proprius est ipsi ori, vt puto ego nunc Hippoc. nihil aliud intelligere per abscessum in ore, quàm vomitum. Ad genitalia quoq; fieri abscessus significatum habemus etiam a Thucid. & Lucretio in peste illa Athen. in qua pestifera tabes deponebatur in genitalia, atq; ita ægri superstites manebant. Hæc igitur tria abscessuum genera, vt doceret Hipp. voluit cum superioribus connumerare. Sed illud annotandum est Hippoc. ad declarandas alias effluxiones, superius vsum fuisse voce ἐκτροπαί nunc verò ipsum vti voce ἐκροαί, perinde ac si dicamus effluia, quam vocem vsurpeuit etiã Gal. in art. med. ad declaranda cerebri effluuia. Cum ergo tot tantaq; sint abscessuum genera, optimũ est, si quãdoq; aliquo modo occludãtur, curare, vt aperta, ac fluida reddãtur. L.6. Aph. 46

ὀκταμήνω τὰ τῶν κρίσεων, τῇ ὑστερέῃ, ὡς ἂν ἐς τὴν ὀσφῦν, ἢ ὀς τὸν μηρὸν,

Ex vtero octimestri iudicialia postera, sicut in lumbos & coxam.

Hæc dictio, tam in græco, quàm in latino codice vsq; adeo obscura & forsan muttilata est, vt qui eam interpretati sunt, vario & diuerso modo transtulerint. Ego autem, si mihi hac in re aliquid diuinari licet, puto totam hanc dictiunculam esse partem alterius, quam habet Hipp. 6. lib. Epid. & quod me hortatur vt ita sentiam est, quoniam Gal. in comenrario illius Aphor. citat hunc locum, imò citat quædam verba etiam huius loci: vt ob hoc in eam suspicionem veni, hanc dictiunculam, esse portionem illius, aut certe pertinere ad ipsam. Quod Hipp. 6. Epid. dicit, est, quod vbi ab abortu, aut alio affectu vteri, fit permutatio materiæ in caput, fiuntq; dolores in sincipite, in ijs octauo, aut decimo mense fit decubitus in coxendicem. Sententia autem huius loci est, quod vbi ex abortu, aut alio affectu vteri, id est vbi ex vtero fit labor in prægnante muliere, octauo mense fiunt iudicationes, & tandem fit decubitus in lumbos & coxam. Quæ sententia, vt annotauit Gal. in com. loc. cit. 6. Epid. potius videtur constare obseruatione, & experientia ipsius Hipp. quàm vlla ratione. Veruntamen conabor etiam ego aliquam rationem huius meæ sententiæ afferre. Sed primum duo annotare op rtet, vnum est, illud verbum octauo mense posse intelligi tùm de abortu, tùm de conceptu, atq; etiam partu. Veruntamen magis mihi placet, vt intelligatur de conceptu. Aliud quod annotare debetis est, verbum illud græcum τὰ τῶν κρισίων, non significare ipsam iudicationem, sed potius symptomata, quæ iudicationem sequi solent. Iam verò sciendum est, quod Arist. scribit, scilicet mulierem inter cuncta animalia solam laborare ex vtero. Et ideo qui sunt brutorum medici, rarissime medicinam adhibent ipsis brutis, ob vterum: ratio huius rei est, quia vt scribit Arist. sola mulier copiosissimè abundat sanguine menstruo, qui siue retinentur, siue abundet, siue peregrinas qualitates induat, semper solet maximum detrimentum afferre. Præterea obseruare oportet, cum mulieres maximè laborent secundum vterum, laborare præcipuè cum prægnantes sunt: adeo vt Aristot. dixerit tempore prægnationis nullam mulierem bene valere, quia veteres, quemadmodum testatur Vitruuius, quando vendebant mulieres prægnantes, nunquam præstabant eas sanas: quamquam contrarium tamen habeatur 21. digest. de edicto edilio, vbi Sabinus ait conuenire inter omnes grauidam mulierem sanam, quòd maximum, ac præcipuum fœminarum munus sit concipere, & conceptum tueri. Sed quamquam male valent prægnantes, tamen peius se habent, cum fœtus Sec. 1. tex. 1. Lib. 4. de gener. animal. cap. 7. Ibidem. 4. de gen. animal. cap. 6. Lib. 2. cap. 9.

 capil-

1 de Hist. animal. cap. 4.

capillos emittit, vt tradit Arist. quod cum octauo mense fiat, vt plurimum, hinc octauo mense maximè torquentur. Videtis ergo ex hoc discursu mysterium Hippoc. scilicet mulieribus vtero laborantibus, octauo mense fieri signa iudicatoria, hoc est symptomata, perinde ac contingunt in iudicationibus.. Sed qui fit, vt subiungat statim desinere in lumbos & coxam? hoc forsan potest esse vnum ex ijs quæ experientia didicit Hipp. Neq; tamen contemni debet, maximè si vox illa τῇ ὑστέρῃ intelligatur de tempore post partum. nam quæ laborant octauo mense post partum, solent etiam pati plurimos morbos; & præ cæteris, vterus male affectus, & prauis humoribus repletus, consueuit modò in vnam, modò in aliam partem incumbere. Quæ etsi rationi satis consentanea esse videantur, non tamen satis aptè accommodari possunt verbis Hippoc. Sed in re admodum obscura licet rationabiliter diuinare. Quoniam verò dixi paulò ante, hanc dictionem, esse partem illius, quæ habetur in principio lib. 6. Epid. locus ille me inuitat, vt duo vtilissima problemata proponam. Primum est, cur in in mulieribus laborantibus vtero, solet præcipuè caput lædi, & præsertim pars anterior capitis. Alterum est, cur affecto vtero, lumbi, coxæ, & crura interdum male habeant. Quod ad primum attinet, fuerunt nonnulli ex antiquis, qui existimarunt ideò hoc fieri, quia non exigua coniunctio intercedit inter cerebrum & vterum: in vtero enim sunt testes, quorum substantia similis est substantiæ cerebri. Sed vsq. adeo insulsa est hæc interpretatio, quemadmodum testatur Gal. vt potius risum, quam confutationem mereatur. Alij tentantes huius rei rationem reddere, dixerunt, fieri id, propter consensum, qui est inter principium neruorum, quod est cerebrum, & vterum, qui nerueus est. quasi nerueæ partes vbiq. neruosis debeant compati. Hanc

6. Epid. com. 1 tex. 2.

interpretationem duabus firmissimis rationibus confutare conatus est Gal. nam si fieret propter consensum, deberet prius pati ventriculus, & diaphragma, quàm caput: quia ventriculus & diaphragma sunt partes neruosæ, & proximiores vtero: vnde laborante vtero, hæc prius affici deberent. Alia ratio Gal. est, quod tria sunt genera partium seminalium, quæ carent foraminibus: neruus ventris, qui originem ducit a spinali medulla; tendo, qui erumpit ex musculis; & ligamenta, quæ oriuntur ex ossibus. Præter hæc tria genera, nihil est quod nerui nomen merere videatur. Atq; vterus neq; neruus est ventris, neq; ligamentum, neq; tendo: itaq; non est rationi consentaneum, debere hæc symptomata apparere. Et quia vidit Gal. a plærisq; neruosum vterum appellari, dicit hoc dictum esse propter similitudinem, non propter identitatem. quæ similitudo est, quia vt neruus dilatatur & constringitur, ita vterus. Nulla ergo ex his opinionibus est amplectanda. Vera ratio est, quoniam cum vterus deberet conseruare & alere fœtum, opus erat, vt abundaret alimento & calore. Itaq; natura inseruit ipsi vtero, venas & arterias amplas: quæ si quando replentur sanguine menstruo, vel alijs humoribus, hi putrescunt, vel non putrescunt: si putrescunt, vapores in cor mittunt, vnde fiunt febres: mittunt etiam in caput, vbi dolores inducunt. si non putrescunt, sed incalescunt tantum, mittunt vapores in cerebrum, & dolores producunt. Adeò vt iure quomodocunq. vterus laboret, semper quoque caput officiatur. Sed cur potius secundum partem eius anteriorem? Duæ etiam rationes sunt accommodatissimę, vna est, quod natura in sincipite suturas fecit, vt per eas possent fumi totius corporis difflari & euacuari, vnde in sanitate natura docta, vapores corporis, & propterea etiam vteri mittit in hanc partem capitis anteriorem. quod cum multo magis fiat in aduersa valetudine, eapropter contigit mulieres sincipite magis laborare. Sed dubitabit fortasse ingeniosus, inquiens, hoc quidem verum esse in viris, at non

2. de part animal. cap. 7. 1 & 3. de gener. animal. cap. 5. & 7.

in mulieribus; siquidem vt scribit Arist. viri, plures habent suturas, quàm mulieres. Imò testatur idem autor, mulieres habere vnam duntaxat suturam, & circularem: Itaq. rationi consentaneum est, vbi non sunt multæ suturæ, naturam non debere eo mittere vapores, & consequenter mulieres nunquam aut rarius laborare dolore partis capitis anterioris. Respondeo Arist. quidem auctoritas nobis vera fidaque esse debet: sed vt liberè sententiam meam eloquar, ipse sæpe lapsus est: & præsertim hac in re: cum experientia quotidiana docet easdem suturas esse in mulieribus, quæ sunt in viris. Sed grauius etiam

fefellit

Fallit Arist. quando credidit nullam fere mulierem singulo mense habere menstrua, sed tantum altero mense. equidem quis ignorat singulo mense expurgari? Sed ego Aristot. excuso, quia forsan licet coniugatus fuerit, liberosq; susceperit, non multam tamen habuit cum mulierib. cõsuetudinẽ. Itaq; nihil valet hæc auctoritas Arist. Alia ratio propter quã laborantes secũdũ vterũ afficitur dolore circa sinciput est, quia ea in parte natura collocauit quasdã mẽbranas admodũ sensiles quib. crassa mẽbrana colligatur pericranio. Vnde fit, quod etiãsi in affectib. vteri vniuersũ caput afficitur, tamẽ maximè hac parte dolet, quæ maximè est sensilis. Est præterea altera causa, nimirum imbecillitas partis. Ita enim est natura comparatũ, vt pars quæq. repellat a se quod noxiũ est, donec in imbecilliore firmetur. Si ergo ab vtero ad caput vapores feruntur, semper propelluntur, donec in sincipite, parte capitis imbecilliore maneant. Esse autem hanc partem imbecilliorem, docuit Hippoc. vbi scribit, sinciput propterea imbecillum esse, quia os illius tenue, exigua caro cerebrum copiosissimum. Id quod multo magis in mulieribus verum est. quippe quas Arist. scribit propterea non caluescere, quia cerebrum ipsarum in parte anteriori copiosissimum est, nec vnquam dehiscit & exiccatur. Hæc itaq. est etiam ratio, qua mulieres tentantur dolore capitis, si laborent vtero. Imò verò Alexander dicebat propterea fieri deliria ab vtero quoniam membrum id natura constat neruosa, suaque primordia è stomacho atque membranis cerebri ducit, quod vel ipso contextu palam est. Ad secundum problema dicendum est, quod si quando vterus nimium repletur humoribus crudis crassis, & prauis, fit vt nerui dorsi premantur, vnde modo contractiones maiores, modo minores, ac sensus priuationes fiunt, & si arteriæ ac venæ præmantur, ἀτροφίαι partium, atq. refrigerationes sequuntur. Haud secus quoq; interdum contingit, vt vterus sic repletus, modò in vnum, modò in alterum latus procumbit: vbi dolores, & grauitates producit.

(Marginal notes: 7. de Hist. animal. c. p. 2. — Lib. de vul. capitis. — Sec. 10. Prob. 40. — 2. Prob. 102.)

καὶ ἐς ὄρχιας. Ἔστι δ' ὅτε ἐκ ἀηχέων. Καὶ ὄρχις αὐτὸς ἐφ' ἑωυτοῦ. Βηχώδεες ἀποστάσιες, αἱ μὲν ἀνωτέρω τῆς κοιλίης, οὐχ ὁμοίως ῥύονται.

Et in testes nonnunquam ex tussibus. & testis ipse a seipso. Tussiculosi abscessus, qui quidem supra ventrem, non similiter perfectè leuant.

Nonnulli qui latinum fecerunt hunc librum, existimarunt primam hanc particulam connectendam cum superioribus: quasi diceret, fieri abscessus cùm in lumbis, tùm in costis & testibus. Sed hæc interpretatio nunquam mihi placuit: siquidem etsi mulieres etiam testes habent, non est tamen Hippoc. in vsu hos ὄρχιας appellare, quemadmodum in viris, sed γονὴν, siue αἰδοίαν. Itaque multo magis mihi placuit, vt hæc dictio connectatur cum superioribus. In præsenti ergo contextu tria docet vtilissima, & scitu digna. Vnam est ex tussibus fieri abscessus in testibus. Alterum, quod licet ægri interdum tussi torqueantur, & simul etiam testes tumeant: fieri tamen potest, vt tumor non a tussi, sed ab ipsis testibus oriatur. Tertium est, tussiculosos abscessus si fiant in partibus superioribus, esse deteriores. Quod ad primum spectat, alias etiam ab Hippoc. scriptis est traditum, & rationem intellexistis, propter quam ex tussi fiunt abscessus in testibus. Secundum verò, suaptè natura satis conspicuum est: quia etiamsi testes nutriuntur semine, quod quidem est sanguis elaboratus, attamen negare non oportet, quin etiam, cum nutriantur testes, possint producere excrementa, quæ vbi paulatim colliquantur, abscessus tandem faciunt. Et hoc est: quod hic docet Hippoc. etiam sine tussi posse testes sustinere abscessus. Circa tertium autem, primò scire oportet, id quod hic scribit Hippoc. verissimum esse, nempè ex tussi interdum fieri abscessus in partibus superioribus. Videte ipsum Hipp. lib. 4. Epidem. vbi monstrat plurimis ex tussi intumuisse partes subtus aures, & in humeris factos abscessus. Vt qua ratione fiunt abscessus ex tussi in alijs partibus, eadem etiam in superioribus fieri, nemo dubitare debeat. Sed cur Hippoc. tales abscessus, non solum inutiles esse, sed perniciosos etiam, asseruit? Triplex, quantum ego puto, est ratio: prima, quia

vt Hip-

vt Hippoc dixit supra, abscessus omnes infra ventrem boni sunt. Vnde si hoc verum est, rationi consentaneum est, in partibus superioribus esse malos. Altera ratio est, & potior quoniam vbi fiunt abscessus ex tussi in partibus superioribus, necesse est, vt fiunt in locis cerebro proximis, vel in faucibus, vel in ipso thorace: quomodo cunq; fiant, semper pessimi sunt. Tertia ratio & optima est, quia ita natura comparatum est, vt humores naturali quadam promptitudine semper ferantur ad inferna. Vbi ergo ad superna feruntur, est contra naturam, & adest vis magna, atq; non fit nisi primis diebus, materia cruda existente, & diebus non criticis. Vnde semper mali sunt. Videtis itaq; quàm rationabiliter Hipp. omnia tradat. Ex his iam præclara documenta pro facienda medicina colligi possunt. Vnum est, quod vbi mulieres capite laborant, semper vteri magna sit habenda ratio. Atque hoc Hippoc. præcipiebat de morb. mulier. vt Medici sint diligentes in interrogando fœminas: quia pudor solet illas deterrere a detegendis rebus suis. Aliud documentum est, vt postquam omnes abscessus supra ventrem mali sunt, nunquam retrahatur materia a partibus infernis ad supernas; neq; cucurbitulis, neq; frictionibus: quia vbi natura hoc facit, semper male operatur: non debet Medicus naturam male operantem imitari.

Αἱμοῤῥαγίαι λαῦροι ἐκ ῥινῶν, ῥύονται πολλά: οἷον τὸ Ἡραγόρεω οὐκ ἐγίνωσκον οἱ ἰητροί.

Sanguinis fluxus largi ex naribus, soluunt multa, vt quod accidit Heragore, non cognouerunt Medici.

In huius præclarissimæ sententiæ explanatione primum duo quærere oportet, vnum est, cur sit, quod, cum multæ aliæ fluxiones copiosæ soluant multos morbos, vt fluxio alui, vomitus, nihilominus Hipp. duntaxat mentionem facit fluxionis sanguis e naribus? alterum est, cur dicit soluere multa? Audite admirabile consilium Hippoc. Medici imperiti, & qui in ægris curandis nō sunt admodum exercitati, vbi vident fluxiones alui, aut vomitus, nunquam pertimescunt, imò maximè gaudent. Vbi verò sanguinem fluere copiose vident, mirum in modum timent, quia cum sanguis sit habitaculum, aut saltem vehiculum, vel fomentum caloris, & animæ, metuunt ne cum sanguine, ipsa etiam vita profundatur; vnde solent sistere quandoq; importunè sanguinem fluentem. quemadmodum existimandum est euenisse in casu Heragoræ: in quo cum Medici ignorarent beneficium sanguinis fluentis, forte adhibuerunt sistentia remedia. Itaq; vt hunc errorem ex Medicorum more amoueret, hanc sententiam protulit, sanguinis fluorem copiosiorem soluere multa. Et idcirco videtis quàm mirabili iudicio tacuerit alias indicationes, & solius fluxus sanguinis mentionem fecit, in quo decepti erant Medici in Heragora. Puto hoc ad æternam memoriam nos monuisse Hippoc. Iam verò videndum est cur dicat soluere πολλά. Quod etiam non sine summo iudicio fecit: nam sanguis qui e naribus fluit paucus est, vel copiosus: si paucus, vel in vehementi est morbo, vel leui. Si fuerit paucus, atque in vehementi morbo, semper læthalis est. Videte quæso, omnes casus relatos ab Hippoc.

Lib. 1. cōm. 3. cas. 1. in lib. 6. Epid. Philisci Epaminonis Sileni examinate omnes, interierunt equidem quibus stilla sanguinis e naribus decidit, vt iure in prorrh. dictum sit, stillam sanguinis e naribus, lethalem esse. Si autem sanguinis stilla exierit e naribus in morbo frigido, aut tardo & debili, est quidem hæc stilla mala, sed non lethalis. Videte Hippoc. in coacpræd. vbi scribit in doloribus aurium, & quibusdam affectib. frigidis, stillam sanguinis habere quidem aliquid difficultatis, sed non esse læthalem. Sed si copiosus fluit sanguis, vel fluit die critica, apparente concoctione, in morbi vigore: aut fluit die non critica, apparente cruditate, & in principio morbi. Si sanguis exeat copiosus primo modo, certè semper aufert morbum, cum quia magnopere refrigerat corpus, tum quia in larga sanguinis euacuatione fieri non potest quin maxima peccantis humoris pars euacuetur. & hoc est

1. Epid. [illegible] 2. [illegible] 3. & 66. quod Hipp. scribit, neminem interijsse, cui larga sanguinis e naribus profusio contigerat. Si autem exeat die non critica, & crudo existente humore, non solum non seruat, sed etiam

tiam huiusmodi sanguinis fluxus pernitiosus est. Videtis ergo quanto cum iudicio, & ratione dicat omnia Hippoc. Iam vero clarè satis videri potest, cur dicat τὰ πολλὰ: quia sæpe contingit vt dum sanguinis fluxus copiosus est, interdum sit lethalis, non raro salutaris. Sed cur sanguis e naribus fluens potius seruat, quàm alia ex parte: quia sanguis qui prorumpit e naribus, ex nullo viscere prodire solet, sed ex vniuerso corporis habitu, quod non facit ille qui ex ore, vel aluo profluit: siquidem si est ab ore effluxus sanguinis, procedit ab aliquo viscere affecto. Verum dubitatio non insignis oritur, quomodo Hippocrates dicat sanguinem e naribus fluentem seruare multos, siquidem ipse Hippoc. 4. lib. Aphor. scribit hæc verba, sanguis si supra exierit, qualiscunque fuerit malus: bonum autem est, si infra exierit: nam si sanguis quomodo cunq; exit supra, malus sit, quomodo fieri potest, vt multos seruet? Gal. qui vidit forsan hanc difficultatem, in commentario illius Aphor. inquit, intelligendam esse Hipp. sententiam non quidem de sanguinis fluxione e naribus, sed ab ore, quasi semper malus sit sanguis, qui ab ore emanat, non autem ille qui e naribus profluit. Sed hæc responsio minimè videtur remouere dubium, siquidem idem Hippoc. loquens de sanguinis vomitu, inquit, sanguinis vomitus, si fuerit sine febre, salutaris est: sin cum febre, non salutaris: curatur autem frigidis, & astringentibus. Cum ergò vomitus sanguinis sine febre est salutaris, quare Hippoc. loquens de sanguinis fluore ex ore, inquit, qualiscunq. sit, malum esse? Hi nodi difficiles sunt. Sed puto respondendum esse Hippoc. in Aphor. non dicere simpliciter vomitum sanguinis esse salutarem, sed comparatiuè cum febre, quasi diceret omnem quidem vomitum sanguinis malum esse, sed magis salutarem esse eum, qui sit sine febre; quia vbi vomitus est cum febre, si curandus est, curari debet frigidis, & astringentib. astringentia sunt autē inimicissima febri. Itaq; vbi febris abest, tunc tutius est curare sanguinis fluorem; hunc ergo dicit Hipp. esse magis salutarem. Ex his igitur potestis elicere documentū maximum, quod vbi occurrunt largi sanguinis fluxus e naribus, non statim ad eum compescendum vos conuertatis, sed animaduertite, an sit criticus, an conferat, & quis sit color ægri: quia vbi seruatur color, vbi æger percipit vtilitatem, quando sit die critica, scinedum est, vt sanguis exeat. Vbi secus sit, conuertendum est omne studium, ad sanguinis fluxum sistendum: in quo peccasse Medicos Heragoræ dicit Hippocrates.

4. Aphor. 25.

7. Aphor. 37.

Τὰς φωνὰς οἱ τρηχέας φύσει ἔχοντες, καὶ αἱ γλῶσσαι ὑποτρηχέες. Καὶ ὅσαι τραχύτητες ὑπὸ νόσων ὡσαύτως.

Voces asperas natura habentes, ijs linguæ subaspera, & æquales asperitates a morbis similiter.

Dixi sæpè, si memoria tenetis, quæcunq; annotata sunt ab Hipp. hoc in lib. & 6. Epid. aut nullum, aut obscurissimum connexum inter se habere. Veruntamen quia licet ingenium etiam in his exercere, quæ non apparent, propterea audite non ignobilem connexionem. dixerat Hippoc. in fiue præcedentis dictionis, abscessus tufficulosos, qui fiunt supra ventrem supesiorem nunquam perfectè leuare. Et quia hoc satis obscurum videri posset, subiunxit fluorem sanguinis e naribus, qui est inter supernos abscessus, multa soluere. Quod quia non ita certum videri alicui posset, propterea Hippoc. in proposita dictione nos docere vult eos, qui percipiunt beneficium ex largo sanguinis fluore. sunt autem illi sine vlla controuersia, qui habent vires omnes robustas, scilicet vitales, animales, & naturales; hę enim facultates cum robustæ sint, vbi sanguis e narib. fluit, non solum detrimentum non percipiunt, sed plærunq; incredibile iuuamentum. Quomodo autem cognoscantur corpora robusta, egregiè hac dictione docet, & demonstrat tribus argumentis: & maximis. Primum demonstrat a voce, tùm à constitutione ipsius capitis: deinde a constitutione venarum gracilitate, & obæsitate: adeò vt si rectè expendatis, quæ scribit Hipp. facile intelligere potestis, non posse quidquam excogitari efficatius ad demonstrandum illud

illud his tribus argumentis. Sed video dicturum esse aliquem quomodo potest ex voce cognosci corporis robur, atq; ita vt recenseat Hippoc. vocem inter præcipua signa huius cognitionis? Scire debetis vocem apud Gal. nil aliud esse quam percussionem aeris ad asperam arteriam, factam a facultate motrice. Ita vt ad edendam vocem tria necessario concurrant, facultas modrix: organum idest aspera arteria: mataria ipsius vocis, nempe aer ipse, siue potius expirario, siue exsufflatio: nam videbitis aerem vocari materiam vocis, quia aer qui expiratur percussus in asperam arteriam, vocem edit. Itaq; ex voce possumus hęc tria intelligere, robur facultatis motricis, dispositionem instrumentorum, necnon copiam & inopiam aeris inspirati & expirati. Si ergo hæc omnia ex voce colligimus, quis non videt aerẽ hunc a corde emanare: & idcircò, vt est multus, vel paucus, ita quoq; indicare exiguum, vel multum cordis calorem. Haud secus, si sit magna, vel parua vox, grauis seu acuta, vel sonora, potest indicare dispositionem ipsius thoracis, asperæ arteriæ, & consequenter dispositionem facultatis animalis, & cerebri. Quare videtur, quod voluerit ex ipsa voce cognoscere robur corporis humani. Dicit ergo Hippoc. eos qui asperam vocem habent, siue a natura, siue a morbo, habere etiam linguam subasperam. Circa quæ tria diligenter consideranda, primò quæ sit vox aspera apud Hipp. secundo quæ sint causæ asperitatis vocis, tertio, vnde fiat vt si sit vox aspera, lingua etiam fiat subaspera: mysteria sanc scitu dignissima, neq; vulgaria. Quod ad asperitatem attinet, audiuistis tria esse quæ concurrunt ad fabricam, & perfectionem ipsius vocis, facultatem, instrumentum, & aerẽ: secundum varietatem horum omnium certissimum est fieri quoq; varias & diuersas vocis differentias, quemadmodum scire potestis ex Arist. & Gal. Si ergo expiratio multa fuerit & virtus valida, vox & magna, & grauis est: cõtra si pauca exsufflatio & virtus debilis, vox parua debilis, vt senum: tùm si instrumentum, scilicet aspera arteria, sit leuis, fit vox leuis: si instrumentum inequale, fit aspera. Ita si ipsi instrumento nulla conditio desit, & virtus valet, fit vox clara, quæ a Gal. appellatur alra; quemadmodum vbi male dispositum est organum, & exsufflatio etiam exigua, fit vox, fusca a Celso, & Plinio nominata, a Gal. nigra. Adeò vt perspectissimum non differre voces, nisi propter varietatem eorum trium, quæ ad ipsius vocis constitutionem conspirant. Habetis ergo ex hoc discursu, vocem asperam nihil aliud esse, quam eam quæ fit propter asperitatem asperæ arteriæ. cæterum quæ est hæc asperitas? Arist. & Gal. docuerunt non aliunde hanc fieri, quam propter inæqualitatem. Vt enim vox clara & sonora esse posset, & præsertim cum in egregios fines natura semper voce vtitur, opus erat fieri hoc instrumentum vocis politum & leue: quod si sit inæquale, necessarium est, vt vox sit aspera, quemadmodum a serra compertissimum est semper fieri sonum asperum. Hæc quidem hactenus placent, sed illud dubium remanet in animis vestris, cur in aspera arteria fiat inæqualitas, vt consequenter possit fieri vox aspera: in qua re inuenio dissensum forsan a paucissimis notatum. Arist. lib. de gen. animal. scribit asperitatem vocis non ob aliud fieri, quam propter humiditatem: atq; vtitur Arist. eadem voce τραχεῖα τραχυτέρα, & τραχύτης, qua Hipp. & Gal. Præterea quærens Arist. in Prob. rationẽ propter quid in vigilantib. nimis, voces fiant asperæ, dicit illud fieri, quia in ijs fiunt multæ cruditates, ex quibus humorum fit copia: quæ reddit instrumenta vocis inæqualia: atq; ita fit uox aspera. Sed contra est explicatissimè Gal. qui plurimis in locis scribit manifestissimis verbis, vocem asperam non ob aliud fieri quàm propter siccitatem asperæ arteriæ. adeò vt manifestissima sit dissentio inter Arist. & Gal. In hac grauissima dissentione, puto dupliciter responderi posse, vno modo, duplicem esse asperitatem vocis: alia est naturalis, alia vero ascititia & morbosa: asperitas naturalis non ob aliud fit, quam propter paupertatem illius humiditatis, qua partes asperæ arteriæ continnantur. Et de hac Galen. loquitur, scribens fieri a siccitate. Nec immeritò, quia vt videmus terram aridam in æstate fieri asperam & inęqualem: ita quando aspera arteria sua humiditate est nudata, efficitur inæqualis & aspera. Asperitas verò morbosa, ortus sui primordia ducit ab humiditate, quæ cum inæqualiter repleat meatus arteriæ, fit inæqualiras. Sed est hæc responsio consentanea quidem rationi, non tamen satisfacit autoritati Arist. Dicendum puto

4. de loc. aff. c. 6. & lib. art. med. cap. 68. & de part. & de voc. inst. sect. cap. 1.

5. de gen. animal. c. 7. loc. citat.

5. de gen. animal. cap. 7.

Sec. 11. Prob. 11.

In art. med. c. 68. & 1. Ep. com. 2. t. 78.

puto asperitatem dupliciter accipi posse, vel proprie vt distinguitur ab ipsa, raucedo: vel communiter, vt pro asperitate etiam raucedo accipiatur. Si propriè accipiamus, semper fit a siccitate, & sic locutus est Gal. si verò, prout complectitur etiam raucedinem, sic efficitur sane vox rauca ab humiditate, imò verò Gal. multis in locis testatur, non aliunde oriri, quàm a destillationibus. Adeò vt verissimum sit raucedinem fieri ab humiditate, asperitatem a siccitate. Tertium est, quod inuestigari oportet vnde fiat, quod sicuti scribit Hippoc. illi qui habent vocem asperam, habent etiam linguam subasperam: nam non videtur rationi consentaneum, siquidem lingua nihil seruit voci, vox non est opus linguæ, sed duntaxat vocalium instrumentorum, linguæ saporis ergò, non sermonis gratia facta est: non ergo necessarium videtur, vt ex asperitate vocis cognoscamus subasperitatem linguæ. Respondeo Hipp. nostrum nunquam fefellisse, neq; quicquam dixisse sine summo iudicio. Verum quidem est, nihil linguam ad vocem conferre, sed connexa est laringi & epiglottidi, quæ sicuti pertinent ad vocem, & dispositæ sunt, ita accidit vt etiam lingua variè disponatur. Vnde si larinx & epiglottis sint nimium exiccatæ, ratione huius vicinitatis, necessarium est, vt linguæ etiam exasperetur aliquo pacto, siquidem Arist. dicebat, linguam esse indicem multarum rerum tùm quia bibax est, tùm quia superposita pulmoni, vnde velutì receptaculum est vaporum atq; humorum: quare si afficitur quia superposita est pulmoni, multo magis afficietur ratione statim allata. Et notate Hipp. dixisse summo iudicio fieri linguam subasperam, quia lingua nunquam potest deuinire ad tantam asperitatē, ad quam instrumenta vocalia feruntur: quia cum lingua deberet inseruire sermoni, & propterea longe lateq; flecti, facta est mollissima. Sed dicetis quomodo lingua non potest fieri aspera? non videmus in febre ardenti in magnis æstibus adeò torrefieri, vt asperrima fiat? Respondeo hoc quidem verum est, quod morbo & accidente potest fieri aspera, sed non propter connexionem cum instrumentis vocalibus, & cum Hipp. de hac tantum loquatur, iure dixit, fieri tantum subasperam.

Αἱ ἐν ἐοῦσαι σκληραὶ τῇ φύσει καὶ ἄνοσοι, τοῦτ᾽ ἔχουσιν.

Duræ igitur natura existentes, & sine morbo hoc habent.

Sententia propositæ dictionis est, quod si voces asperæ fiunt asperæ, & natura & accidente, pariter voces duræ fiunt & natura, & sine morbo. Hoc enim vult significare Hipp. scribens voces duras hoc habere. Circa quam dictionem duo breuiter videre oportet. Vnum est, quid sit apud Hipp. vox dura, & quæ sint huius causæ. Secundum, quid significet apud hunc scriptorem, fieri aliquid sine morbo. Gal. in arte med. videtur confudisse vocem asperam & duram, quasi apud Hippoc. & Medicos, aut parum, aut nihil differant. Sed reuera huiusmodi voces inter se differunt, nec existimandum Hippoc. sine ratione distinxisse has voces. Adeamus itaq. magistrum omnium Arist. qui manifestè notat vocem asperam & duram esse diuersas. Sunt autem complura in quibus differunt; quia durum id dicitur, quod tactui non cedit, vt Arist. sæpe nos monuit. Asperum, est quidem molestum tactui, sed cedit etiam: & præterea asperum fit ab inæquitate, durum potest etiam esse æquale. Postremo asperum est contrarium polito, durum molli & friabili. Itaq; ex huiusmodi differentijs simul collectis possumus ita constituere, vocem duram eam esse, quæ minimè flexibilis sit, hoc est quæ neq; magna neq; parua, neq; grauis neq; acuta fieri potest, sed semper eandem formam habet, quam a natura accepit. Si corpora dura & rigida appellamus, quæ nullam flexionem patiuntur. Iam verò huiusmodi durities in voce non aliunde oritur, nisi a duritie ipsius organi, hoc est a duritie asperæ arteriæ. Sic solemus appellare instrumenta musica dura, quando ita sunt fabrefacta, vt nullam soni inflexionem patiantur. Sed hoc quidem omnia plana sunt; illud verò non ita certum est, vnde oriatur durities asperæ arteriæ, ita vt faciat vocem duram. Galen. tres modos proponit, quibus corpora in vniuersum indurantur. Vnus est per congelationem, alter per exiccationem, tertius per repletionem. Congelatione fiunt res duræ, quando, vt habet Aristot.

4. de gen. anim. cap. 7.

5. simp. med. cap. 3.

ita a frigore condenſantur, vt duræ euadant; ſic fit glacies. Fiunt res duræ propter exicationem, quando humido conſumpto vi frigoris aut caloris, remanent partes areſactæ, & induratæ. Poſtremo dureſcunt per repletionem, cum corpora caua ita replentur flatu, vel humore, vt nullo pacto cedant tactui. Per congelationem non poteſt fieri aſpera arteria dura, vt dura vox fiat, quia (vt inquit Gal.) quæ ſic indurantur, id à ſummo patiuntur frigore: in corpore iuuenum eſt plurimum caloris, quare non poteſt fieri propter congelationem, tum prius quàm ita frigeret, homo interiret. Non fit etiam ob repletionem, quia etſi aſpera arteria poteſt repleri humore, non tamen ita poteſt repleri vt hac ratione duræ euadant voces; & fiet potius raucedo. Supereſt fieri propter exiccationem aſperæ arteriæ, quæ fieri poteſt tùm ob intemperiem frigidam, tùm calidam. Ob frigidam fieri poſſe teſtatur Gal. vbi declarans quo pacto coitus induret quæ ſunt in corpore, vt dicit Hippoc. inquit, ex frigida intemperie exiccantur & indurantur. Fieri quoque ob calorem, declarat Ariſt. vbi quærens cur vox corrumpi his ſoleat, qui cibo ingeſto clamitant, inquit idcircò fieri, quia calefaciunt aſperam arteriam & exiccant, vnde vox aſpera & dura redditur; id quod ſcribit etiã contingere in his qui febricitarunt, qui ſtatim atq; febris ceſſauerit, cantare nequeunt. Vnde patet duram vocem non ob aliud fieri, niſi ob intemperiem frigidam comprimendo, & calidam abſumendo & exiccando. Sequitur vt videamus iam, cur dicat vocem duram fieri à natura & ſine morbo. Apud Medicos tria genera cauſarum ſunt, cauſæ naturales, morboſæ, & non naturales. Et appellantur non naturales, quia prout ſe accommodant corporibus noſtris, vel malè, vel bene, modo naturales, modo non naturales euadunt, vt ſunt aer, ſomnus & vigiliæ, motus corporis, animi, venus, cibus & potus &c. His cauſis certiſſimum eſt non mutari ſolum hominis vocem, ſed & omnium animalium, ita vt Theophraſtus ex vocibus animalium ſæpe prædixerit aeris conſtitutionem. Valet itaq; maximè aer ad vocem mutandam, vt Hippoc. dixerit eos qui habitant plagam orientalem habere voces claras & ſonoras, quia ſub aere illo redduntur corpora temperata; vnde voces fiunt claræ: ſic etiam vigiliæ & venus maximè id hoc faciunt, vnde Veteres, vt cantoribus vox clara remaneret, infibulabant præputia, ne venere vterentur, quaſi venus ſit maxima cauſa mutationis vocum. Hipp. igitur cum cognoſceret voces duras & alias fieri cum à natura, tum ab huiuſmodi cauſis, voluit potius dicere fieri à cauſis non morboſis, & non naturalibus, vt complecteretur omnia hæc genera cauſarum.

Lot. citat. & 6. Epid. com. 3. tex. 27.

6. Ep. com. 5. tex. 28.

Sec. 11. Prob. 22.

Lib. de aere, & aqua.

αἱ δὲ μαλθακαὶ, καὶ βραδύτεραι ἐς ἀμαρτωλίην, ἢ χρηστὸν, ἀρχαίη φύσις.

Molles autem & tardiores ad errorum cognitionem, & vtilitatem, quam antiqua natura.

In hac dictiuncula ſunt verba quædam annotanda. Vnum eſt vox ἀμαρτωλίην, quæ vt docet Erotianus ſignificat errorum cognitionem. Alia eſt vox ἀρχαίη φύσις idest antiqua natura, quod ſecundum Erotianum idem eſt, ac ſi dicamus, ſecundum naturam. Vult igitur dicere hac dictione Hippoc. voces molles eſſe tardiores ad errorum cognitionem, quam voces ſecundum naturam. Sed quæ eſt hæc loquutio Hippoc. voces eſſe tardiores ad cognoſcendos errores? Solet Hippoc. ſæpe his vti, inquit, alimenta debilia, quæ breuem vitam habent. Vult ille dicere alimenta debilia facere breuem vitam in hominibus. Eundem ſenſum habent hæc verba, voces molles eſſe tardiores ad errorum cognitionem, hoc eſt molles voces efficere, vt non poſſimus ita ſtatim iudicare, neque bene, neque malè de ægris. ſi non poſſe facere molles voces, quæ fiunt ex accidente, vt faciunt molles voces ex natura Hipp. forſan potuit hoc annotare ex propria obſeruatione; ſed eſt etiam aliqua ratio. Quia molle cum cedat tactui, eſt flexibile (vt inquit Ariſt.) propterea in molli arteria ſiunt voces flexibiles, quia ſpiritus efflatus poteſt huc atq; illuc diſpẽſari. Vnde cum molles

In Onomast. Hippoc.

6. Ep. com. 5.

voces

voces fint ita flexibiles, & poffint affumere quamlibet differentiam, hinc fit vt non poffit facile ex molli voce Medicus ferre iudicium de ftatu totius corporis. Sed dicetis, quid emolumenti præftat cognitio harum vocum ad intelligendum an fluxus fanguinis e natibus fit bonus. Solerti ingenio maximum fanè præftabit emolumentum: quia voces afperæ, duræ, & molles, cum fequantur calorem debilem, iure arguunt ea corpora, a quibus fiunt, non effe robufta; & propterea hæc non recipere vtilitatem ex fluxu fanguinis, fed graues, claræ, cum fequantur copiam caloris natiui, & optimum temperamentum, fit vt facilè inducant ingenium Medici ad iudicandum optimam corporis conftitutionem. Documentum autem pro medicina facienda eft, licere Medico ex ipfis vocibus non folum profpicere temperamentum corporum, verùm etiam mores animi. Et videatis Polemonem, qui monftrat, quomodo ex vocibus hominum poffimus non folum iudicare temperaturas, verum etiam mores. Et hic locus fubminiftrat nobis pulcherrimum problema, vtrum verum fit, quod fcribit Ariftot. & plæriq; vnum hominem habere vocem variam, bruta fecus, & fi hoc verum eft, quæ fit eius caufa. Nam Arift. quærens rationem, cur ita tardè hominibus efficiatur vox, inquit, quia vni homini vox varia fit. Plin. fcribit non folum hominem variam habere vocem, fed & quafi vultum latitare in voce hominis, & certè funt plerîq; qui ex fola voce hominum, eius vultum & faciem cognofcunt. Iterum ex altera parte eft Plutarchi authoritas lib. quod bruta rationem habeant, tùm Porphyrius lib. de abftin. ab animatis, qui omnes dicunt non folum bruta habere rationem, fed & fermones vocefq. varias, quibus fe intelligunt, quia nihil refert, quod eas non cognofcimus, quia neq; illa nos, neq; nos illa intelligimus. Dicendum vocem dupliciter accipi poffe, vel pro puro fono & aëris percuffione, vel pro explicatione ipfius vocis. Homo quod ad fonum pertinet, & ad explicationem, miram varietatem habet. Bruta non quoad fonum (quia vnumquodq. animal vno præditũ eft fono) fed fi aliquam varietatem habent, ea eft in explicatione. Id quod perfpicuum eft in vnoquoq. genere auium, quorum foni licet fint iidem, in explicatione foni funt varij. Poffumus etiam dicere in hominibus effe varietatem vocis cuiufq. in brutis exiguam aut nullam. Poftremò, cum hoc verum fit hominem folum infigni valere varietate, quæ eft caufa huius rei? Ariftot. dixit idcirco fieri, quia homo multis literis vtitur, bruta aut nullis, aut paucifsimis. Sed pace Arift. dixerim valde dormitauit, quia illæ rationes de literis pertinent ad fermonem, non vocem. quærit ille rationem vocis, & adfert fermonis. tum non eft verum, vt proferant literas femper, fed nifi doceantur; proferunt vocales, non confonantes, & illæ non habent formam literæ. Quare pro conditione horum, videte Gal. 2. de decret. Hippocrat. & Plat. vbi fcribit idem principium effe vocis, fermonis, ac imaginationis. Nam vt motus proficifcitur totus a pura imaginatione, quæ eft principium omnis motus voluntarij, ita vox & fermo ab immaginatione eft. Vt ergo vox ab imaginatione, ficuti hæc ipfa varia admodum eft, adeo vt Ariftoteles dixerit propter hanc homines generari diuerfiffimos inter fe: ob eandem pariter fit, vt voces hominum variæ fint; non brutorum, quia illa non habent varias immaginationes; & vt bruta funt etiam inter fe maximè fimilia fecundum figuram, ita etiam fecundum vocem.

In lib. de nat. ign. · *Sec. 11. Prob. 59. 60.* · *Lib. 11. c. 5.*

Σκεπτέαν, καὶ τὰ ἀπὸ τῶν διαιτέων τὰ μακροκέφαλα. καὶ λαχραύχενα ἀπὸ τῶν ἐπικυψίων.

Confiderandum, & longa capita à victu, & longas ceruices ab inclinationibus.

Animaduertendum eft, Hipp. vt doceret modum cognofcendi eos, qui vtilitatẽ percipiunt ex fanguinis fluxu, tria argumenta fumpfiffe. Prim. a voce, 2. a capite, 3. a venis. Abfolutus eft fermo de voce, quantum ferebat temporis breuitas. Nunc proponitur alterum argumentũ a capite, quomodo ex huius cõftitutione poffimus cognofcere corpora robufta

& apta ad sustinendam longam fluxionem. Cur autem a capite, tum a magnitudine eius, dein a magnitudine secundum longitudinem incipiat, dignum est inquisitione. Primum autem a capite voluit argumentum desumi, quia, vt præclarè Gal. habet, caput & collum sunt partes admodum robustæ, nudæ & quæ primum oculis nostris exponuntur, vt iure ex cōtemplatione capitis possit solers Medicus intelligere & penetrare vniuersam corporis constitutionem. Voluit autem a magnitudine argumentum desumi, quia inter accidentia, quæ introducuntur inducta forma substantiæ, si vlla est prioritas, est quantitatis, quia corpus primò fit quantum. Quare Arist. postquam tractauit prædicamentum substantiæ, voluit tractare quantitatis. Sed cum quantitas plures differentias habeat, & longitudinis & latitudinis & profunditatis, quæ est ratio, cur præcipit Medicis, vt considerent duntaxat longitudinem capitis, colli? Hoc quoq; summo iure factum, scilicet quia tempore ipsius Hipp. gens quædam erat in Cappadocia appellata μακροκέφαλοι; quia longo capite nascebantur. de his Hippoc. loquens lib. de aere aq. & loc. inquit eos fuisse suo tempore habitos generosiores, qui longo capite erant, quasi inter differētias magnitudinis capitis & commodior & propria magis esset figura secundum longitudinem. Ob has causas inquit Hipp. debere considerari vtrum capita longa sint ex consuetudine, an ex natura: & vtrum colla longa sint ex inclinatione, an ex natura. Sed quæ est hęc obscuritas Hipp. quid vult significare, cum dicit an capita longa sint ex consuetudine, an colla longa sint ex inclinatione? Interpretatus est hunc locum Hippoc. ipse lib. de aere, aq. & loc. vbi de gente nuper commemorata loquens, inquit μακροκεφάλους ita factos ob cutam obstetricū, quæ compingebant capita in oblongam formam. Mox ex hac continua consuetudine introducta est natura, vt quod primum a consuetudine, mox a natura fit factum. De colli longitudine haud secus existimandum est, eam fieri consueuisse dum infantes adhuc erant teneri, eorumq; huc atq; illuc colla inclinarent, vt elongarentur. Sed ad quid vtilis est hęc consideratio? Maximè vtilis est in medicina facienda. Primùm, quia longitudo capitis & colli si facta sit propter victum & curam, parum conferunt ad cognoscendum temperamentum corporis, quia quod in manibus nostris positum est, & ab homine fit, non fit a natura. Cæterum si caput & collum longum sit a natura, magnopere confert ad docendum Medicum temperaturam corporis. Et hoc ita esse patet ex Galeni 6. Epid. com. 1. luculentissima oratione, vbi inter alia habet caput longum & magnum fieri, quod sanguis copiosus & optimus est. Sanguis optimus, indicat optimam temperaturam iecoris, indicat etiā statū corporis temperatū. Adeo vt minimè sit dubium, quin liceat cognoscere ex magnitudine capitis bonitatem temperamenti. Huc accedit in magno capite multum cerebri inesse, hinc multos spiritus, tum viuidam & insignem facultatem animalem. It si ab arte collum est magnum, parum cōfert Medico: sin a natura, plurimum, quia signum est initium spinalis medullæ, quod in collo continetur, robustum esse, & ita neruos, qui ex eo loco propagantur in totum corpus, esse robustos. Quare videre potestis, quàm prudenter, quàm accurate iusserit Hippoc. Medico, vt spectet, an longitudo capitis & colli a natura, an ab arte sit. Et hoc eo fine docuit, vt intelligeremus, ea corpora, quæ habent capita longa & magna & similiter colla facilè ferre abscessus qui fiunt in partib. supernis ex sanguinis fluore. Sed hic sese offert non ignobilis quæstio, vtrum caput magnum sit vsq; adeo bonum, vt videtur Hippoc. hic velle? Nam ex altera parte videtur falsum esse, quia Arist. quærens rationem, cur homo sit prudentissimus omnium animalium, inquit idcircò esse, quia homo est capite paruo. Si hoc verum est, videtur quoq; rationi consentaneum esse, vt inter homines ij sint prudentiores, qui capite sunt paruo. Præterea Arist. loquens de corde inquit, cor paruum multò melius esse magno. Si ergo paruitas in corde (quod est præcipuum viscus) præfertur omnibus alijs, iure merito capitis paruitas videtur alijs præferenda. Ex altera parte est Gal. in arte med. inquiens caput paruum semper malum esse. Eandem sententiam videtur habuisse 6. Epid. com. 1. tex. 3. vbi longo discursu tractans Gal. quæ sint meliores capitis figuræ, videtur magnitudinem protulisse omnib. alijs, vt diceret Periclem sapientissimum omnium Græcorum fuisse, cum capite maximo esset, id quod

6 Ep. com. 1. tex. 3.

Sec. 30. Prob. 3.

3. de part. animal. cap. 4

id quod etiam traditum est memoriæ de Mahomete magni sed pessimi ingenij viro, cuius caput magnum erat. Hæc quæstio a plærisq; tractata fuit, & præsertim a Petro Aponensi supra sect. 30. Problem. 3. & in Concil. quæst. 79. Sed veritas, quantum ego puto, huius rei est, Capitis magnitudinem posse expendi, vel secundum magnitudinem ossium, vel cerebri. Si secundum ossium magnitudinem expendatur, certè caput magnum est deterrimum, paruum bonum, & sic Arist. loquebatur scribens hominem esse capite paruo respectu brutorum, quia si expendātur ossa brutorum & hominis, longè maiora sunt brutorum quam hominum. Cæterum si expendatur magnitudo capitis secundum magnitudinem cerebri & copiam, dicendum caput illud quod est magnum secundum magnitudinem cerebri esse omnium optimum. Et ita laudatur caput magnum a Gal. & ita homo est omnium prudentissimus, quia proportione sui corporis multum, imò plus cerebri quā bruta habet, & inter homines viri quā fæmine, vt Arist. scripsit, ideoq; sexus noster fortior & aptior ad disciplinas capessendas & res agendas. Dixerunt nonnulli aliter respondendum, scilicet magnitudinem cerebri, vel posse expendi secundum proportionem aliarum partium, quod cum magnitudine habeat omnes conditiones alias optimas, vel sine proportione. Inquiunt illi caput magnum cum proportione est optimum, sine ea malum. Sed hic modus soluendi hunc nodum mihi nunquam placuit, quia magnitudo capitis, cum est ob copiam cerebri, etiam si sit improportionata, semper bona est. Accipiamus exemplum Periclis, acceptum a Gal. de quo Plutarchus in eius vita, inquit habuisse caput magnum, longum, defotme, ita vt Pictores depingerent eum pileo ad abscondendam capitis turpitudinem.

2. de Hist. animal. c. 7. & 14.

Καὶ τῶν φλεβῶν ἡ εὐρύτης, καὶ παχύτης ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ. Καὶ στενότητες, καὶ πλατύτητες, καὶ βραχύτητες, καὶ λεπτότητες. Καὶ ἀπὸ τῶν ἐναντίων,

Et venarum latitudo & crassities ab eodem, & angustiæ, & latitudines, & breuitates, & tenuitates, & a contrarijs.

Hoc est postremum argumentum, quod Hippocrates proponit ad cognoscendum, statum totius corporis ex contemplatione ipsarum venarum, & posuit hoc argumentum postremo loco, quia venæ non ita sunt conspicuæ statim oculis nostris, vt caput & collum. Et apud veteres, vt Hippoc. & Plato & Arist. adnotant, nomine venarum intelligere debetis tàm venas propriè appellatas, quàm arterias. Et illi qui versantur in autoribus Latinis, & veterib. inuenient sæpe notari venarum pulsum, at venæ non pulsant, sed arteriæ. Itaq; nomine venarum arteriæ etiam comprehenduntur; vt hoc loco. Dicit ergo eum, qui vult cognoscere temperamentum, & robur corporum, debere diligenter contemplari amplitudinem, & crassitiem, breuitatem, & tenuitatem, & angustiam, & contemplari has omnes differentias a cōtrarijs. Vult Hipp. dicere videndas esse ita oēs cōditiones ipsarū venarū, vt cōtraria semper inter se cōparentur; vt breuitas longitudini, crassities tenuitati, amplitudo angustiæ, quia quæ fiunt ab vna causa cōtraria ipsius, fiunt a cōtraria causa; vt si amplitudo & crassities sint a frigore. Hoc igitur est mysteriū, quod obscuris verbis nos voluit docere Hipp. Sed an contēplatio hæc ad cognoscendā temperaturā corporis cōfert? maximè, & ita quidem, vt nisi Medici haberent argumenta à venis & arterijs, cæca prorsus esset nostra ars. Venæ & arteriæ factæ sunt à natura, vt sint vel canales & aqueductus, quibus sanguis feratur a principio suo ad partes nutriendas. Hic est proprius earum vsus. Iam vero sanguis est domicilium & focus caloris nostri, & ita vt plæriq; Philosophorum, inter quos fuit Githias, ut refert Aristot. de anima, dixerint animam nihil aliud esse quam sanguinem: imò verò, vt videre potestis in Leut. & Deuter. veteres Hebræi habuerunt hanc opinionem, quod sanguis esset anma, uel eius domicilium. Si ergo sit caloris uitæq: domicilium, & calor dispensat, nutrit, auget, facile est uidere, si ex uenis possimus cognoscere sanguinem, posse nos etiam cognoscere uitam, robur, & animam ipsam. Iam uerò quod

cxve-

ex venis cognoſcatur, ac colligatur ſtatus coloris & corporis, non eſt difficile ſcitu, quia ſi venæ propter ſanguinem ſunt, vbi hæ latæ ſunt, neceſſe eſt copioſum eſſe ſanguinem, & conſequenter copioſum eſſe calorem natiuum, magnum robur, & magnas vires animæ. Ex aduerſo ſi anguſtæ, exiles, tenues, neceſſarium eſt omnino, vt ſanguis exiguus ſit, non ſit adeo calidus & propterea vniuerſi corporis robur minus. Et ex hoc etiam facile videre eſt, quantum hæc ſpeculatio conferat & intendat ad ſcopum Hippoc. & qui ſint apti ad ſuſtinendum ſanguinis fluorem: ſcilicet illi, quorum venæ ſunt amplæ & latæ: vt difficiliter ſuſtinent, quorum venæ ſunt anguſtæ & exiles. Propterea iure diligenter monet Hippoc. Medicos, vt contemplentur venas an latæ ſint ſecundum naturam, an latæ & amplæ ſecundum conſuetudinem. Sed dicetis, quomodo fieri poteſt, vt venæ fiant latæ, & amplæ ſecundum conſuetudinem aut diligentiam, vt capita? Nam fieri capita longa vſu probatum eſt ex configuratione obſtetricum. Sed cum latitudo & anguſtia venarum putum opus ſit facult. formatricis, non videtur vllo ſtudio, huiuſmodi, venas poſſe fieri, quod tamen inſinuat hic Hippoc. monens vt videamus an ex natura ſint tales, an ex arte. Dicendum venas & arterias, vt & cætera omnia caua corporis noſtri fieri equidem a facultate formatrice, quæ vtrum poſt corporis noſtri formationem maneat, an non, longa eſt diſputatio. Sed quidquid ſit hac de re, illud certum eſt, etiamſi venæ & alia corpora caua nequeant fieri ſtudio hominum, poſſunt tamen ampliora & anguſtiora reddi. Quod ſedantur anguſtiora, vſu quotidiano comprobatur, quia Medici laborant ſæpe in venis crurum latiſſimis conſtringendis, & cum fructu. Idem faciunt in alijs compactionibus quibus arte ita conſtringuntur vaſa, vt inteſtina, vt mortem plærunq; etiam incurrant. Pariter exiſtimandum eſt etiam de venis, cum exercitationibus, ligaturis, frictionibus, videmus quotidie dilatari vaſa, imò verò balneis, & forſan nihil melius hiſce dilatare poteſt. Vnde cum Hippoc. videret arte & vi ſæpe fieri venas modo latiores, modo anguſtiores in re monuit, vt aduertantur an arte, an a natura ſint tales.

ὧν αἱ φλέβες εὐρεῖαι, καὶ αἱ κοιλίαι, καὶ τὰ ὀστέα, εὐρέα. εἰσὶ δὲ οὗτοι οἱ λεπτοί. οἱ δὲ πίονες τἀναντία τούτων,

Quorum venæ capaces, & ventres & oſſa capacia. ſunt autem hi graciles: atq; obeſi contraria his.

Satis perſpicua eſt propoſita dictio, ſiquidem nihil aliud dicit, niſi eos qui habent venas latas & amplas, habere quoq; & ventres & oſſa ampla, atq; hos graciles eſſe; pingues vero & obeſos contrarios eſſe his, hoc eſt, pingues habere venas, oſſa & ventres anguſta, quę ſententia eò magis nobis debet eſſe probata, quia Ariſt. explicatiſſimè videtur hanc ſententiam docuiſſe, vbi ſcribit eos qui habent venas amplas, habere etiam ventres amplos, & contra qui habent venas arctas, habere etiam ventres arctos. Plana quidem eſt hæc ſententia, habet tamen myſteria Medicinæ non exigua, tum etiam Philoſophiæ. Itaq; tria circa hanc dictionem conſideranda. Primum cur corpora quæ habent venas latas & amplas, habeant etiam ventriculos latos & amplos. Secundo conſiderabimus, vtrum ſit verum eos qui habent venas amplas, habere quoq; oſſa ampla. Et quoniam ex hac Hipp. ſententia colligitur pinguia corpora eſſe frigida, quandoquidem habent venas anguſtas, & ideo ex conſequenti exiguum ſanguinem & calorem; conſiderandum an verum ſit corpora pingua eſſe frigida. Quod ad primũ ſpectat, explicatiſſimum eſt apud Medicos, iecur eſſe radicem & originem venarum. Dixi autem apud Medicos, quia Peripatetici omnes ſequentes Præceptorem exiſtimarunt cor eſſe principium venarum omnium. Iure igitur venæ a iecore oriuntur, & ſi verum eſt axioma omnium Philoſophorum, ſemper orta eſſe ſimilia principijs ſuis, facilè intelligi poteſt, ſi iecur eſt magnum, magnas etiam venas eſſe, ſi paruum paruas. Vbi ergo venæ & arteriæ ſunt magnæ, neceſſe eſt, vt iecur ſemper ſit magnum & amplum, vbi iecur amplum eſt, neceſſe eſt, vt etiam ventriculus ſit amplus,

3. de Hiſt. animal. cap. 4.

quia

quia officium iecinoris non aliud est quàm fabricare sanguinem e materia, quam sibi parat ventriculus. Si quidem vt Rhasis ait ventriculus est coquus & seruus ipsius iecinoris. *3. colli.* Quod si hoc ita est, si iecur opus habet ob sui magnitudinem multa materia praeparata, necesse etiam est vt ventriculus sit amplus & capax multae materiae praeparandae iecinori. Itaque videre potestis quàm admirabili iudicio illa tum ab Hippoc. sint dicta, tum ab Arist. (qui eum in plurimis sequutus est) eos qui habent venas amplas, habere etiam ventres capaces. Erat secundum propositum, vt videatur an verum sit, vt qui venas habent amplas, etiam ossa habeant ampla. Hoc enim aliquibus posset videri absurdum, quia inter ossa & venas nihil videtur esse commune. Ossa durissimae partes sunt, venae molles; tum saepe vsu probatur aliquos graciles esse, & non habere tamen ossa gracilia. Itaq; uidetur hoc Hippoc. dictum non esse rationi consentaneum; tum etiam quod Arist. habet loco citato, tum etiam carnosos, inquiens, uenas habere angustas, & uiscera parua, graciles amplas, & uiscera magna, de ossibus nihil loquitur Arist. cum tamen una & eadem uideatur fuisse Hippoc. & Aristot. sententia; Hippocrates tàm fallere, quàm falli nescit. Et ut uideatis uerum dixisse, ossium duo sunt genera, alia enim sunt a natura ad continendum constituta, ut sunt thoracis, crurum, pubis & ileorum. Haec enim omnia sunt facta ad continenda uiscera. Alia facta sunt ad sustentandum, ut ossa tibiarum, coxarum, brachiorum. Ossa facta ad continendum arte, necessarium est, ut sint ampla, si sint amplae venae. Siquidem vt audistis ex Aristot. vbi amplae venae, ampla sunt uiscera, ubi ampla sunt uiscera, necesse est ossa a quibus continentur, quoq; esse ampla. Itaq; hac de re, minimè dubitandum. Ossa etiam debere esse ampla, quae sustentant: hinc manifestum est; quia periti Architecti, ubi columnas sunt fabricaturi, semper fabricant secundum proportionem ponderum, quae sunt sustentaturae. Itaq; Natura, quae est omnium architectorum sapientissima: debet quoq; ossa secundum proportionem ponderis ampla & angusta facere. Quid sustentare debent ossa? Nisi fallor officium ossium nullum aliud est, nisi sustentare arterias, venas & neruos. Quia siue vitam naturalem, siue rationalem expendamus, tota vita posita est in venis, neruis & arterijs. Carnes non sunt necessariae ad vitam, quia habetis apud Atheneum fuisse aliquos adeo graciles, vt egerent ponderibus ne a vento sustollerentur. *Lib. 8. dip nos.* Itaq; manifestum est non opus esse ad vitam carnibus. Carnes autem sunt necessariae, ut sint uelut strata, in quibus quiescentes venae & arteriae sustententur ab ossibus; quia si uenae immediate adherent ossibus, offenderentur. Itaq; opus est carnibus, ut & uenae & nerui dispersi per has, possint facilius sustentari. Cum hoc itaq; sit ossium opus, si natura prudens & sapiens architecta est, necesse est, ut ubi uenae & arteriae sunt amplae, ossa quoque sint ampla. Vnde etsi hoc ignoratum fuit ab Aristotele, non fuit tamen ignoratum ab Hippoc. Neque ualet ratio, quod non sit proportio inter uenas, neruos & ossa. Nam non est quidem proportio substantiae, sed muneris. Neq; etiam obstat, quod reperiantur graciles ossibus non gracilibus, quia huiusmodi corpora raro reperiuntur; tum si reperiantur, sunt morbosa. Erat postremum, vtrum uerum sit corpora pinguia frigida esse. Nam ex una parte uidetur uerũ esse, quia habent venas angustas. Quae habent uenas angustas, paucum habent sanguinis, ideoq; parum caloris & vitae. Dixit hoc Hipp. vbi scribit graciles & tenues esse diuturnioris vitae quàm pingues & obaesos. *2. Aphor. 44.* Sed quanquam hoc verum sit, illud tamen disputatione dignum uidetur, utrum ratione pinguedinis possint esse frigida, uel calida. Ratione uenarum uerum esse & rationibus & authoritatibus comprobatum est. Arist. manifestissimis uerbis docuit omne pingue calidum esse; loquens enim de omento & renibus, inquit has partes sua pinguedine fouere calorem, quia omne pingue calidum est. *3. de part. animal. cap 9. et* Tum quaerens rationem, propter quam sues non amittunt pilum hybernum, *4. eiusdem. 3.* ut caetera bruta, inquit idcirco id fieri, quia pinguedo horum animalium prohibent ne ab *10. sec. Pr. 23* aere extremo pili laesi decidant. Ex quibus clarissimum est pinguedinem omnem calidam *In com loc. cit.* esse. Hanc sententiam sequuti sunt Peripatetici & praesertim Auerrhoes. *Lib. 2. de simpl. medic fac.* Ex altera parte Gal. scribit inter ueteres agitatam fuisse quaestionem hanc, & aliquos censuisse calidam *1. de temper. in fine, & 2. de temp. 4.* esse, aliquos frigidam. Imò uerò Gal. uidetur sibi hac in re contrarius & discors. Nam mani-

1.1.doc.4.c.2 manifestissimè inquit pinguedinem esse frigidam. Hanc sententiam sequutus est Auic. 1.2.doctr.3.c.3. vbi inter partes frigidas corporis numerat pinguedinem, nec postremo loco; imò idem habet esse frigidam. Auerrh. vero, videtur recessisse ab Arist. & adhæsisse Auicen. fauet huic sententiæ & ratio & experimentum, quia videmus & mulieres & senes facile pinguescere, quorum corpora tamen frigida sunt. Sed quia dixi Gal. hac in re sibi ipsi esse discordem, 11.medic. sim pl. cap de pingued. & 2.li. simpl. medic. cap. 20. videatis. His enim in locis clarissimè monstrat Galen. pinguedinem esse calidam: imò loquens de omento, videtur sectatus sententiam Aristotelis, scilicet quod omentum sua pinguedine calefaciat ventriculum & conferat coctioni. In hac quæstione communis & receptus modus fuit respondendi, pinguedinem dupliciter considerari posse, vel secundum 4.de vsu partium cap. 9. materiam, vel secundum agens. Si secundum materiam, inquiunt pinguedinem esse calidam, quia fit ex parte sanguinis vnctuosa, & vt inquit Arist. ex aere & igne constat: tum inflammabilis est. His inquiunt rationibus esse calidam, si consideremus secundum materiam. Sed si secundum agens, inquiunt frigidam esse, quia congelatur a membranis, quæ 1. de temper. circa finem. sunt partes frigidæ, & hoc pacto dicunt expressissimè loquutum esse Galen. Hic modus respondendi, vt dixi, communiter videtur receptus, attamen a me nullo pacto probari potest. Quæ me impellant rationes, vt non adhæream huic sententiæ multæ sunt. Primum hoc me mouet: agens dat formam: hanc accipit pinguedo a membranis partibus frigidioribus; debet ergo hac ratione refrigerari: quia omnis actio fit a forma. Præterea si ratione frigiditatis condensaretur pinguedo, necessarium erat, vt partes condensantes essent frigidæ, quia in extrinsecis, vbi non est perpetuus calor, res pingues non congelantur nisi a frigore. Et quis est, qui dicat tantum esse frigoris in corpore humano, vt condenset. Neque refert teporem habere causam illius, quia neq; tepor potest condensare. Præterea 3. de part. animal. cap. 5. probatum est non solum apud Aristot. verùm apud omnes pinguedinem fieri per coctionem, quia generatur pinguedo, quotiescunq; ex sanguine pars vnctuosior sequestratur, & in aliquam partem compulsa concrescit; & concrescit, quia partes hæ subtiles incrassantur, & incrassatio non potest fieri nisi a calore. Si ergo pinguedo fit coctione, & hæc a ca- 3. coll. cap. 21 lore tantum fit, sequitur illam etiam tantum a calore fieri. Prætetea scribit Auerrh. fuisse sententiam omnium philosophorum frigus nullum opus naturæ facere, & si frigus ingreditur, hoc agit tantum, vt temperet calorem. Si ergo hoc frigoris est, quomodo possumus imiginari frigus esse causam efficientem ipsius pinguedinis. Neq; valet, quod vsu compertum dicunt, pinguedinem condensari circa membranas, quia hoc non fit propter frigus partis, sed densitatem; quia cum fiat ex parte aerea & spirituosa sanguinis, non potest adhærere raris, sed densis partibus. Imò verò potest etiam responderi, fieri in partibus corporis & prope membra calidissima pinguedinem. Videtis ergo vanam esse illam respon- In 2. com. lib. de anim. c. 9. sionem. Quid ergo dicendum? Ioannes Grammat. cum videret Aristot. aliquando dixisse semen frigidum, quandoq; calidum, putauit, vt tueretur eum, & frigidum & calidum esse, frigidum ratione propriæ, & natiuæ caliditatis, & calidum ratione ascititiæ. Decla- 1. & 2 de temper. rat hoc Hippocrat. lib. de corde scribens sanguinem frigidum esse. Tamen Gal. & omnes dicunt sanguinem calidissimum esse: quia potest sanguis & calidus & frigidus esse. Nobiliss. Philosophus dixit si sanguis & seminis principia spectentur, esse a prædominio ab elemento aqueo, frigida. & ita semen, si principia eius spectentur, aqueum est & diffluit, & ita frigidum est. Nam & sanguis & semen, vbi extra corpus sunt, frigida sunt, & actu & potentia. Quod si semen & sanguis sunt calida, hoc sunt caliditate ascititia corporis, qua expirante sunt frigida. Hac ratione ergo existimo respondendum esse, pinguedinem ratione propriæ substantiæ & natiuæ caliditatis frigidam esse; ratione vero adscititiæ esse calidam; nam vbi fit per coctionem, fit coctio vsque adeo exacta, vt pinguedo quæ remanet putetur ab Arist. purum excrementum; atq; in hac coctione expirat calor ille natiuus, qui erat in sanguine, & remanet in hac parte pinguedinis, ea caliditas, quam acquisiuit in coctione, hoc est acquisitia, vnde cum Gal. & alij dicunt frigidam esse, respectum habent ad caliditatem natiuam, qua est orbata. Non secus, ac cinis frigidus est calore suo exutus, & calidus calore acquisititio ab igne, & illius ratione vrit: pariter cum pinguedo fit

veluti cinis & excrementum, fit vt debeat frigida appellari ratione propriæ caliditatis, vt calida ratione adscititiæ: Disputatio hæc a nobis instituta est, vt videretur, vtrum corpora pinguia sint frigida, vt colligi potest ex Hippocr. an calida, propterea quod ex eo colligitur corpora pinguia quantum sit ratione pinguedinis, semper calida esse, propter rationes quas heri audiuistis. Sed hæc res magis definienda est, quia corpora pinguia aut sunt moderatè pinguia, aut plurimum. Quæ mediocriter sunt pinguia, ea calida sunt, quia hi facilimè omnium ferunt frigus aeris. Cæterum quæ sunt immodicè pinguia, semper frigida sunt. Immodicè pinguia, vt Nicomachus, quem narrat Gal. vsq; adeo pinguem fuisse, vt moueri non posset, & de hoc refert Athenæus non potuisse manu tangere podicem. Huiusmodi corpora semper frigida sunt, quia a copia pinguedinis ita suffocatur vniuersi corporis calor, vt non solum refrigerentur corpora, sed intereant, vt corpora senum, subito. Si ergo corpora pinguia immoderatè, frigida sunt, consequitur vt gracilia calida sint. Sed posset oriri studioso dubitatio ex loco Arist. vbi loquens de corporibus crassis & carnosis inquit huiusmodi corpora, si quando extenuentur, conuerti carnem in venas & fibras. Hinc manifestum, quanti referat authores audire propria lingua. Theodorus Gaza fuit quidem magni ingenij & doctrinæ vir, sed vt cæteri omnes, ipse quoque sæpe errauit; Quia non est ea mens Arist. carnes conuerti in venas & fibras, vult dicere, quod cum venæ & fibræ sint, dispersę per carnem, vbi caro consumitur, remanent dumtaxat venæ & fibræ, ita vt ipsa caro videatur transmutata in venas & fibras.

de diff. morb. cap. 9.

3. de Hist. anim. cap. 16.

Καὶ ἐν τοῖσι λιμαγχικοῖσιν αἱ μετριότητες. Ἀπὸ τουτέων σκεπτέαι

Et in inedijs tolerandis mediocritates ab hisce considerandæ.

Dixit Hipp. debere Medicum considerare quæ corpora sint pinguia & gracilia. Sed quia inter hæc dantur quædam media corpora, nec gracilia nec pinguia, noluit Hippocr. hæc silentio præterire, & propterea iam monet, vt Medicus etiam consideret hæc corpora media, & inquit huiusmodi corpora consideranda ex tolerantia famis. Dictio quidem aperta est clara, sed non sine aliquo mysterio. Nam videri posset aliquibus frustra monuisse Medicum Hippocr. vt consideret hanc mediocritatem ex tolerantia famis, quia nullus mentis capax & oculorum est, qui non possit statim intueri, an corpora sint gracilia, an pinguia. Si hoc ita est, quid igitur monet Hippocrates, vt hanc mediocritatem æstimemus ex tolerantia famis? Ob duas causas non vult tantum fieri iudicium ex oculis, quia, vt elegantissimus Celsus habet vis & robur corporis multò melius cognoscitur ex venis, quàm specie seu vultu. Vnde cum sint simul complicatæ venarum & pinguedinis cognitiones, sicut cognoscuntur melius ex venis, ita ex his melius iudicantur. Alia etiam ratio est, quia etsi possit cognosci mediocritas hæc ex aspectu, attamen hæc cognitio nimis vulgaris, est. Non persequitur ille vulgaria, sed vult vt Medicus penetret res. Sed cur vult existimandam potius hanc mediocritatem ex tolerantia famis, quàm vlla alia re? Audite admirabile iudicium Hippocr. Nullum argumentum potest esse efficacius ad demonstrandam hanc mediocritatem tolerantia famis. Fames fit suctione venarum & oris ventriculi. Suctio oris ventriculi sequitur suctionem iecinoris. Suctio iecinoris sequitur suctionem venarum, hæc consumptionem alimenti vniuersi corporis ambitus. Si ergo hoc ita est, facilè videri potest, famem ipsam totam dirigi ad sanguinem illum, qui est pro nutrimento in toto corporis ambitu. Si in ambitu sanguis copiosus reperitur, non fit suctio, & non fit attractio a ventriculo, & ita non fit suctio in ore ventriculi. Cæterum si in corporis ambitu penuria sit alimenti, certum est omnes partes trahere a ventriculo & fieri famem. Quod cum ita sit, videre potestis, quam sapienter dicat Hippocrates ex inediæ tolerantia metiendam esse mediocritatem, quia corpora admodum calida & sicca

Lib. 2. cap. 1.

& ficca & propterea gracilia abundant multo calore, & confequenter multum fanguinis abfumitur, propterea fit continua attractio & fuctio, & hinc graciles & biliofi non poffunt inediam ferre, &c. Contra alia ratione corpora pinguia non poffunt fuftinere inediam, quia etfi in his corporibus non multa fit fuctio, attamen paucus eft fanguis in habitu, cum totus conuertatur in pinguedinem. Vnde neque corpora pinguia poffunt inediam tolerare, quia ob paupertatem alimenti vltimi continua fit attractio & fuctio. At fecus eft de corporibus medijs, quia in his eft copiofus fanguis in habitu venarum, qui non admodum confumitur in pinguedinem, & propterea cum femper copia fanguinis fuppetat, non fit fuctio, attractio, neque fames, & propterea iure dixit Hippocrates corpora media fuftinere famem. Sed præclara hæc fententia non caret difficultate. Primo quia idem fcribit 1. Aphor. 14. corpora quæ plurimum calidi habent, plurimo egere alimento; quæ parum, parum è contra alimenti requirere. Corpora pinguia parum habent caloris, ergo poffunt inediam ferre. Tum facilè ieiunant: feræ, vt vrfi & glires & quanto pinguiores tanto facilius fuftinent inediam, quia tempore hyemis maximè pingues quatuor menfibus manent fine alimento, tum, quodfi verum effet corpora media melius ferre inediam, veriffimum vna foret, eos qui fuftulerunt pluribus diebus inediam, tales vna fuiffe, quod tamen neq; ratione neque autoritate eft probatum. Nam relatum eft aliquos menfibus & annis fuiffe fine cibo. Tum Olimpiodorum in Phædro Plato narrat femper fine cibo vixiffe. Multa alia videre poteftis in fexto libro meo variarum lectionum. Quid ergo dicendum? Primum fcire oportet inediam feu inappetentiam duplicem effe aliam præternaturalem, aliam naturalem. Præternaturalis eft ea quæ fit ex famis naturalis extinctione. Inedia naturalis eft ea quæ fit ex fame naturali. Declaro hanc rem melius. Dicitur inedia naturalis, quotiefcunque fuctio fit in venis & ventriculo, & nihilominus homines non edunt. fit inedia præternaturalis, quando aut non fit fuctio & attractio, aut fi fit, non percipitur. Inedia naturalis, non poteft fuftineri a corpore medio inter gracile & pingue, nifi feptem dierum fpatio, fi credimus Hippocrati in fine libri de carnibus, vel (vt corrigendum) de principijs, vbi fcribit inediam feptem dierum effe homini lethalem. Quanquam Plin. in fine lib. 10. damnet Hippoc. fententiam, fed malè, vt alias dicam. fames præter naturam tolerari poteft menfibus & annis, & non folùm
7. Aphor. 61. tolerari, verum etiam effe poteft vtiliffima. Vnde Hippoc. dicere folebat famem vtilem effe carnes humidas habentibus, quia in his non fit fuctio, non fit attractio, & confequenter poteft inedia cum fructu tolerari. Igitur quod de vrfis & gliribus dicitur, & alijs qui diu fuftinere potuerunt inediam, intelligendum de inedia præter naturam, quia cum in his abundent crudi & frigidi fucci, non fit attractio, non fuctio, neque fames percipitur. Quod autem dicitur corpora mediocria tolerare inediam, intelligendum de inedia naturali, quia poffunt quidem magis hanc inediam tolerare gracilibus, & pinguibus, fed non poffunt vltra feptimum diem. Et hinc intelligere manifeftè poteftis, inediam quam quadraginta diebus fuftinuit Seruator nofter, non fuiffe opus naturale fed diuinum, quia cum corpus erat medium, nifi mens diuina acceffiffet tam diutinum ieiunium tolerare non potuiffet. Sed quid colligit Hippocrates ex hoc admirabili difcurfu? Id quod ante propofuerat, nempe, quæ ex his corporibus fint apta ad fuftinendum abfceffum ex fluxu fanguinis. Siquidem corpora gracilia cum abundent magis fanguine, maiori cum fructu poffunt abfceffus ex fluxu fanguinis narium fuftinere. Contra corpora pinguia, cum laborent inopia fanguinis, non ita poffunt ferre abfceffus illos. Mediocria hoc habent, quod cum fint media inter ea, quæ habent multum & parum fanguinis, poffunt fuftinere abfceffus fanguineos. Et ex his omnibus poteft etiam folers Medicus maxima præcepta colligere in facienda Medicina. Vnum eft, vt vbi fanguis mittendus eft, diligenter animaduertat, an venæ fint amplæ an anguftæ, an corpora gracilia, an pinguia, an mediocria, quia a corporibus gracilibus poteft Medicus tuto & copiosè fanguinem mittere.
6. Epid. com. 3. tex. 29. Habetis exemplum apud Gal. qui narrat fe in muliere Romana admodum extenuata & gracili miffiffe duas libras fanguinis; contra vbi corpora frigida funt, debet Medicus

pru-

prudens esse, neq; facere vt vulgares, qui quo vident corpora crassiora, putant magis sanguinem mittendum esse. Iam autem corpora pinguia habent venas angustas & parum sanguinis, læduntùrque sanguinis missione, graciles & modetati iuuantur. Postremum documentum est in cibandis ægris, quia si media corpora melius ferunt inediam gracilib. & pinguibus, hinc neq; graciles neq; pingues exquisita diæta teneatis, sed media potius inter gracilia & pinguia corpora.

αἱ προαυξήσιες ἑκάστῳ ἃ μειοῦσι, καὶ αἱ μειώσιες ἃ προαυξοῦσι. Καὶ τοῖσι προαύξεσιν, ὁποῖα συμπροαύξεται, καὶ ὁποῖα συγκρατύνεται. Καὶ διασφάξιες ποῖαι κοιναὶ τῶν φλεβῶν,

Auctiones vnicuiq; quæ minuunt, & imminutiones quæ augent, & auctionibus, qualia simul augentur, & qualia simul vincuntur, & distantiæ quales communes venarum.

Gal. loquens de morbis secundum magnitudinem, inter eos collocauit gracilitatem & *14. meth. c. 15*
obesitatem. Vnde nunc Hippoc. cum loqvutus esset antea de gracilitate & obesitate, tran *& 16. & de*
sit ad sermonem auctionum & imminutionum, & appellat auctionem & imminutionem *morb. diff. c. 9.*
eos affectus, qui augendo & minuendo fiunt, vt morbi secundum magnitudinem. Vult ergo Hippoc. sapientissimus, Medicum considerare quæ augeantur alijs imminutis, & quæ imminuantur alijs auctis, & quæ simul minuantur & augeantur. Sed cum fiant anctiones & imminutiones dupliciter, vel naturaliter nempe, vel præter naturam, dubium est, an de naturali, an de præternaturali dicat. Ego sanè puto hanc totam Hippoc. sententiam intelligendam esse de vtraq;. Dabo exemplum vniuscuiusque. Primo naturalis, nam certum est, quotiescunq; naturaliter crura fiunt imminuta, partes superiores augeri & sangui ne exuberare, vnde fit, vt dixit Arist. vt crura tenuia habentes sint salaciores, quia partes *Sec. 4. Prob.*
supremæ augentur aucto sanguine. Ita quoties caput naturaliter augetur, partes infernæ *32.*
minuuntur. Id quod in nanis licet videre. Simul autem augentur & minuuntur venæ
& viscera. Imò Auic. dixit, vbi iecur fit magnum fieri quoq; magnas venas & manus, id *2. 1. doc. c. 1.*
quod etiam scriptum est a Rhasi quanquam Auerrhoes Auicennæ infestissimus eum dam- *& 14. 3. trac.*
net, vbi dicit etiam eum qui hanc sententiam protulit ignorasse, vbi virtus formatrix po- *1. c. 3. & 30.*
sita esset. Igitur habetis quomodo partes aliquæ naturaliter augeantur alijs imminutis *17. continen.*
& econtra. Quod fit naturaliter, certum est fieri quoq; præter naturam. Et vt exemplum *4. coll. cap. 4.*
habeatis, Hipp. lib. de locis in homine, scribit quotiescunq; lien tumescit, semper vniuersum corpus comminui, vnde Imperator ille ærarium assimilare solebat lieni, quia vt liene aucto imminuitur totum corpus, ità ærario aucto populus. E conuerso, quotiescunq; lien imminuitur, vniuersum corpus augeri solet, quod à Galen. proditum est memo- *2. de fac. nat.*
riæ, tum a Platone. Sic etiam sunt aliquæ partes quæ præter naturam simul extenuan- *c. 9. & vide*
tur & augentur, vt Gal. scribit, vbi vel iecur, vel ventriculus exiccantur & extenuantur mi *obser. Authorum in li. Hipp.*
nuunturq; minui quoq; vniuersum corpus. Hippoc. igitur monet, vt Medicus diligenter *de locis in homine.*
animaduertat huiusmodi partes, quæ simul augentur & minuuntur. Sed cur vuult Hipp.
vt hæc a Medico spectentur? vt intelligatur diligenter, quando abscessus sanguinis in su- *7. meth. cap. 6*
pernis corporis partibus vtiles sint, qnando inutiles. Nam vtiles, si minuitur lien, nam aucto sanguine circa partes supernas, diminuitur dein lien. Pariter si tumor fiat in dextra parte in iecinore, iuuat sanguinis fluxio a nare dextro, propter mutuũ cõnexum. Quo fit vt debeat etiam Medicus hunc connexum respicere, an hæc vel altera pars euacuari debeat. Quare certum est, vbi vna augetur pars, aliam minui, & ab ea quæ augetur mittendum esse sanguinem, adeo vt Hipp. semper habeat rationem huius abscessus, vt vidistis. Addit & aliud Hipp. Medicum non solum hæc debere propter abscessus considerare, sed diligenter etiam versari debere in cognoscendo situ venarum. Vnde Celsus dicere sole- *Lib. 2. cap. 10*

 bat,

bat, vim & robur corporis multo magis cognosci ex venis, quam ipso vultu. Hanc autem situs venarum cognitionem maximopere conferretum ad dignoscendum abscessum s. sanguinis narium, tum ad docendum Medicũ, quo pacto sit detrahendus sanguis, clarum est. Videtur enim in pleuritide propter situm venarum, magnopere referre a qua parte detrahendus sit sanguis, ita in affectu vteri, oculorum, & in his morbis deniq; in quibus sanguis abundat, adeo vtilis & necessaria est venarum situs cognitio, vt sine hac Medici semper cæci sint.

αἱ τῶν ἤτρων ῥήξιες. Αἱ μὲν περὶ ἥβην τὰ πλεῖστα ἀσινέες τὸ παραυτίκα. Αἱ δὲ σμικρὸν ἄνωθεν τοῦ ὀμφαλοῦ ἐν δεξιᾷ, ὀδυνώδεες αὗται καὶ ἀσώδεες, καὶ κοπριήμετοι, οἷον καὶ τὸ Πιττακοῦ. Γίνονται δὲ αὗται ἢ ἀπὸ πληγῆς, ἢ σπάσιος, ἢ ἐμπηδήσιος ἑτέρου,

Rupturæ inferioris ventris, quæ circa pubem, vt plurimum innoxiæ statim. Quæ verò parum supra vmbilicum in dextra parte, dolorificæ ipsæ & fastidiosæ & stercoris vomitum facientes, quemadmodum in Pittaco. fiunt autem ipsæ vel a plaga, vel a tensione, vel insultu alterius.

Audistis Hippoc. totum fuisse in docendo, quo pacto non semper abscessus superiorum partium mali sint, & quia dixerat abscessus inferiores malos esse, ideo cum videret hoc etiam non esse perpetuò verum, quod in abscessu superno fecerat, vult nunc etiam facere in infernis, docere scilicet, non omnes infernos abscessus bonos esse. Dicit itaq; Hipp. & sensus apertissimus verborum propositorum est rupturas abdominis inferioris plerunque statim esse innocuas, eas verò quæ fiunt supra vmbilicum a parte dextra, fastidia inferre, laborem & morbum Ileon, in quo stercus euomitur, vt contigit Pittaco. Cum itaque id quod dicit Hipp. perspicuum sit, tria vtiq; sunt circa hanc dictionem, consideranda. Primum quid sit ruptura, tum quibus ex causis efficiatur, secundo cur Hipp. dixit rupturas infernas esse plerunq; statim innoxias: tertio cur rupturæ inferiores sint adeo perniciosæ. Et hæc materia diligenter est nobis notanda. Est enim maximi in medicina facienda momenti. Ruptura igitur ῥῆξις appellatur hic ab Hippocrate, a Gal. autem vocatur κήλη imò vt habetur ex Gal. nomen hoc commune est omnibus testiculorum tumoribus. Latini scriptores vt Cels. appellat indecore & turpi quodam nomine Herniam. Puriores ramicem vocarunt. Sed aduertendum apud Medicos frequentissimè significare tumorem scroti. Apud Nonium & Plautum significat modo venam varicosam pectoris, modo pulmonis. Et hoc optimum est vos scire, vt possitis non vulgariter versari in omnibus authoribus intelligendis. Dimittamus nomen. Affectus est fractio aut dilatatio peritonæi. Plato scribit opificem nostrum cum videret hominem debere contemplationibus vacare, voluisse ita ipsum constituere, vt non cogeretur more brutorum perpetuo cibum sumere, & propterea inquit in hunc vsum fabricasse plurima intestina & ea tortuosa, quo diu copiosus cibus in ipsis posset retineri, nempe vt homo daret se contemplationi. Cum igitur plurima homini essent intestina & tortuosa, facile foret, vt huc illuc mota incommodassent, itaq; natura membranam fecit, & ea intestina circundedit, vt retinerentur. & hæc membrana non potuit ita dura fabricari, quin frangi posset, quia opus erat vt intenderetur & coarctaretur, hinc fit, vt propter illius subtilitatem non solum plus iusto intendatur, sed etiam frangatur. Et huiusmodi fractura est ea, de qua Hippoc. hic agit. fit autem hæc duob. in locis potissimum, circa vmbilicum & circa inguina. Sed optat aliquis scire, cur his in locis potissimum fiat, cum in mulieribus, tum in viris. Puto ego duab. de causis id fieri. Primum quia qua parte colligitur circum circa, tenuior fiat, & tametsi a natura non sit facta tenuior, fit tamen continua extensione. Altera ratio est, quod intestina cum pondere & male semper se egerant circa hanc partem, fit vt idcirco facilè frangantur. Sed quid dicemus de fractura circa vmbilicum? In mulieribus fit hæc frequentius,

Lib. de tum. præt. nat. c. 15

Lib. 7 cap. 18

In Timæo.

tius, quia vbi in partu maximè nituntur ad egerendum partum, labor & nixus maximè fit circa hanc partem. In viris fit propter cibum, quia cum ventriculus & intestina tenuia posita sint (in quibus primò recipitur cibus) circa hanc partem, fit vt repleto ventriculo & ipsis intestinis pars potius circa vmbilicum rumpatur, aut saltem dilatetur. Vbi ergo pars circa vmbilicum, vel frangitur vel dilatatur, ita vt fiat tumor, hic affectus appellatur ὀμφαλόκηλη, a Paulo ἐξόμφαλις. Plinius appellat prociduum vmbilicum. Et Celsus solebat appellare vmbilici procidentiam. Vbi verò frangitur aut dilatatur pars inferior, vel dilatatur paulò super foramen, per quod vasa spermatica propendentia meant ad testes; & dicitur βουβωνοκήλη, quia duntaxat circa bubones & inguina apparet tumor. Si autem in ipso foramine dilatatur, tumor solet apparere in scroto, & prout materia diuersa est, quæ præcipitata facit hunc tumorem, sic quoq; diuersas sortiri solet appellationes. Si omentum, ἐπιπλοκήλη, si intestina ἐντεροκήλη, seu hernia intestinalis, sin autem humor concrescit circa illas partes, σαρκοκήλη, seu hernia carnosa; sin aqua, ὑδροκήλη, seu hernia aquosa dici consueuit. πνευματοκήλη verò seu hernia ventosa, si flatu distenditur scrotum. Sunt itaque tot rupturarum differentiæ, tàm inferiorum quàm superiorum, de quibus Hipp. dixit rupturas inferiores plerunque statim esse innoxias. Sed cur Hippoc. dixit esse innoxias, & non potius dixit esse vtiles? Nullum verbum est, quod non sit summo iudicio & ratione prolatum. Nam rupturæ infernæ habent hoc omnes, vt nunquam sint vtiles, etiamsi sint abscessus, etiamsi succedant morbis. Sed neq; etiam semper sunt noxiæ, quia rupturæ circa principium vix percipiuntur, & ita vix, vt nullæ prorsus molestiæ inferantur: in progressu dum dilatantur magis foramina, ob intestina, vel quidquam aliud descendit, non solum inutiles, sed maximè noxiæ sunt, quia præter dolorem adferunt etiam incedendi impedimentum. Itaq; dixit Hippoc. rupturas infernas esse innoxias plerunq;, hoc est circa principium, non autem alias. Tertium fuit, cur rupturæ circa vmbilicum sint adeo prauę? Hippoc. habet tres causas. Vnam, quia facit dolorem. Alteram, quia facit fastidium. Tertia, quia facit stercoris vomitum. Addo ego & quartam, nempe coctionis cibi deprauationem. Primum enim hæc ruptura facit dolorem, quia cum intestina ex propria sede elabantur impetum faciunt in cutem, quam extendunt, ad quem impetum cum sequatur solutio continui, consequenter etiam sequitut dolor. fit ex hac ruptura cibi fastidium, quia ex gracilibus intestinis tolluntur vapores, qui pertingentes ad os ventriculi fastidium inducunt. Tertio facit vomitum stercoris, quod vbi fit magna effractio, intestina gracilia valde sua sede decidunt, & conuoluuntur, ita vt non possit transire excrementum, vnde fæx, & excrementum restagnans in ventriculum, euomitur, propter quod appellatur a Latinis iste affectus Conuoluulus. Quarta causa est coctionis deprauatio, siquidem intestina gracilia, vt alias dixi, magnam vtilitatem præstant coctioni, calore; vnde delapsa e propria sede, refrigerantur, quo fit vt coctioni non possint inseruire. Sed circa hac quæ dicuntur, vnum est annotandum, nempe hæc omnia intelligenda esse de vera ruptione & non de dilatatione. Si quidem vbi duntaxat dilatatur peritonęum neq; fiunt dolores insignes, neq; fastidium, nec vomitus stercoris, vt videre est in mulieribus, & præsertim in his quæ sollicitantur hac affectione sine vlla molestia. Tum hoc vna annotandum, vomitum stercoris in hac affectione rarissimè fieri, atq; tunc duntaxat, cum gracilia intestina non modo exeunt e propria sede, verum etiam mirum in modum conuoluuntur aut inflammantur, & hinc Hippoc. addit exemplum, hoc scilicet contigisse Pittaco. Nam illud in more positum est Hippoc. vt quotiescunq; aliquid mirabile docet, & quod raro contingit, addat exemplum, adeò vt vbi videtis ab Hipp. allatum exemplum, rarum esse quod dicit, existimare debeatis, nec expectare euidentes rationes. Post hæc proponit causas rupturæ, quàs omnes redégisse ad tria genera videtur. nempe ad plagam, distentionem & ad alterius assultum. Cels. qui verè fuit Hippoc. Romanus Hippoc. sectatus, & ipse tria genera facit, ictum, spiritus retentionem & grauem fascem. Quæ capita Celsi si rectè intelligantur sunt eadem cum his quæ proponuntur ab Hippoc. fit hic affectus delatato, extensoue aut rupto peritonęo. Si dilatato, fit vel a spi- Lib. 7. cap. 17

ritus

ritus retentione vel a flatu, vel a vociferatione, vel aliquo ingenti conatu. His enim omnibus solet peritonęum, vel supra, vel infra dilatari & intumescere. Si frangatur, vel frangitur propter vulnus, quod appellat Hippoc. plagam, Celsus ictum; vel fit propter compressionem. Sic pondera superposita vel pectori vel ventri faciunt rupturas. Sic etiam coitus supra mulierem factus solet maximè producere hunc affectum. Scio enim multos hac de causa hunc affectum passos fuisse. Vel propter spiritus retentionem, vel vociferationem, vt cantoribus tubicicis, & infantibus sæpe euenire vidimus. Ob nimiam etiam equitationem & (vt vno verbo dicam) quæcunq; operationes possunt nimium extendere peritonęum & frangere, omnes sunt causæ. Ex his quæ dixit hactenus Hippoc. duo documenta colligere potestis in medicina facienda. Vnum, vbi ex morbis quibusuis fiunt rupturæ nunquam putetis eos abscessus esse bonos, quia tametsi (vt ait Hippoc. inter initia sunt innoxij, nunquam tamē iuuant, sed semper aut nocent, aut nec iuuant nec nocent. Alterum est vt in medicina facienda quantum fieri poteſt, caueatis eos, quorum valetudo vobis commissa est, ab omnibus illis causis externis, quæ possint peritonęum frangere; nam vbi hæc membrana est rupta, non poteſt solidari. Sunt enim nugę, quas plerique promittunt.

οἷσι τὸ μεταξὺ τοῦ ἤτρου καὶ τοῦ δέρματος ἐμφυσᾶται, καὶ οὐ καθίσαται. Τὸ τῶν χροιῶν οἷον τὸ ὑπόχλωρον ἐστὶ, τὸ ἐκ λευκόχροιης, ὅτι ἀπὸ τοῦ ἥπατος, πᾶν τὸ τοιοῦτον. Καὶ ἀπὸ τούτου ἡπατικὰ νοσήματα ἐν τοῖς τοιοῖσι, Καὶ ἴκτεροι οἱ ἀπὸ ἥπατος ἐς τὸ ὑπόλευκον, καὶ ὑδατανύμενοι, καὶ οἱ λευκοφλέγματοι· οἱ δὲ ἀπὸ σπληνὸς μελάντεροι, καὶ ὕδρωπες, καὶ οἱ ἴκτεροι.

Quibus id quod est inter imum ventrem & cutem inflatur, & non subsidet, color veluti multum pallidus, ex albo colore, quod ab hepate omne tale, & ab hoc morbi hepatici in talibus, & icteri ab hepate in sub album, & aquosi & leucophlegmatici. qui verò a liene, nigriores, & hydropes & icteri.

Si huius dictionis vlla connexio afferri poteſt cum superiore; hæc est, quod cum Hipp. ante docuisset tumores, qui fiunt ex ruptura in ventrem; & in eodem fiant etiam tumores ex hydrope, ex icteritia, nunc vult Hippoc. docere, quo pacto debeat Medicus diligens statim discernere, an tumores sint ex ruptura, an potius ex hydrope vel ictero, & hoc dicit, quia sæpe Medici & non vulgares consueuerunt falli, quia quod est hernia putant hydropem esse, & è conuerso. Et hoc secundum magis poteſt contingere in tumoribus scroti. Si quidem solet scrotum cōtinere tumores tum hydropicos, tum maximè ex rupturis. Notate itaq; quod dicit Hippoc. ad hanc rem, nempe, quod si pars intra imum ventrem tumeat nec subsideat, sed perduret, hos esse semper albos aut pallidos, atq; malum hoc oriri vitio hepatis. Præterea scribit icteros, qui fiunt vitio iecinoris etiam albos esse, & qui laborant leucophlegmatia, atq; hos omnes scribit detineri hepaticis affectibus. Subiunxit postremò eos hydropicos & ictericos, qui fiunt vitio lienis esse nigriores. Ex quibus possunt colligi differentiæ inter tumores rupturæ, & hydropicos. Vna est (vt ait Hipp.) quia tumores rupturæ subsident, nec perdurant: hydropis non subsident, sed perdurant. Altera differentia est, quia in rupturis nunquā, quantū sit ex ipsis, permutatur color corporis, in hydropicis verò maximè, qnia fit alb. pallidus vel niger. Adeo vt ex his Hipp. documentis, possit Medicus, perspicax colligere simulatq; infimi ventris tumor ipsi offertur, vtrū sit herniosus, an hydropicus. Sed priusquam vlterius progrediamur, possit aliquis dubitare, quomodo Hippoc. dicat in tumore hydropico colligi materiam inter cutim & imū ventrem: si quidem perspectissimum est apud omnes Medicos in hydrope colligi inter intestina, & peritonęum, non inter cutim. Dicendum Hippoc. multa annotasse in his secundum opinionem, consuetudinem & sermonem vulgi, nam vulgus putat aquam collectam esse inter cutim, & forsan inde natum nomen est aqua intercus, non quia ita sit, sed propter loquendi consuetudinem vulgarem. Præterea dignum videri possit alicui quæstione, cur

ne, cur in tumoribus rupturarum non permutetur color corporis, ſed duntaxat hydropis:
quia tumores rupturarum non fiunt vitio humorum, ſed partis illius affectę ruptę aut dila-
tatæ. Tumores autem hydropici ſemper fiunt vitio humorũ. Dicebat enim Hipp. colores *Initio lib. de*
corporis ſemper tales eſſe quales ſunt humores in corpore dominantes; quia prout ſunt *humoribus.*
boni vel mali, ſic & color eſt bonus vel malus. Et vt hanc rem diligenter cognoſcatis, &
videatis quam prudenter ſit locutus Hippoc. repetenda eſt breuiter ratio generationis &
colorum corporis & humorum. Gal. tradens præclaram de generatione humorum diſci- *2. de fac. nat.*
plinam, inquit, humores generari in hepate & a colore ipſius; qui ſi ſit σύμμετρος, bonum *cap. 8. & 9.*
ſanguinem facit, ſi incommenſuratus, prauos ſuccos generat. Vbi generatur bonus ſan-
guis, hic deſtributus per vniuerſum corpus colorem producit mixtum ex rubeo & albo,
qui omnium eſt optimus. Si autem calor hic ſit incommenſuratus, aut deficit aut exce-
dit. Si deficit, aut multum, aut parum. Si parum deficit, efficitur ſanguis pituitoſus,
qui diſtributus per vniuerſum corpus, inducit καχεξίαν, λευκοφλεγματίαν appellatam ab Hipp.
Si autem multum deficit, loco ſanguinis producit aquam, quæ ſi colligatur inter perito-
neum & inteſtina fit hydrops aſcites, ſi autem diſtribuatur per vniuerſum corpus, fit ana-
ſarca, & quomodo cunque fiat, quia ſanguini ſemper commixta eſt multa vel aquæ vel
pituitæ portio hinc fit vt ſemper color iſtorum albus ſit, vt non ſolum apud Medicos om
nes græcos compertiſſimum eſt, verum etiam apud Latinos. Cæterum ſi calor excedit,
vel multum excedit, vel parum ſi parũ fit bilis, ſin multũ fit atra bilis. Bilis ſi per vniuersũ
corpus diſtribuatur, vt ipſa ſemper eſt flaua ita flauum colorem toti corpori inducit. Sin
autem humor eſt niger, qui per vniuerſum corpus eſt diſtributus, illud facit nigrum. So-
let autem diſtribui humor niger per vniuerſum corpus, vel quia copioſus eſt, vt non poſ-
ſit totus recipi a liene: vel quia non attrahitur propter debilitatem ipſius lienis, adeo vt
ex his omnibus liceat videre facile omnia huiuſmodi vitia oriri propter vitium ipſius he-
patis. Sed dubitare licet, quomodo fieri poſſit vt color niger attribuatur vitio ipſius lie-
nis, cum ex diſcurſu noſtro manifeſtiſſimum ſit etiam oriri vitio iecinoris colorem nigrũ.
Dicendum oriri colorem nigrum vitio iecinoris & lienis: iecinoris quidem, quod genera-
tio huius humoris in nullo alio celebratur, quàm in iecinore. Poteſt etiam attribui lieni,
vt hic Hippoc. facit, quia, vt ait Plato in Timæo & pleriq; Medici, proprium munus lie
nis eſt expurgare iecur ab hoc humore prauo & obſcuro, vt (quod Plato dicebat) in ipſo
tanquam in ſpeculo poſſint fieri imaginationes. Vbi igitur lien vel ob propriam debili-
tatem vel ob nimiam repletionem, non poteſt amplius attrahere humorem melancholi-
cum, fit vt tunc hic humor reſtagnans in vniuerſo corpore hunc faciat colorem: adeo vt ſi
cauſam immediatè ſpectemus, ea referri videatur in lienem, qui non attrahit, vt deberet,
ſed ſi ſpectetur generatio præcipua huius humoris, hoc vitium, vt & alia genera hydropũ,
eſt ipſi iecinori tribuendum, & hoc eſt quod Gal. dicebat, nullum fieri hydropem niſi aſ- *6. de loc. aff.*
fectum ſit iecur. Et vt hoc obiter dicam apud Plautum ſeruus quidam conſpicatus leno- *cap. 1. & 5.*
nem qui ventrem ingentem habebat & colorem viridem & flauum, dixit illum laborare *cap. 7.*
ex epate morbo, vt iure Gal. etiam gloriatus ſit, ſe ex ſolo colore agnouiſſe iecinoris affe-
ctum. Inter differentias prima nuper erat, quod hernioſi tumores ſubſideant nec perdu-
rent, hydropici contra. Dubitatur verò, quia hoc non videtur vſu probatum, nam her-
nioſa, aquoſa, varicoſa, & carnoſa, non ſubſident. Alia dubitatio eſt, quia ait Hipp.
colorem ictericorum album eſſe, contra quod ſenſus ipſe teſtatur, quia nemo non videt
ictericos ſemper flauos eſſe. Imò vero eſt communis ſententia eos qui laborant ictero ha-
bere id præcipuum, vt quæcunque aſpiciant ipſis videantur flaua. Tertio dubitatur, quo-
modo Hippoc. diſtinguat leucophlegmatiam. Quarto, quomodo Hippoc. dicat hoc in
loco fieri hydropem a liene, cum Gal. dicat omnem hydropem fieri a refrigerato hepate. *Ibidem.*
Ad primam dubitationem dicendum verum quidem eſſe & herniam aquoſam & carno-
ſam & varicoſam non ſubſidere: ſed Hippoc. loquitur de hernijs quæ fiunt cum ruptura.
Carnoſa vero non fit ob rupturam. Sed eſt humor qui paulatim in ſcrotum colligitur &
frigore condenſatur. Tum aquoſa etiam non fit propter rupturam, ſed propter frigidam
intem-

intemperiem ſcroti & teſtium paulatim colligitur aqua. Pariter carnoſa non fit ob rupturam. De his ergo quæ cum ruptura fiunt hernijs Hippocratis dictum veriſſimum eſt, quod hernioſi tumores ſubſident interdum, hydropici nunquam. Ad ſecundum dubium dicendum duplicem eſſe icteritiam, aliam puram, aliam coniunctam cum hydrope. In pura color eſt flauus. In altera color eſt permixtus pallido, vt dicit Hippocr. Illud de ictericis
1. de sympt. causis cap. 2. & lib. de oculis tract. 4. 6. veriſſimum eſt, & Varronem, & Lucretium & Caſſium & Sextum Empir. & Gal. etiam omnes hos ſcribere ictericos omnes ita affectos eſſe, vt quodcunq; intuentur, ipſis videatur flauum. Sed ex altera parte huius ſymptomatis neque meminit Celſus, nec Cœl. Aurel. nec Ætius, nec Auicen. qui tamen ſunt diligentiſſimi neq; ad ſatietatem in ſignis proponendis. Et ego qui pluſquam centum ictericos puros curaui, diligenter ſum percontatus de hoc ſymptomate, & minimè vidi. Quare ſemper dubitaui de fide veterum, & Galenum putaui, ſectatum veterum ſententiam, hoc dixiſſe, non quod ipſe hoc voluerit. Verumtamen ſi quando hoc ſymptoma apparet rariſſimum eſt. Ad tertium accedo, ad quod dicendum, verum quidem eſſe veteres omnes feciſſe tres ſpecies hydropis, ſed non defue-
2. de diut. aff. cap. 1. runt etiam, qui quatuor poſuerunt, & inter cæteros Aræteus medicus nobiliſſimus facit quattuor ſpecies hydropis, aſcitem, tympanitem, hypoſarcam & leucophlegmatiam. Sed ſi verum eſt in hydrope exuperare aquam, leucophlegmatia non eſt vera ſpecies hydropis, quia id inter hydropem & leucophlegmatiam diſcrimen eſt, quod in hypoſarca aqua eſt in toto corpore, in leucophlegmatia non eſt aqua ſed crudus ſuccus, pituitoſus, quo iure
4. acut. tex. 3. diſtinguitur ab hydrope. Sed quid dicendum ad Galenum, qui faciens tres ſpecies hydropis primam dicit eſſe hypoſarcam, quando in ambitu corporis colligitur pituita, vnde ſi leucophlegmatia ea eſt, in qua non colligitur aqua ſed pituita, videtur apud Gal. hypoſarca: & leucophlegmatia idem eſſe, & leucophlegmatiam eſſe hydropem. Semper locus ille mihi fuit ſuſpectus. Curetis in hypoſarca crura ſupra malleolos tundi, videbitis puram & copioſam aquam exire, quod certiſſimum indicium eſt aquam, non pituitam contineri in hypoſarca. Itaque vbi textus Græcus habet φλέγματος legendum cenſeo ὕδατος, niſi intelligendus ſit Galeni ille locus, agere de pituita fluida & aquoſa, quæ verè æmulatur pituitam. Ad quartum dicendum verum eſſe in omni hydrope ſemper neceſſario refrigerari hepar, & propterea hallucinatum eſſe Cardanum, qui opinatus eſt hydropem
In com. ad. 2. Prognoſt. ſemper neceſſario fieri a calore, quanquam hoc etiam videtur cenſuiſſe Stephanus Athenienſis quem ipſe habeo manuſcriptum. Iecur autem refrigerari poteſt propter ventriculum ac pituitam deſcendentem a capite, tum a liene indurato. Et ſi quid poteſt refrigerando hydropem inducere, eſt tumor lienis, vt propterea dicat Hipp. hydropem a liene fieri, ſcilicet non immediatè ſed mediatè.

καὶ αἱ δυσελκίαι τῶν ἐκλεύκων, τῶν ὑποφακωδέων, καὶ τὸ δέρμα καταῤῥήγνυται, καὶ τὰ χείλεα, οἷος Ἀντίλοχος, καὶ Ἀλεύας τὸ ἀπὸ τῶν χυμῶν τῶν ἐκ τοῦ σώματος τοῦ ἁλμώδεος. Ὅτι ὑπὸ τὸ δέρμα μάλιστα, καὶ ἀπὸ κεφαλῆς ὅταν ἀπὸ τοῦ πλεύμονος διαθερμαίνεται.

Et difficultates vlcerum alborum, ſublenticuloſorum, & cutis rumpitur, & labra, qualis Antilochus, & Aleuas. Quod ab humoribus exeuntibus a corpore ſalſo: quod ſub cutem maximè & a capite, quando a pulmone caleſit.

Hactenus Hippoc. quædam annotauit circa hydropem æterna memoria digna. Sequitur alia annotare vtilia & ſcitu digna. Vnum eſt vlcera quæ fiunt in ipſis albis hydropicis, difficilia eſſe curatu, & non ſolum in hydropicis, ſed & ijs qui laborant affectu ſublenticuloſo. Aliud eſt in his rumpi labra & cutim. In his quæ ſcribit Hippoc. quædam ſunt quæ habet euidentes rationes, quædam verò minimè, & propterea pro hiſce quæ non habent euidentes rationes, affert exemplum. Audiuiſtis enim hunc eſſe Hippoc. morem vt vbi dicit aliquid rarum, ſemper addat probationem ab exemplo. Sed quid eſt illud, quod euidentem rationem non habet, & quod euidentem habet rationem? Euidentis,

hoc

hoc est rationis: hydtopicorum vlcera non sanantur. Gal. sæpe loquens de vlcerum curatione semper habet in ore vlcera qua vlcera sunt esse exiccanda. Imò dicit Hipp. non possunt curari vlcera, nisi exactè exiccentur. Cum verò in corporib. hydropicorũ semper humiditas abundet, & natura postulent exiccationẽ, quis non videt difficile ipsa sanari? Sed quanquã hoc perspicuũ sit, duo tamẽ se offerunt dubia. Vnum est, quia Arist. inquit vlcera tetra & imputa indigere medicamẽtis acrib. & acerbis. Vlcera enim pura indigere solis humidis. Quod si hoc verũ est, necessarium est, quod vlcera non semper exigant exiccationẽ. Tum idem Arist. duo dicit ad hanc rem pertinentia, vnum, aurem sinistram si quandoque perforetur, difficilius curari quam dextram, quia humidior est. Aliud est, vlcera iuuenum facilius curari, quam senum. Sed iuuenes sunt humidiores senibus. Ex his ergo Arist. locis colligitur non obscurè humiditatem in vlceribus non nocere, sed prodesse. Duplex est humiditas & siccitas. Alia est continuatiua, alia excrementitia. Duplex item est siccitas, alia quę est priuatio humiditatis continuatiuæ, alia quæ est priuatio excrementitię. In vlceribus curandis opus est humiditate continuatiua, & sicco, quod est priuatio humiditatis excrementitiæ. In vlceribus hydtopicorum curandis difficultatem adesse scribit Hippoc. quia in his adest humiditas excrementitia non autem continuatiua. Exctementitia vero prohibet sanationem. Vnde cum dicit Arist. auresn sinistram difficilius curari dextra, tum senes iuuenibus, verum est, quia hoc fit ob continuatiuæ humiditatis priuationem. Iam igitur quam præclatè dixerit Hipp. vlcera hydropicorum difficulter sanari, facilè videtis. Quod scribit de hydropicis, idem de lenticulosis. Lenticulosi apud Hipp. sunt illi, qui laborant alphis, qui sunt species vitiliginis, vt docet Galen. cum alphi sint maculæ quædam rotundæ, interdum latæ apparentes circa cutim, quæ sunt modò albæ, modò subnigræ. Vnde videbitis nominatos apud Medicos alphos & albos, & nigros. Albi fiunt ex humore pituitoso disperso per cutem & huic adhærente. Fiunt alphi nigri, qui verè sublenticulosi appellantur ab Hippoc. ex humore melancholico disperso per cutim & illi adhęrente; adeo vt omnis alphus fiat ex prauis humoribus cuti adhærentib. vt Gal. tradit. Huiusmodi vitium est symptoma facultatis assimilatricis, quę non potest conuertere materiam prauam in optimam substantiam. Vnde fit vt humor ille remaneat in sui natura & conquinet cutim. Itaq; vt hydropici non curantur ob nimiam humiditatem, sic & alphi nigri sublenticulosi difficulter, quia cutis ipsorum est inquinata prauis humoribus adhærentibus, quæ non permittunt, vt possit cutis vlcerata persanari. Sed cur dicit in his & cutim & labra discindi? Nam videtur a ratione alienum, vt discindantur ijs qui plurimo humido abundant, siquidem humiditas valde resistit eiusmodi scissuris. Hipp. cum videret hanc difficultatem, causam vnam dixit, quod in huiusmodi corporibus partes omnes salsæ sint. Quomodo autem fiat salsedo in his optimè explicat dicens in his pulmones calefieri, hisq; calefactis eleuari vapores calidos ad caput, vbi concrescunt in humores salsos, qui præcipitati in totum corpus, reddunt illud salsum. Adeo vt secundum Hippoc. ratio propter quam labra & cutis scindantur est, quia in ipsis abundant in corpore vniuerso salsi humores, qui sua salsedine & acrimonia labra & cutim exedunt. Sed cur potius labra & cutis, quam aliæ partes scinduntur? Manifesta est ratio, quia istæ partes cum sint magis longinquæ a fonte caloris natiui, minus defenduntur ab iniurijs. Verum vt hoc totum videtur attribuere calfactis pulmonibus, ita ego maximè puto tribuendum calefacto iecinori, quia tametsi non diffitear interdum & præsertim in phtisicis calefieri humores & ex hoc fieri salsos, maximè tamen omnis salsedo quæ fit in corpore, non fit nisi quia a iecinore exhalationes calidæ & siccæ feruntur in caput, vbi compactæ euadunt in pituitam salsam perinde ac dixit Aristot. secund. meteor. fieri salsedinem maris; quid quid Gal. & Aicen. dicant de generatione salsæ pituitæ. Dixerat Hippocrates rumpi labra & cutim propter salsedinem. Sed quia salsi humores propter actimoniam, vel siccitatem possunt rumpere ea, expedit quærere, qua ratione fiat, quia videmus a salsis succis vlcerari corpora, quia acres, & mordaces sunt: sic apparet ratione siccitatis rumpi vna; siquidem in summis temporibus siccis & præsertim hyeme facile apparet propter

4. Meth. & alibi lib. de vlcer.

1. Prob. 50.

32. sect. Prob. 7.

Lib. aduersus Iulians cap. 4.

6. Epid. com. 4. tex. 37.

sicci-

siccitatem non solum labra sed & pedes & manus findi. Præterea non videtur rationi consonum, vt salsus succus rumpat, quia quotidiana experientia cōprobatur salem vlcera conglutinare, vt potius videatur salsedo prodesse quam obesse. Postremò videre operæ pretiū est, an quoq; corpora hydropicorū scindantur, vt lenticulosorum. Siquidem Auc. & plerique alij loquentes de siti hydropicorum scribunt sitim in ipsis fieri propter salsedinem hu-
1. Probl. 79. moris, & Alex. dicebat sitim fieri in hydrope ob putredinem & corruptionem humidi alimentalis. Quæ si vera sunt, non videtur a ratione alienum etiam corpora hydropicorum debere scindi, vt dixit Hipp. de lenticulosis. Quod spectat ad hoc scilicet an siccitate vel acrimonia fiat scissio in his, puto ego propter vtrumq; fieri. De acrimonia minime dubitandum, quia experientia quotidiana comprobatur, salsos etiam succos venas frangere. De
3. quæst. nat. & 1. siccitate vnà probari potest, siquidem Plut. corpora quæ lauantur in aqua salsa, non solum fieri arida ob siccitatem sed etiam aspera & scabra scribit, hoc est scissa. Propterea scribit idem, pastores salem offerre ouibus, vt consumatur pinguedo & nimia humiditas. Quod ad primam dubitationem attinet, dicen, dum vlcera esse quæ agglutinantur sale, verum sale solo, non aqua & succis salsis, quia multum interest an adhibeantur salsa, an sal. Quia sal facultate tantum exiccandi agit, aqua salsa etsi potentia, actu minimè siccat, imò humiditas ob crassitudinem & pinguedinem adheret. De corporibus hydropicorū dicendum, verissimū esse in his exuberare aliquando humores salsos, propter quos vehementer sitiunt, veruntamē huiusmodi salsa humiditas abūdat in intimis magis quam in extimis corporis partibus, aut quam circa cutim. Imò vero cum in cute & circa cutim aquosus humor abundet, fit vt hac ratione media discindat eorum corpora. Documentum, quod elicitur ex his Hipp. verbis est, vt in vlceribus curandis & præsertim hydropicorum semper medicamenta exhibeantur, quæ valenter exiccent, & quod vlcera semper exiccari postulent, vt
Lib. de vlcer. Hipp. vult. Et hinc est, quod semper fuit mihi suspectus locus ille Arist. vbi scribit vlcera
1. sect. Probl. 50. pura efflagitare medicamenta humida. Hoc enim a ratione & omnibus medicinæ regulis est valde alienum. Itaq; dicendum aut fefellisse Arist. aut eo in loco, loco ὑγρῶν legendum ξηρῶν hoc est non humidis, sed siccis, & si solers sit ingenium odorabit facillimè ita esse legendum. Aliud documentum est in vlceribus corporum eorum quæ vitiligine laborant, non tantum studendum exiccationi, quantum expurgationi prauorum humorum præsertim eorum qui acres, mordaces ac melancholici sunt.

τὰς ἀφορμὰς ὁπόθεν ἤρξατο κάμνειν σκεπτέον, οἷον κεφαλῆς ὀδύνη, ἢ ὠτὸς, ἢ πλευρῆς. σημεῖον δέ, ἐφ' οἷσιν ὀδόντες, καὶ ἐφ' οἷσι βουβῶνες.

Occasiones vnde cœperint ægrotare considerandum, siue capitis dolor, siue auris, siue lateris. signum verò in quibus dentes, & in quibus bubones.

Hanc eandem sententiā legere potestis 6. Epid. com. 3. tex. 34. vbi Gal. nihil aliud dicit, quā sese explicaturū hanc sententiam in comm. huius libri. Vnde cum illa non habeamus, nō possumus etiā scire, quę fuerit illius mens in interpretando Hipp. hoc loco. Illud certū est, hanc nullam habere connexionem cum præcedentibus, sed esse præclarā quandam regulam optimamq; dignam quæ ab omnibus Medicis obseruetur. Est autem talis, vt vbi affectus est curandus, dolor capitis, auris vel lateris, semper consideret Medicus causas externas & euidentes. Nam vox ἀφορμὴ, qua vtitur hoc loco Hipp. (vt Gal. testatur) multa significat
1. Epid. com. 3. & 3. Ep. com. 1. apud Hipp. & Græcos. Primum significat illud omne, quod est principium alicuius actionis, tum locos affectos, tum causas euidentes morborum & externas, & hac significatione puto ego accipiendam esse hanc vocem Hippocratis, quam nos transtulimus (occasionem) quia causæ euidentes verè merentur appellari occasiones morborum. Sed cur Hippocrates præcipit specialiter vt causæ externæ considerentur? Nullus est in medicina facienda mediocriter versatus, qui ignoret in morbis curandis considerandas esse causas coniunctas & antecedentes, sed de externis dubitant plerique, num debeant considerari, quia non permanent cum morbo, sed statim recedunt. Ea propter cum videret prudentissimus

simus Medicus facilè fieri posse, vt curatio harum causarum negligeretur, voluit vt consideremus causas euidentes. Mirabile consilium. Causæ euidentes sunt sex illæ res non naturales, aer, motus & quies, somnus & vigilia, accidentia animi, repletio, inanitio, cib. & potus. Hæ res non naturales, vt Gal. docuit, euadunt pro vsus ipsorum modo, nunc causæ salubres, nunc insalubres; & propterea tanquam causas, vbi sunt insalubres, vult considerandas esse a Medico & iure, quia siue cognitionem morborum spectemus, siue artem prognosticam, siue curandi rationem, semper huiusmodi causæ vtilissimæ sunt scitu; primum quidem ad cognitionẽ, quia si quis vel propter nimium potum, vel propter aerem, vel propter vigilias incidat in febrim, magnopere conducit ad cognoscendum quod genus febris sit futurum, tum consideratio harum causarum magnopere conducit ad prognosin, quia si habitus sit nimium extenuatus propter vigilias, vel inediam, facilè potest iudicari non esse ita periculosum, & hoc est quod dixit Hipp. vbi inquit Medicum debere faciem ægri considerare, tum rogare num vigilauerit, an fame sit maceratus, docens causarum externarum cognitionem vtilissimam esse ad prognosim. Et ad curationem pariter confert; vbi quispiam febricitet vel propter æstum solis, vel nimiam exercitationem, aliter tractandus est, quam si ob alias causas externas ægrotet, vt propter nimiam repletionem. Vnde facilè intelligere potestis hanc considerationem causarum externarum vtilissimam esse ad omnia medicinę opera, & propterea admirabili consilio præcipere Hipp. eas esse considerandas. Sed dubium alicui videbitur, cur Hipp. cum sint diuersi affectus, qui a causis externis oriuntur, potius addat exemplum doloris capitis, auris & lateris, quam aliorum affectuum. Inquit enim considerandas esse causas externas & euidentes, propter quas æger laborat, vt si dolor capitis, auris & lateris &c. Aliquid illum impulit ad hos affectus peculiariter nominandos. Primum, quod attulit exemplum doloris; puto duas eum causas impulisse. Vna est, quod inter omnes affectus, qui maximè corporis nostri naturam destruunt, sunt extremi dolores. Siquidem ad effugiendam hanc molestiam dolorũ, natura vsq; adeo omnes suos conatus adhibet, vt maximè laboret. Propterea, cum dolores sunt maximi affectus, iure voluit Hipp. huiusmodi exemplum proponere. fuit etiam alia causa, quia dolores sunt illi potissimum, qui cogunt ægros Medicum aduocare, & ita hoc est necessarium, vt nisi dolores essent, sæpè ægri absq; vlla medicina curarentur. Itaq; Hipp. summo iure & prudentia exemplum dolorum proposuit. Sed cur etiam doloris capitis, auris & lateris peculiariter meminit? Magno etiam id artificio. Nam Plin. cõmemorat dolores eos qui sunt acerbiss. inter hos consensu omniũ Medic. testatur acerbiss. fuisse illos qui fiunt in capite, Gal. etiã inter acerbissimos dolores, capitis collocat, & auris. De dolore lateris etiã hoc perspicuũ est, maximũ eum esse. Nam Serenus Medicus antiquis. inquit dolorem lateris vocatum esse a veterib. telum, quia hic dolor instar cuiusdam teli pertundit atq; lancinat & vulnerat corpora nostra. Vnde cum hi dolores sint oĩum acerbissimi, & ita vt inuenti sint qui ꝑpter hos se iugularint, iure attulit exemplum horũ dolorũ, quasi dicere voluerit causas externas esse cõsiderandas, ꝑsertim in dolorib. & acerbissimis. Nisi etiam dicere vobis placet consueuisse Hipp. breuitatis amantissimũ cõmemorare vnũ vel alterũ genus, vt sub illis paucis cõplectatur reliqua, quasi dicere velet Hip. considerandas esse causas externas propter cognitionem morborum prognosim & curationẽ, tum in omnib. morbis, tum maximè in dolorib. capitis auris & lateris. Sed dicet quis. Quid significant illa verba quæ subiunxit (Signuum autem in quib. dentes & bubones?) Obscura certè est mihi Hipp. hæc sententia. Verumtamẽ si in re caliginosa licet mihi dicere quod puto, alterũ ex his reb. reor voluisse dicere Hip. aut quo tẽpore hæc ꝑcepta & dogmata annotabat, sibi cõtigisse in bubonib. & dentib. considerare causas externas atq; ex harũ contemplatione magnã vtilitatẽ percepisse, aut voluisse dicere Signum quod Medicus debet considerare causas euidentes, habetur euidentissimè in affectib. dentiũ & inguinum. Dentium quia inter omnes partes dentes maximè infestantur ab erroribus externis. Inguinum, quia Hipp. docet omnes febres ex bubonibus malas esse prærer ephemeram, hoc est eas quæ fiunt a causis euidentib. Vnde videre est causarum euidentium considerationem in ipsis esse necessariam.

Lib. 1. Progn.

Lib. 25. cap. 3

2. loc.

4. Aphor. 55.

τὰ γενόμενα ἕλκεα, καὶ κρίνοντα πυρετοὺς καὶ φύματα. Οἷσι ταῦτα μὴ παραγίνεται, ἀκρισία. οἷσι δὲ ἐγκαταλείπεται, βεβαιότεται ὑποστροφαὶ, καὶ τάχισται.

Quæ fiunt vlcera & iudicant febres & tubercula quibus hæc non accidunt, sublata iudicatio. quibus verò interius relinquuntur his certissimæ reuersiones & celerrimæ.

Hæc dictio nullam habet connexionem cum præcedentibus, sed est veluti Aphorismus in quo tria memoria digna docet Hippoc. Primum est vlcera & tubercula ea esse, quæ solent febres iudicare. Alterum est, quibus hæc fieri debent & non fiunt, ipsorum morbos esse mali iudicij. Tertium & postremum est, quibus hæc quæ foris incipiunt, intro remittuntur, citissimas & certissimas recidiuas esse expectandas. Sed video statim aliquem dicturum, nonne Hipp. hæc eadem etiam ante docuit. Et si docuit, ad quid repetit, cum fuerit breuitatis amantissimus? Galenus inquit quod vbi Hippoc. aliquid docet, quod si non intelligatur, potest magnam noxam adferre, sæpe repetit: ideo voluit eadem repetere. Quanquam si res etiam consideretur exactè, non idem prorsus etiam hic repetit Hippocr. Siquidem supra loquutus est quidem de abscessibus in genere, sed hic de abscessibus per tubercula. Hoc igitur est quod dicit Hippoc. vlcera & tubercula, quæ apparent in febribus, eas iudicare. Dixit vlcera & tubercula, quia febres aut sunt acutæ aut diuturnæ. febres acutæ cum sint ab humoribus calidis, acribus & mordacibus, iudicantur per expulsionem horum humorum ad cutem, quia cum sint mordaces & salsi cutim lancinant, sauciant & vlcera faciunt. Ita febres diuturnæ cum fiant ab humoribus frigidis, crassis & viscidis, minimè iudicantur per vlcera sed per tumores, & hoc est quod dicit sæpe Hippocr. morbos longos in abscessus terminari. Secunda propositio est, quibus hæc fieri debent & non fiunt, esse mali iudicij; atq; hoc quidem verum est, quia siuè de acutis siue diuturnis loquamur, vbi materia quæ excerni deberet, non excernitur, aut morbus aut mors sequitur. Atq; hoc ex Variolis compertissimum est, quia si non appareant, vt debent, plerunq; pueros interimunt. Postrema est: quibus tubercula incipiunt apparere, & statim introrepunt, certissimas, & citissimas recidiuas esse expectandas. Non dixisset hoc, nisi artem perfectè calluisset; & hoc quidem summam habet rationem, quia vbi humores incipiunt extuberare & statim desinunt cum sint semiputridi, facilè iterum putrescunt, & febres nouas accedunt. Sed percontari posset aliquis, vtrum in medicina facienda, quando Natura deberet facere & non facit vlcera vel tubercula, possit Medicus prouocare? quæ res maximi momenti est in medicina facienda: Non est dubitandum interdum optimum esse, vt Medicus prouocet, sed sciendum illi est, quando prouocare debeat. Si natura inclinet ac demonstret se facturam esse aliquam motionem, vt in febribus prauis & acutis, tum debet Medicus ipsi naturæ opitulari. Sed per quem locum? Primum videre debet, in quem locum ignobilem materia inclinet, & per eum oportet mouere. Si non apparet in aliquam partem inclinatio, tum videre oportet, an habeat æger aliquam partem antea debilem & & dolore affectam. Quia si habuerit aliquid huiusmodi, debet Medicus applicare parti illi remedia, vt trahat ad illum locum. Quia, vt scribit Hippocrates 4. Aphoris. 32. Si aliqua pars ante morbum doleat, in ea solet firmari morbus: Sed si nulla pars huiusmodi adsit, quid agendum? Duo sunt loca, ad quæ potest Medicus prouocare naturæ motum, nempe emunctoria, & artus, seu extrema. Itaq; Medicus in his casibus potest adhibere remedia laxantia emunctorijs, vt inguinibus & axillis, aut vesicantia & cauteria extremis partibus. Atq; hoc soleo facere ego cum fructu in febribus prauis & malignis; in quibus hac sententia Hippoc. ductus maximè studendum, vt fiant vlcera & tubercula, quia hæc, inquit, iudicant febres; & hic locus maximè fauet illis, qui in febribus prauis vlcera vesicantia faciunt.

τὰ ὠμὰ

Τὰ ὠμὰ διαχωρήματα καὶ ὑγρὰ, κέγχρος στερεὸς ἐν ἐλαίῳ ἑφθὸς ἵστησιν, οἷον τὸ ναυτοπαίδιον, καὶ ἡ μυριοχαύνη.

Crudos secessus & humidos milium solidum in oleo coctum sistit, vt nautæ puer & Myriochaune.

Hæc est postrema dictio huius primæ sectionis 2. lib. Epid. quæ dictio continet historiam seu potius exemplum. Hæc sententia Hipp. clarissima est, nempe crudos & humidos alui fluxus sistere milium in oleo coctum, vt contigit nautæ puero & Myriochaune. Verū duo sunt, quæ indicant manifestè habere aliquid rari. Vnum est, quia Hipp. apposuit nomina propria. Quia vbi hoc facit, semper ea res est maximi momenti. Aliud est, quod nominat remedium: nam Gal. scribit in libris Epid. nunquam censuisse Hipp. nominare remedia, nisi in his aliquid lateat, vt hac de causa existimandum sit, in his latere aliquid rari. Vt autem hoc inuehiamus, indagandum est per vnam, quamq; particulam. Tres autem particulas habet morbum, remedium & ægrum. Morbus fuit diarrhæa ex crudis humoribus, cuiusmodi morbus est symptoma secundarium, vel vt opus. Symptoma secundarium semper sequitur primarium symptoma, quod est actio læsa. Itaq; in hoc aderat actio læsa excretionis excrementi naturalis, quia excretio est opus naturæ. Potest autem actio lædi vel a morbo, vel ab errore externo. Sic Gal. existimat alteratricem & retentricem facultatem fuisse læsam, quia excrementa quæ fluebant erant cruda vitio alteratricis facultatis, humida vitio retentricis. Arq; in hoc casu læsa erat facultas alteratrix & retentrix. Sed quia actio lædi potest morbo vel errore, existimandum læsam errore aliquo & propter intemperiem. Potest hoc colligi ex persona ægrorum, qui ægri primum fuere pueri (Græci scriptores solent appellare puerum vel filium vel seruum) hic seu fuit filius, seu seruus nautæ, fat est eum fuisse puerum. Hi plurimum cruditatibus laborant propter errorem, quia edunt, bibunt quantum & quod non deberent, & præsertim filij, & serui nautę. Alius æger Myriochaune fuit. Erotianus proponens hanc dictionem, inquit fuisse nomen proprium mulieris. Sed aduertere oportet, quod scribit Galen. in ling. Hippoc. nomina propria quę referuntur ab Hippoc. sæpe esse nomina, quæ habent significationem, hoc est quæ imposita sunt ob aliquam conditionem personæ. Inter cætera hoc ipsum nomen ibi refert Galen. etsi contextus ibi sit vitiosus, qui dicit μυοχάνη cum legendum sit Μυριοχαύνη. Significat autem mulierem quæ frequenter hiat. Hiatus frequentia fit ex multitudine flatuum, & propterea dicebat Hipp. longam spirationem esse remedium oscitationum. Erat igitur sententia Hippoc. hanc mulierem fuisse humidam & flatulentam, & propterea facultatem retentricem fuisse imbecillem. In curandā hac diarrhæā quid opus est facto? Vt adhibeantur medicamenta calfacientia & exiccantia; si quidem vbi vitiatur coctio, semper calor naturalis hebetatur. Igitur enitendum est illum corroborare & viuificare. Huius rei præclarum exemplum habetis a Gal. qui commemorans casum Imperatoris, qui patiebatur diarrhæam ex cruditate monstrat ipsum curatum fuisse intus potu vini & piperis, extra fomento lanæ & vnguento nardino. Itaq; & Gal. curauit Imperatorem diarrhæa ex cruditate laborantem, remedijs calfacientibus & exiccantibus internis & externis. Ita postulabat ratio vt hic puer & mulier curarentur. Sed vsi sunt remedio admodum diuerso, quia vsi sunt milio solido in oleo cocto. Milium, vt docet Gal. & Dioscorides habet vim refrigerandi in primo gradu. Igitur non conueniebat. Præterea milium hoc non erat in puluerem redactum, sed solidum. Milium in puluerem redactum habet quidem vim sistendi aluum, sed solidum non habet; imò quando ita est, grana ea irritant aluum & facultatem expultricem. Tum milium non solum erat solidum, sed oleo coctum, cuiusmodi solet sæpè populus vesci. Oleum laxat aluum, quare non poterat sistere. Videte ergo quæ sit ratio nouitatis & raritatis, quia proponit hanc historiam. Vt verum fatear hoc exemplum non debemus nos imitari. sæpè vbi morbi spontè curantur, quodli-

Lib. 6. com. 2. tex. 6.

In exegesi.

6. Epid. com. 2. tex. 10.

Li. de præcog. Posthum. cap. 11.

7. med. simpl.

bet remedium videtur curare. Proptera factum potius existimo, vt sponte curatus sit morbus & laus attribura remedio. Nam scribit Gal. fluere aluum vna die, sæpe cum valetudine esse modo absit febris, & malum intra septimum diem finiatur. Sed fieri etiam potest, vt curauerit hoc remedium ratione ipsarum personarum. Nam remedia eadem non conueniunt rusticis & vrbanis, quia aliqua rusticos iuuant quæ non vrbanos: & contra. Certè ipse nunquam consulerem, vt ad sistendam aluum quisquam vtatur milio solido cocto in oleo. Ita verò curandus. primò detinendus est æger in abstinentia exacta. Tum ventriculi calor roborandus intrinsecus rotulis diatreon piperon, aromat. rosato, pipere cum vino, extrinsecus oleo de spica, nuce myristica, mastiche. Si iterum aluus fluerer, milio quidem possetis vti sed non per os aut si per os, non est vtendum milio solum, sed præparare oportet milium in formam, ptysanæ, atque ita vel per clysterem inijcere, vel etiam ore administrare.

HIERONYMI
MERCVRIALIS FOROLIV.
IN SECVNDVM EPIDEM.
HIPPOCRATIS.

SECTIO SECVNDA.

Γυνὴ ἐκαρδιάλγει, καὶ οὐδὲν καθίστατο: πάλιν ἐς ῥοιῆς χυλὸν ἀλφίτων ἐπιπάσσουσα, καὶ μονοσιτέουσα ἤρκεσε, καὶ οὐκ ἤμει, οἷα τὰ Χαρίωνος.

Mulier cor dolebat, & nihil remittebat, sed in mali punici succum polentam inspergens, & semel in die comedens, depulit, & non vomuit qualia quæ Charion.

SEQVITVR secunda sectio secundi libri Epidem. Quæ vtrum ita sit diuisa ab Hippoc. an ab alijs nihil refert scire. Illud vtile scitu est primam sectionem fuisse theoricam, hanc fere practicam; fere, inquam, quia etiam in historijs permixta sunt nonnulla loca maximè ad artem faciendam vtilia, & quamquam videantur puræ historiæ, quas Hippoc. narrat, non minus tamen admirabilis in istis recensendis est, quam in alijs. Vtilis potissimum hæc tractatio est, primùm quia Hipp. nihil obseruauit nisi rarum & quod non sit ad artem faciendam maximè vtile. Tum quia ex contemplatione historiarum Hippoc. potest solers Medicus acquirere habitum prognosticandi. Postremò, quia ex ipsa facile videre possunt studiosi, quæ præsidia conueniant & non adhibita noceant. Cum igitur vtilitas vobis constet huius tractationis, non minus diligentes vos esse oportet in hac quam in alia.

alia. Circa primam autem historiam scire debetis consueuisse Hippoc. plerunq; apponere nomina propria ægrorum, in hoc vero tacuit, vel quia ignorabat, vel quia nihil ex vsu putabat fore. Galen. in Onomastico Hippocratis scribit consueuisse Hippocr. apponere nomina propria historijs, quãdo significant aliquid pertinens ad id quod tractatur. Cum itaq; huius nomen nihil significaret huiusmodi, contentus fuit Hippoc. eam vocasse mulierem, & hoc ideo, quia hæ (vt Cælius Aurelia. & Aretæus testantur) multò magis consueuerunt cardialgia tentari, scilicet propter vterum, cuius compassione laborante ventriculo hic fit affectus. Vt autem viuam huius historię habeatis anotomen, videndum quis sit affectus, quo laborabat, quæ causa & quæ natura remediorum, quibus vsa fuit. Hoc facto nonnulla rara habituros vos arbitror. Græci cardialgiam vocarunt καρδιαλγίην, καρδιωγμὸν καρδιαλγὸν. Latini, vt celsus, Seneca, Plinius & alij appellare consueuerunt cardiacum morbum. Gal. describens cardialgian dixit nihil aliud esse nisi morsum oris ventriculi factum ab humoribus acribus & mordacibus. Sed puto huius affectionis naturam facilius explicari, si dicamus esse molestiam insignem, perceptam ob morsum oris ventriculi, ab humoribus acribus & mordacibus, ex quo patet natura affectus, pars affecta & causæ internæ seu coniunctæ: affectus, quia cum sit molestia vel dolor, statim colligitur esse symptoma in genere actionum deprauatarum sensus tactus. Et quia omne symptoma est a morbo, patet esse morbum solutionem continui, morsum. Locus affectus, manifestus est, nempe os ventriculi, quod primò omnium Hippoc. dein Thucydides, post eos alij Medici appellarunt Cor, vt iurè Cardialgia oris ventriculi affectus dicatur. Causę immediatæ & coniunctæ, humores acres & mordaces, vnà sunt manifestæ. Verum humores duplicis generis sunt, alij calidi sunt, alij frigidi. Ab vtrisq; fit cardialgia, vt iure dixerit Gal. duntaxat fieri ab humorib. mordacib. & acrib. quasi significaret tam calidos quã frigidos esse posse. Sed dubitet quispiam, si humores sunt causa immediata cardialgiæ, cur Auicenna dixit fieri ab omni causa dolorifica? Respondeo duplicem esse apud scriptores medicinæ cardialgiam, alia est propria, alia similis propriæ. Propria est ea, quæ fit duntaxat ab humoribus mordacibus. Impropria quæ ab Hippoc. ἄση, a Latinis nausea, quæ fit ab omni causa dolorifica. Sed cùm iam constitutum sit veram cardialgiam fieri duntaxat ab humoribus acribus calidisq; & etiam frigidis operæ pretium est videre, quã cardialgia laborauerit hæc mulier. Et vera ratio inuestigandi hanc rem est, vt primũ videamus, quæ indicationes habeantur ex natura huius affectus. Deinceps videndum quæ nam fuerit curatio. Nam Gal. inquit curationem nobis tradere veram significationem causarum, naturæ & morborum. *1. de loc. aff.* Indicationes a natura huius affectus, sunt hæ: Vt humores præter naturam ex toto amputentur, vel si amputari non possunt, vt castigentur & emendentur. Quare cum humores sunt mordaces, indicant hanc mordacitatem, emplasticis esse mitigandam, si sint calidi, esse refrigerandum, si frigidi calefaciendum & quia os ventriculi locus est affectus, & huiusmodi pars, inquit Auerrhoes est maximè necessaria & vtilis toti *7. coll. 27.* corpori, ea propter indicatur etiam robur huius partis esse conseruandum & augendum. Cum igitur tot tantæq; capiantur a natura cardialgiæ indicationes, videamus modo, quibus indicationibus satisfactum sit a Medico hac in re. Primo enim remedium fuit polenta, succus grenatorũ & μονοσιτίην vt ab hac incipiamus, manducare semel in die iuuat ad vacuandos humores. Cum autem hoc in casu non liceat Medico purgantibus vti, quia per partes affectas non licet vacuare summa cum ratione factum, vt euacuaret φορηθῆναι. Hæc blandè euacuat humores ex ventriculo & non nocet: tum (ait Plinius) polenta fiebat ex multis, notissimum ex farina hordeacea. hæc refrigerat & sua facultate emplastica vim insignem habet placandi acres humores. Succus granatorum frigidus est, & semper vi adstringendi pollet. Quia vt Gal. ait, etiam dulcia granata vim adstringendi habent. Vnde *2. de med. fac.* huiusmodi remedijs satisfactum est omnibus indicationibus cardialgiæ, cum præsertim hæc ipsa adstrictione sua ventriculi os corroborandi vim habeant. Ergo ex hoc discursu facile intelligere potestis Hippoc. tacuisse causam huius affectus, quia ex ipsa curatione potest solers Medicus eam facile intelligere. Sed duo supersunt maximè excussione digna.

Vnum,

Vnum, cur Hippocrates non meminetit ſectionis venæ? Quia in 5. & 6. Epidemiorum habetur hiſtoria cuiuſdam Androtani qui cum laboraret cardialgia ſecta vena curatus eſt. Si ille ita curatus, cur huic mulieri non eſt adhibitum hoc remedium? Secundum, quid ſit illud admiratione dignum, quod hic continetur, vt Hippoc. voluerit hanc hiſtoriam adnotare? Nam ſi quæcunq; diximus ſpectemus, non videntur ita arcana. Quod ad primum pertinet, ſi hiſtoriam propoſitam ſpectemus, verum quidem eſt Androtanum illum laboraſſe cardialgia, ſed non erat continua; & ſequebatur alios morbos, & vena illi eſt ſecta non ob cardialgiam ſed alios morbos, quibus ſublatis etiam ſymptoma receſſit. Hanc æquum eſt exiſtimare cardialgia continua laboraſſe, quia ſemel in die comedebat; nam ſi continua non fuiſſet, non erat neceſſarium hoc facere. In continua ſanguinem mittere periculoſiſſimum eſt propter virium penuriam, a continuo & acerbiſſimo dolore. Propterea prudentiſſimè factum, vt huic vena ſecta non fuerit, quod Androtano profuit. Ad ſecuudum reſpondeo Hippoc. qui nihil obſeruauit niſi æterna memoria dignum propter duas cauſas hoc ſcripſiſſe. Primo quia ſemel in die comedebat, & iuuabat, alterum, quia non euomuit & tamen eſt curata, ſecus quam Therꝯon, qui curatus eſt a Cardialgia, quia vomuit. Sed quid admirabile habet μονοσιτία? Primum erat contra con-

Lib. de victus rat. in acutis. ſuetudinem, tum contra rationem, quia vt Hippoc. habet, veteres non ſolum bis, ſed ter etiam & quater de die comedebant. Vnde cum hæc ſemel tantum comediſſe ſcribatur, faciebat præter omnem conſuetudinem. Inquit autem ille non eſſe tranſeundum ad inſueta, cum conſuetudo ſit altera natura. Præterea μονοσιτία contra rationem fuit. Nam Ariſt.

Lib. mirab. in Probl. quæſt. & Apollo ſcribit eos qui ſemel duntaxat in die comedunt, amarulentos eſſe, quia ventriculus ipſorum valde mordetur a bile. Vnde hac ratione erat contra rei naturam ſemel in die comedere, in quo periculum erat, ne bilis effuſa in ventriculum magis

2. acut. torqueret. Ad hæc ſcribit Hippoc. illis qui aſſueti prandio, illud dimittunt, aſtringi ventriculum. Vnde cum hæc adſtrictio ſit maximè periculoſa, μονοσιτία inutilis videtur. Tum

Lib 28. cap. 7. Plinius ſcribit eorum, qui ſemel tantum in die comedunt exta celerius ſeneſcere, quod dicit ſcripſiſſe Hippoc. Vnde cum præter rationem hiſce de cauſis videatut hoc remedium adhibitum, & tamen iuuerit, voluit nos docere, interdum remedia quæ videntur præter rationem, eſſe maximè vtilia. Alterum eſt, curatam fuiſſe & tamen non euomuiſſe. Nam cum cardialgia laboraret ab humoribus calidis, acribus & mordacibus, conſequens erat, vt, ſi liberanda erat, hanc cauſam coniunctam & efficientem euacuaret. Vnde cum liberata ſit abſq; vllo vomitu, iure viſum admiratione dignum. Neq; tamen eſt huiuſmodi remedium prorſus ſine tatione, quia cum humores, quibus hæc mulier conflictabatur potius prauitate quam copia læderent, factum eſt vt euacuatio minimè fuerit neceſſaria, ſed duntaxat emendatio & perſpiratio humoris acris, vt etiam intelligere poſſitis quotieſcunq; aliquis liberatur á vitio, ſine vlla vacuatione illud potius a prauitate quam a copia fuiſſe. Dixi illud admiratione dignum in præſenti hiſtoria reperiri, quod mulier hæc præter rationem & conſuetudinem ſemel in die comederet & tamen curata ſit. Cæterum percontabitur quiſpiam, qui igitur factum ſit, vt vſq; adeo inſigne iuuamentum perceperit, cũ videatur ꝑter rationẽ adhibitũ remediũ? Gal. in com. huius lib. 2. Ep. quorũ frangmẽta habentur in poſtrema editione, videtur voluiſſe hanc mulierẽ pro cibo ſemel duntaxat de die accepiſſe polentam cum ſucco granatorum. Vtrũ aliud ſumpſerit, nõ definiuit Gal. imò verò exiſtimauit haudquaquam paucitatem cibi contuliſſe ſed cibum illum duntaxat, quippe qui facultatem ſiccandi habeat. Ego verò exiſtimo hoc remedium non ſolum profuiſſe tanquam medicamentum, verum etiam tanquam alimentum, atq; præter hoc, nihil cibi in die narratam mulierem accepiſſe. Nam Gal. lib. ad Glauconem cap. (ni fallor.) de Tertiana ſcriptum reliquit eam eſſe optimam curandi rationem, quando medicamentum ſit alimentum: id quod docere voluit Hipp. de alimentis ſcribens medicamentum in alimento optimum, vt minimè mirum ſit hanc mulierem, quæ ſimul medicamentum accipiebat & alimentum, eſſe curatam. Cur autem paucitas cibi tantopere contulerit, duplex cauſa poteſt reddi: vna, quia paucitas cibi & inedia efficaciter ſed blandè pra-

uos

nos humores vacuant. Gal. scribit Medicos, vbi non possunt medicamentis aut venę sectione vacuare, solere vacuationem moliri paucitate cibi & inedia. Itaq; in hac contulit semel in die comedere, quia prauos humores blandissimè vacuat. Altera ratio est, quia stomachus cardialgia cruciatus non poterat cibi copiam sustinere, vnde a cibo magis grauabatur, quare subtracto cibo melius stomachus habuit, & potuit natura viriliter aduersus causam morbificam pugnare. Nunc vt ex hac historia aliquam medendi artem vobis comparare possitis, docebo vos breuiter, vt vbi similis casus offeratur institutatis curationem. Itaque si mulier cardialgia laborans vobis offerarur, cognoscetis primò affectum, quia mulier dolere se ait circa cor, tum quia suspirat, cibos abhorret &c. videndum an menses sint suppressi. Et notandum semper debere Medicum in curandis mulieribus oculum conuertere ad menses, & maximè in hoc vitio, quod sæpe ab vtero est. Si cardialgia est a suppressis mensibus, sanguinem mittere oportet aut venæ sectione aut cruribus sacrificatis. Si non est a suppressione mensium, conuertendum studium ad reuellendum ab ipso ventriculo. Hoc fit ligaturis crurum, frictionibus, cucurbitulis cum sacrificationibus & sine his. Ita Gal. magnopere commendat spongiam aceto madidam apponi. Sic vos hoc aut simili modo impetum humorum studeatis auertere a ventriculo. Hoc facto animaduertendum, an a calidis humoribus sit, an a frigidis? Si a calidis, inquirendum, num a copia humorum, an a qualitate sit. Si a copia, hoc inde cognoscetis, quia in hac, vt Auicenna ait, semper adest nausea tiua quædam satietas, tum stomachus grauatur quasi quodam onere. Itaq; oportet statim vomitum concitare oxymelle, hydreleo, aqua tepida cum aceto, oleo simplici. His omnibus licebit vobis statim humores copiosos vacuare, quo facto, & morbo pergente, exterius & interius agendum, vt mordacitas humorum castigetur, & os ventriculi corroboretur. Intus, medicamentum Hippocr. optimum est, & ego consueui in his casibus semper adhibere panem maceratum succo granatorum. Auicenna laudat syrupum de agresta, tum panem in omphacio maceratum. Extrinsecus conuenit oleum mastichinum cum succo citoniorum aut omphacij & puluere corall. rubeorum, & pro forma. ℞. ol. mastic. ℥. iiij. succi coton. vel omphacij ℥. ij. pulu. corall. rub. ʒ ij. misce cum modico ceræ. Vsus est, vt pannum in hoc liquore maceretis, & ita madidum ventriculo imponatis. Si sit materia frigida videndum an peccet copia succorum, vel qualitate. Si copia, tentandum hanc imminuere oxymel. simpl. vel succo raphani, vel hyera. Sin autem qualitate potius lædit, placanda hæc est. In quo genere nihil præstantius est vsu panis in vino macerati vt habetis apud Hippocrate vbi scribit, si os ventriculi lædatur, conducere vinum aquam mixtum, vbi dixit Galen. loqui eum de dolore a causa frigida. Extrinsecus etiam linimenta conueniunt, vt oleum mastichinum cum origani succo.

4. de tuenda valetud.

Li. 7. Aph. 56

Αἱ μεταβολαὶ ὠφελέουσιν, ἢν μὴ ἐς πονηρὰ μεταβάλλῃ, οἷον ἀπὸ φαρμάκων ἐμέουσι πυρετῶν ἕνεκα. Αἱ ἐς ἀκρητέστερα τελευταὶ, σῆψιν σημαίνουσιν, οἷον Δεξίππῳ.

Mutationes iuuant nisi ad malum mutentur, velut a pharmacis vomentibus febrium causa in meraciora fines, putredinem significant, vt Dexippo.

Hanc dictionem nullam habere connexionem cum præcedentibus satis potest legentibus apparere, vnde existimo esse dogma quoddam per experientias inuentum ab Hippocrate, atque dum notaret Historias, ijs insertum fuisse. Sed quid quid sit, hæc oratio tres partes habet. Prima est mutationes alui iuuare, nisi ad deteriora fiant. Secunda est: in vomitibus qui fiunt a pharmacis gratia febrium, mutationes iuuare, nisi ad deteriora fiant. Tertia est; deiectiones quæ finiunt in meracam significare putredinem, vt contigit Dexippo. Circa primam partem Hippocrates secund. Aphorismor. decimoquarto eandem sententiam habuisse videtur, vbi scribit deiectiones alui si mutentur semper iuuare, nisi ad deteriora fiat mutatio. Arbitror illum aphoris. ex hac esse

Li. 2. Aph. 14

 dictio-

dictione, & Gal. ibi inquit propterea deiectionum mutationem iuuare, quia fit exacta corporis purgatio. ergo si aluus deijciat, modo flaua, modo rubra, modo pallida, bonum, quia corpus purgatur exactè; sed malum, si fiant fæces liquidæ fætentes, maximopere ab Hippoc. damnatæ, sed video aliquem dicturum, quæ sit grauitas Hippoc. docere mutationes ad deteriora malas esse: nemo enim est, qui hoc non sciat. Anne vir grauissimus rem adeo vulgarem docuit? Non ita est, quia licet Medicis peritis hoc non ita admiratione dignum esse videatur, attamen vulgares sæpe decipere solet, existimantes varia excrementa semper conferre. Sed quorsum illa? Vt spectetur non varietas tantum & copia, sed in qualia ex qualibus fiat mutatio, quod habetis 5. sect. 6. Epid. Dixit quidem hoc de spontaneis deiectionibus, sed de arte factis etiam intelligi voluit, & propterea secunda parte dixit hoc etiam verum esse in illis vomitibus qui fiunt a Medico gratia febris, nempe & in huiusmodi febri vomitibus optimum est, vt excernantur modo pituitosa, modo biliosa, modo melancholica. Sed si nigra, liquida, fætentia, dicebat Hippoc. pessimum, Quia mutatio est ad deteriora. Duo hac secunda parte adnotanda sunt. Vnum est: vomitus exemplum Hipp. potissimum attulisse, quia apud veteres medicos maximè in vsu erat vomendi consuetudo, ita vt Herodotus dixerit libr. 2. Ægyptios & Africanos maximè omnium sanes fuisse, quia semel in mense clystere vtebantur & vomitu, vnde Medici quoq; olim hac consuetudine impulsi, facile vomitibus vtebantur & ita vt pro purgatione fere semper in vsum ducebant. Secundum est, quod tametsi optima fit mutatio in quolibet vomitu, melior tamen est in eo vomitu, qui fit ope medicamentorum sicuti de deiectionibus docuit Hippoc. Quia, vt Gal. (ni fallor) habet varietas excrementorum, quæ fiunt per vomitum, qui sponte fiunt, significant varios latitare affectus in corpore. Quis autem ignorat, quo plures latitant, eo peius habere? Sed secus se res habet, si a pharmacis fiat, quia signum est diuersos esse in corpore humores, multorum morborum causas, sed iam euacuatos. Tertia & vltima pars. Deiectiones, quæ fiunt in meraciora, putredinem significant, scilicet si post deiectiones varias tandem deijciantur vel pura bilis, vel melancholia, vt contigit Dexippo. Sed cur excretio meraca adeo damnatur, cum tamen videamus sæpè tertianam finiri excretione puræ bilis, quartanam puræ melancholiæ? Vt autem hic nodus dissoluatur, scire debetis meracas deiectiones dupliciter apud scriptores Medicinæ capi. Primo quando purum aliquod genus humoris eijcitur. Alio modo, cum non solum vnum aliquod genus humorum excernitur, verumetiam quando illud separatum est, & depuratum ab omni ichore & sero. Est enim illud compertum, a meq; alias dictum, vnumquemq; humorem habere suum serum, ita vt vere synceri dicantur illi qui ab hoc sunt depurati. Hipp. hoc loco pro meracis deiectionibus intelligit eas quæ puræ sunt, ita vt neq; serum habeant. Cæterum deiectiones quæ syncere apparentes liberant a febre sunt illæ quæ sunt syncere primo modo. Quomodo autem putredinem significent, facilè vident Philosophi: quia humores, vbi liberi sunt a proprijs ichoribus, nō aliter quā ab igne absumuntur incendio febrili: vt cum incendium perpetuum fit, tum vna putredo, iure dixerit Hippoc. meracas deiectiones sine ichoribus significare putredinem, quia significant magnum febrile incendium, quod quidem est putrefactorium. Ex præscripto loco, quædam documenta pro medicina facienda habentur. Primum est, vbi per medicamenta, vel sponte varia excrementa effluunt, non statim aut timendum aut sperandum esse. Siquidem vt possunt bona esse; sic mala sunt, quoties fætentia, liquida, meraca sunt, quæ exeunt. haud secus, si quæ exeunt, sincera sunt, neq; statim probanda, aut damnanda sunt, quia etsi interdum finiant morbos excrementa syncera, sæpe tamen putredinem significant. Propterea debet Medicus, vbi videt excrementa syncera, diligenter expendere, an putredinem significent, an non. Si ita, haud debet desistere a curatione sed strenuè aduersus putredinem & incendium certare.

2. Prog. & in Coacis Præn.

Li. 4. Aph. 21

Ἡ Σέραπις ἐξ ὑγρῆς κοιλίης ᾤδησε. Κνησμοὶ δ' οὐκ οἶδα ποσαίη, οὐ πρόσω. ἔσχεδέ τι καὶ ἀπόστημα ἐν κενεῶνι, ὅσπερ μελανθὲν ἀπέκτεινε.

Serapis ex liquida aluo intumuit. Pruritus haud scio quot dies, non vltra. Habebat autem & abscessum quendam in parte inani qui quidem denigratus occidit.

Hæc est secunda historia ab Hippoc. proposita Nomen ægri apposuit dicens vocatum Serapin. Circa quod nomen dubitare licet vtrum sit legendum, vt habent codices omnes, an potius Serapus. Ratio huius dubitationis est, quia Galen. in explicatione linguarũm Hippoc. in dictione Serapus dicit mulierem fuisse apud Hippoc. quæ crura distracta & distantia habebat, quasi voluerit hoc nomen hanc habere significationem. Sed siue hoc modo legamus, siue alio parum refert ad medicinam faciendam. Illud magnopere refert scire, tria symptomata huic contigisse. Primo, quod cum laborasset alui fluxu, suppresso illo intumuit. Secundum est, quod pruritus habuit, qui tamen non vltra processerunt. Tertium symptoma fuit, quod ipsi in ileo factum est apostema, quod tandem nigrẽfactum, miseram mulierem extinxit. Vt autem penetremus mysteria Hippoc. in hac historia, primo videndum, qua ratione post alui fluxum curatum hæc mulier inciderit in tumorem, quia Hippocr. simpliciter dixit ipsam intumuisse. Videndum est vtrum possimus expiscari quisnam tumor extiterit. Nam historias Hippoc. superficie tenus legere & interpretari, a doctrina & authoritate eius valde alienum est. Quod post alui fluxum quispiam tumorem incurrat, certè non videtur rationi consonum, quia ex fluxu humores omnes maxime aquosi euacuantur, quibus euacuatis multum abest, vt tumor debeat oriri, imò experientia constat si hydropici alui fluxu corripiantur, statim delitescere omnes tumores. Et hac ratione adnotauit Hippocrates tanquam mirum, intumescere post alui fluxum. Sed experientiam & rationem aduertamus. Non videtur mirum de experientia, quia, vt legimus contigisse Hadriano Imperatori ex immodico fluxu hydropem: ita ex alijs symptomatibus fieri alios tumores videmus. Ratio Gal. est, quia vbi euacuationes sunt insignes, exinaniuntur spiritus, quibus exinanitis hebetatur calor, quo facto & iecinore refrigerato, loco sanguinis fit humor aqueus, qui aquosus & crudus in varias partes depulsus solet tumores varios efficere vt minimè mirandum sit contigisse huic mulieri, vt post vacuationem insignem intumuerit. Sed quis fuit hic tumor, cum Hippoc. nihil dicat? De hoc si consideremus Galenum in voce στριμάργυ, ait, vbi Hipp. proponit nomina, idcirco hoc agere, quia aliquid significant ad rem pertinens. Si ergo legamus Σαράπυς, possumus dicere hanc habuisse pedes distractos & distortos, & propterea imbecillos, adeo vt intumuerint. Verum possumus etiã intelligere hunc tumorẽ non fuisse pedum duntaxat, sed ipsius corporis, quia Gal. scribit, si lienosis superuenit fluxus alui dysentericus, sequi hydropẽ, vt ꝓpterea, si legere volumus sarapus, intelligamus intumuisse secundum totũ, hoc est factã hydropicã, sed si facta est hydropica, & propter alui fluxum refrigeratũ est vniuersum corpus, quomodo fieri potuit pruritus, quia hi ab humorib. acribus, salsis & mordacibus fiunt, qui cum sint calidi, non possunt fieri a iecinore frigido? Tum quomodo potest apostema nigrefieri in corpore frigido? Clarum est apostemata nigra esse gangrænas, hæ sequuntur incendia, inflãmationes. Quomodo in corpore hydropico potuerunt fieri incendia & inflammationes, quæ inducant gangrænam? Galenus seu alius, cuius fragmenta habemus, comment. in hunc librum (nam dubito an sit Galeni) videtur attribuisse humoribus calidis. Sed hæc est mea sententia. Suspicor ego hanc initio captam pestifera febre, & hac ratione, quia laborauit liquida aluo. Nam Hippoc. in constitutione illa pestifera refert omnibus ferè ægtis fuisse aluum liquidam. Imò

6. Aph. 43.

3. in 3. Epid.

Tex. 57. Galenus eodem libro inquit symptoma inseparabile esse alui fluorem febrium pestiferarum. Cum a liquida aluo valdè turbaretur, constituit medicamentis adhibitis aluum importunè comprimere. Adstricta aluo excrementa alioquin aquosa & semiputrida partim depulsa in ventrem & pedes, partim in cutem; qui in ventre retenti sunt, parturierunt tumorem; qui autem distributi sunt in ambitum corporis, cum essent semiputridi, pestiferi & acres, pepererunt pruritum. Sed quia non potuit natura humores (causam pruritus) penitus euacuare, factum est, vt sæpe fit, vt collecti sint in ileo, vbi apostema induxerint, quod cum fieret ab humoribus acribus & calidis pestiferisq; facile erat vt transiret in gangrænam; quæ cum esset in parte intima, non est mirum, si statim exitium intulit. Adeo vt sic examinantibus historias Hippoc. facile appareat, quam prudenter hæc omnia admirabilis vir adnotarit. Sed video aliquem percontaturum, cur Hippoc. non dixerit, quodnam Ileum fuerit, vtrum intelligemus dextrum an sinistrum? Tum posset quærere quis, vtrum occurri potuisset Medici opera, vt non extingueretur, & si potuisset occurri, quibus? Sic videbitis, quæ vtilitas trahatur ex speculatione huius historiæ. Si æstimemus locum affectum in febribus ardentibus pestiferis, est iecur: quia cum iecur sit officina sanguinis & febris pestifera potissimum sanguinem inuadat, iure fit, vt iecur maximè afficiatur. Cum autem emunctorium eius sit ileum dextrum, verisimile est, inguen dextrum affectum fuisse, & tacuit hoc ob breuitatem & ad exercenda ingenia medicorum. Ad secundum dicendum potuisse quidem occurri, vt gangræna non fieret, quia cum nulla alia symptomata recenseantur ab Hippoc. iudico nullis alijs fuisse tentatam. Sed qua ratione oc-
6. Epid com. 3 curri potuisset? Hipp. loquens de pustulis & hæmorhoidibus hanc legem videtur nobis reliquisse, vt quotiescunq; fiunt aliqui abscessus, si intro cedunt, reuocandos esse illos; vnde cum hoc in casu duo abscessus fuerint, fluor alui & pruritus, qui sine fructu delituerunt, opus erat vt Medicus reuocaret, & propterea debebant boni illi Medici, simulatq; viderunt suppressa aluo mala esse exacerbata, iterum aluum mouere vel medicamentis vel clysteribus, & quia pruritus etiam importunè sedatus erat, maxime conueniebat, vt materiam vesicatorijs & alijs per cutim euocarent. Sic enim longè lateq. materia per corpus euacuata minimè in abscessus collecta fuisset & per consequens non successisset gangræna.

Καὶ ἡ. Στυμαργέω ἐκ ταραχῆς ὀλιγημέρου πολλὰ στήσασα, καὶ παιδίου μετάστασιν θήλεος ἀπὸ φθορῆς τετραμήνου ὑγίηνασα, ᾤδησε.

Et Stymargi vxor ex ventris perturbatione paucorum dierum, cum multum curasset sistere, & abortum fecisset fœtus fœminæ quodrimestris, a corruptione sana facta intumuit.

Sequitur alia breuis historia, sed admodum digna scitu. est autem hæc, quod vxor cuiusdam Stymargi, cum vtero gereret, capta est turbatione ventris, qua turbatione sedata abortum fecit puellæ quadrimestris, ex quo abortu cum videretur sana, tamen intumuit. Quod ad nomen huius viri pertinet, inuenio diuersitatem esse, quia hoc loco dicitur Στυμαργου, Galenus tamen in Onomastico Hippoc. videtur legisse στυμαργου, vbi dixit virum maximè libidinosum fuisse. Sed tria ex hac historia colligere potestis, quæ huic contigerint mulieri. Primum quod prægnans tentata fuit alui fluore. Secundum, quod sedata perturbatione alui fecit abortum & puellæ seu femellæ quadrimestris. Tertium, quod cum sana videretur, tamen intumuit. Mulier pregnans ventris fluore tentari potest propter duas causas, vel quia excrementa retenta, cum menstruis exuberantia, a natura expelluntur; vel fieri potest propter vitium humorum in toto corpore exuberantium. Ortus a priore causa fluxus, solet esse maximè vtilis, quia fætus liberatus a mole humorum, felicius degit; & propterea valde perniciosum est huiusmodi fluxum supprimere. Si a vitio totius corporis fiat, secus est, quia hic nihil aut parum conducit fætui, & cum quilibet fluxus vires deprimat, accedit potius detrimentum, quia sub hoc fluxu & mulieris & fœtus vires valde atteruntur.

runtur. In hac verò muliere ego fluxum ortum puto potius a totius corporis vitio quàm excrementorum, quia quadrimestris erat prægnans, quo tempore non solent menstruorū retentorum excrementa admodum infestare, imò mulieres quæ antea laborant nausea, seu inappetentia, quarto mense liberantur, quia sunt excrementa penè consumpta. Ideoq; factum est, vt hæc mulier propter vitium totius corporis laborauerit alui fluxu & vexata toto hoc tempore, inciderit in abortum, maximè, quia Hippoc. scripsit, prægnantes, si alui fluxu tentantur, abortire. Sed dicet quis, si fluxus inducit abortum, debebat abortire, dum fluxu laborabat, iam verò scribit abortum fecisse post sedatum fluxum? Respondeo ideo potuisse hanc mulierem etiam a fluxu sedato abortire, quia ex fluxu acetabula fœtus reddita sunt imbecillia, vnde procedente tempore, cum fœtus fieret grandior, nō potuerunt illa pondus fœtus augescentis sustinere. Vel dicere possumus iure merito eum apposuisse nomen viri, quod nomen significabat libidinosum, hinc mulierem fecisse abortum fere sanam, propter libidinem hoc est furorem viri sui ponderis. Nam etsi Aristoteles dicat solas mulieres prægnantes pati mares, certum tamen est, si nimis intemperanter tractantur a viro, abortire. Neq; sine ratione Hippoc. dixit, puellæ seu femellæ quadrimestris, quia omnes abortus qui fiunt in ijs mensibus, periculo vacant, quia acetabulorum non fit exitialis fractio, sed vbi grandior est fœtus, iam e; acetabula & tenacius hærent vt a quarto ad septimū vbi hæc franguntur, tum maius est periculum; & maius sanè vbi fœmellæ fit abortus, quia cum infirmiores hæ sint, multò magis patiuntur mulieres. Ideo addit mensem abortus & sexum. Postremò addit, hanc, cum videretur sana ab abortu tamen intumuisse. Sed quid postea sit sequutū, non dixit, vt operæ pretiū sit intelligere quis fuerit huius finis. Ego existimo sanam factam esse, quia si interijsset, dictum fuisset; tum, cum sana videretur, æquum est existimare tumorem leuem fuisse, & pedum solùm, nec vitio abortus sibi contigisse, sed propter malam viuendi rationem. Nam Arist. scribit eos qui fame diuturna laborant, ijs pedes intumescere, id quod huic contigit post abortum vitioso alimento vtenti & tumorem pedum in currenti sed exercitio euasit. 5. Aph. 34. 1. Prob. 5.

Μόσχῳ λιθιῶντι ἰσχυρῶς, ἐπὶ τῷ βλεφάρῳ τῷ ἄ ω κριθὴ ἐγένετο πρὸς τοῦ ὠτὸς μᾶλλον· ἔπειτα ἐξελκώθη ἔσω. πέμπτῃ καὶ ἕκτῃ ἔσωθεν πύον ἐῤῥάγη, τὰ κάτωθεν ἔλυσε, βουβὼν παρ' οὖς ἦν, καὶ κάτω ἐπὶ τῷ τραχήλῳ κατ' ἴξιν τοῦ ἄνω βουβῶνος.

Moscho admodum calculoso, in superiori palpebra hordeolum fiebat versus aurem magis deinde ruptum est intro: Quinta & sexta ab interiori parte pus effluxit, quæ infra soluit. Bubo iuxta aurem erat, & infra in ceruice secundum rectitudinem superioris bubonis.

Historia nunc proposita ita se habet. Vir nescio quis Moschus appellatus, eum laboraret magnopere calculo, factum est ei tuberculum (vocatum hordeolum) in superiori palpebra. Hoc suppuratum est, & ita vt soluerit. factum est tamen, vt post aures oborta sint tubercula, & non solum post aures, verum etiam in collo infra ipsam aurem. Hæc est historia, quam Hippoc. in præsentiarum nobis proponit: quam vt diligenter speculemur, tria offeruntur, quæ ita digna fuere, vt Hippoc. impulerint ad ea adnotanda. Primum est genus morbi quod passus est Moschus, alterum est exitus & solutio morbi. Tertio loco sunt ea quæ euenerunt post solutionem morbi. Hæc tria si rectè intelligantur, facilè quisque iudicabit Hipp. hanc historiam non sine summo iudicio memoriæ prodidisse. Primò genus morbi perscrutabor. Interpretes huius libri huiusq; orationis, in diuersas sententias iuerunt. Alij existimarunt laborasse Moschum lapide renali, alij, vt Galenus (si modo ipsius sunt commentaria) calculo vesicæ. Sed neutri assentiri possum. Primò non possum existimare laborasse lapide renali, quia quantum ego obseruare possum, nomen hoc λιθιάσις nunquam inuenio significare aliud quàm lapidem vesicæ: vt hoc modo non possit intelligi de lapide renali. Non est vna hic intelligendum de lapide vesicæ, quia

multum distat hic morbus ab eo, quem narrat Hippoc. Nam quid commune vesicæ cum oculis? Nihil. Neque Hippocr. consueuit ita dissentanea & improportionata annotare, quare meræ nugæ sunt quas illi scribunt. Quid ergo dicendum? Autor libri Definitionum, editi sub nomine Galeni, & Ætius tractantes de morbis oculorum, inter alios commemorant λιθίασιν, seu calculum, vt appellat hic Hippoc. Describentes autem hunc morbum, inquiunt in hoc morbo, quoties inuertuntur palpebræ, apparere quædam tubercula alba, dura, aspera varis seu furunculis similia. De hoc credo omnino Hipp. loquutum esse, quia nihil est, quod magis quadret huic historiæ, quam huiusmodi morbus. Igitur omnes falluntur, qui existimarunt eum loquutum de eo qui laborabat calculo vesicæ. Quia autem hic morbus per quam rarus est, & paucissimis videre contingit, ea de causa vt rarum annotauit. Videamus iam exitum huius morbi, vt intelligamus in hoc etiam aliquid admiratione dignum fuisse. Dicit Hipp. huic in palpebra factum esse hordeolum, & eo suppurato solutum esse morbum. Hordeolum est paruum tuberculum, quod plerunq; solet in marginibus palpebrarum oriri. Duo igitur hic sunt admiratione digna. Vnum, quod a tam paruo tuberculo solutus est morbus diuturnus & vehemens; nam inquit laborasse morbo magno nempe calculo vehementi. Alterum est, quod cum lapis oculorum fiat a materia crassa & dura, difficile est credere hanc materiam suppurare & euacuari. Ita exitus etiam admiratione dignus; non fuit tamen præter rationem, quia cum suppuraretur, credibile est calorem eo loci factum, qui cōsumpserit humorem efficientem lapidem, primò attenuando, tum attenuatum dissoluendo. Igitur rationi consonum est, ita solutū esse morbū, & eo maximè, quia inquit infra morbum solutionē factam, cum ante dictum est omnes abscessus infra morbum salutares esse, & morbum soluere. Postremo admiratione dignum est, quod morbum sequutum est, nempe factum esse bubonem infra aurem, & alium in collo e regione auris. Si morbus solutus est per suppurationem, quomodo fieri poterat, vt iterum similis morbus orir etur. Nam Hipp. dixit eas euacuationes, quæ fiunt per suppurationem, bonas esse, nec recidiuas facere. Hic abscessu solutus morbus erat, & alius tamen est sequutus. Iure ergo voluit adnotare. Audite quomodo hoc intelligendum. Credibile est huic caput semper excrementosum fuisse, & licet palpebra curata erat, non tamen fuit adempta multitudo excrementorum capitis: tum cicatrix remansit, vbi fiunt cicatrices, partes semper fiunt duriores & solidiores potentioresq; ad resistendum influxibus. Igitur etsi caput erat excrementitium, non poterat tamen ferri excrementum in oculos propter duritiem palpebræ, roburq; quo deflectebatur materia ad locum proximum, emunctorium cerebri, ad locum subtus aures, & quia materia erat tam copiosa, vt non posset tota recipi ab emunctorio, facta est vt eius portio sit delata in collum, & ibi alium tumorem fecerit. Videtis ergo non præter rationem hæc contigisse. Euentum horum tumorum Hippoc. siluit, quia permisit iudicio Medicorum ad hoc discernendum. Et certè si quis diligenter rerum naturas contempletur, facilè conijciet euentum. Nam credibile est materiam depulsam in collum & post aures fuisse eiusdem generis cuius erat palpebræ. Fuit ea pituita crassa, viscida, quia lapis omnis, tumor est, durus, albus & asper. Rationi igitur consentaneum est eosdem aut similes tumores protulisse, & iurarem fuisse scrofulas & diu durasse, ita vt exitum eorum annotare oblitus sit Hippoc. Ex hac historia documentum illud primum capere potestis. Per abscessus inferiores, quoslibet morbos posse superari. Siquidem videmus lapidem palpebræ finitum per abscessum infra factum. Tum aliud, quotiescunq; oculi laborant, studendum esse, vt venæ temporales vel post aures aperiantur. Nam Hipp. & Arist. scribunt, veteres in affectibus oculorum vsisse venas temporales, quia cum partes sint proximæ, facilè reuellitur materia ab vna parte ad aliam. Sequitur historia fratris Aristæi.

Lib. 7. cap. 80

6. Epid. com. 5

Lib. de locis in homine. 31. sect. Prob. 5.

Ο τῆς Ἀριστάιου γυναικὸς ἀδελφὸς, χλιαινόμενος ἐταλαιπώρει ὁδῷ. κἄπειτα ἐν κνήμῃ τέρμινθοι ἐγένοντο. ἔπειτα συνεχὴς πυρετὸς ἐγένετο, καὶ τῇ ὑστεραίῃ ἱδρὼς ἐγένετο, διὰ τὰς ἄλλας τὰς ἀρτίους ἐγένετο αἰεί. ἔτι δὲ ὁ πυρετὸς εἶχεν. ἦν δ' ὑπόσπληνος. αἱμοῤῥάγει ἐξ ἀριστερῦ πυκνὰ καὶ κατ' ὀλίγον ἐκρίθη. Τῇ ὑστεραίῃ, ἀριστερὸν παρ' ὖς οἴδημα. Τῇ δευτέρῃ, καὶ παρὰ δεξιόν. ἧσσον δὲ τοῦτο, καὶ ἐπεχλιαίνετο. ταῦτα κατεμαλύνθη, καὶ οὐκ ἀπεπύησεν.

Frater vxoris Aristæi fatigatus itinere incalescebat, deinde in tibia termintbi fiebant. deinde febris continua fiebat, & postridie sudor fiebat, & alijs etiam diebus paribus fiebat semper. Adhuc autem febris detinebat, erat autem sublienosus. fluebat sanguis ex sinistra nare, sæpe & paulatim. Iudicatus est. Postridie iuxta aurem sinistram tumor. Postridie & iuxta dextram: minor autem hic; & incalescebat: hæc euanuerunt, & non sunt suppurata.

In hac historia quæ occurrunt speculatione & memoria digna, sunt, Cur post iter & defatigationem huic viro facta sint tubercula in cruribus, nigris ciceribus similia. Secundo cur Hippoc. annotauit sudores factos esse diebus paribus. Tertio vtrum hic lienosus esset ante morbum, an in morbo ipso sit factus. Quarto, qua ratione fluxerit ei sanguis è naribus maximè è sinistra. Et quomodo a paruo fluxu sit liberatus seu iudicatus. Postremo obseruare oportet, qua ratione facti sint tumores subtus aures. Circa primum Theophr. lib. de lassitudine circa principium docet qua ratione fiunt lassitudines ex motu, inquiens hac ratione fieri, quia motu eliquantur succi in corpore existentes, qui colliquati truduntur in articulos & flexuras. Vnde cum hoc impedimentum adest, nequaquã corpus mouere possunt. Addit ille & cum ipso Arist. propterea neq; ventrem neq; caput *sect.5.Prob.5* defatigari solere, quia non habent flexuras, aut articulos. Cum ergo hic vir varijs humoribus abūdaret & melancholicus esset, factum est, vt ex eo motu humorum facta fit colliquatio, qui detrusi in articulos primo pepererunt defatigationem. Cum autem essent melancholici & propterea graues & crassi humores, suo pondere delapsi, decubuerunt in crura & fecerunt tumores similes, ciceribus nigris. Nam Hippoc. dicere solebat impura cor- *6. Epid. sect.5* pora si exerceantur, fieri solere tumores & vlcera. Id quod habet etiam Gal. Sed Arist. *tex. 34.* etiam vbi quærens rationem, cur corpora impura, si exerceantur tuberculis, & vlcerib. im- *3. Aph. 20.* *Sect.5. Probl.* pleantur, inquit ideo fieri, quia motu, humores qui alioquin erant concreti, amari, falsi, *27.* autacres, distribuuntur, & distributi per cutim, eam exulcerant. Itaq; videre potestis quã rationabiliter huic contigerint ex labore & defatigatione tumores in cruribus. Secundo obseruandum cur Hippoc. potissimum admonuerit sudores diebus paribus esse factos? Hippoc. quotiescunq; aliquis seruatus est vel interijt diebus paribus 4. 6. 8. 10. id semper notat quia res rara est, quia idem inquit eos qui moriuntur necessario perire in dieb. men- *Lib. huius 2.* *sect 6.* sibus & annis imparibus. Vult ille hoc semper tempore homines perire; vnde fabulæ sunt *Lib.2. cap. 98* quas narrat Plin. ex Arist. homines semper perire recedente æstu maris. Sed dicet aliquis, quæ est ratio huius necessitatis? Idem inquit propterea fieri iudicationes & mortes die- *Lib.4. de morbis.* bus imparibus, quia in his fiunt humorum exacerbationes. Sed cur hæ tunc potius fiunt? Galenus hanc rem lib. de crisibus & diebus decretorijs post multum studium astris attri- *3. de crisibus* buit. Sed quia Picus Mirandulanus id refutauit optimè, neq; ego (vt liberè dicam) inue- *cap. 4. 5. 6. 7.* nio rationem huius euentus dicere soleo, non debere nos esse curiosos in hoc indagando, *Lib.3. contra* sed credere debere Hippoc. studiosissimo indagatori & obseruatori. Vtrum hic vir ante *Astrol. c. 16.* *& 17.* morbum laborauerit liene an post eum inceperit eo malo corripi, nunc explorandum. Puto ante morbum laborasse è liene. Primum quia facta illi sunt vlcera seu tumores nigri. Scribit autem Arist. lienosis vlcera & cicatrices nigras fieri. Si ergo facti hi statim fue- *Sec.9. Prob 5* runt, æquum est existimare ante laborasse è liene. Est etiam alia coniectura, quia bonus hic vir delassatus est itinere tum incaluit & febre correptus est. Scimus autem omnes eos, qui è liene laborant, magnopere defatigari, anhelare & incalescere. Vnde Plin. scribit *Lib. 11. c. 37.*

vete-

veteres solere seruis, cursibus destinatis, inurere lienes medicamentis, scilicet, vt consumpto liene, facilius possent labores ferre. Secundo propositum erat, vt videretur, qua ratione sanguis huic viro fluxerit e nare sinistra. fluxisse autem ex capite, admodum rationi consentaneum est, quia hic defatigatus erat in itinere & ipsi mirum quàm caput incaluerat. Cur verò potius ex nare sinistra fluxerit, est quoq; ratio, quia lienosus erat. A liene enim plures vapores solent in caput efferri; & præsertim in parte sinistra. Vnde fit (vt audietis in fine huius sectionis) vt lienosis semper sint dentes nigri, turpes, quia a liene mittuntur vapores turbidi, nigri, crassi, qui dentes & præsertim partem sinistram inquinant. Sed quia sanguis minimè fluxit copiosus, factum est, vt hic Moschus sit iudicatus, sed imperfectè: nam ad perfectam crisim non solum requiritur, vt euacuatio fiat die impari, sed vt sit copiosa. Vnde quia huic sanguis paulatim fluxit, facta est iudicatio imperfecta. Hanc sequuta est quædam recidiua scilicet parotides, & præsertim in aure sinistra. Causa huius fuit calefactio capitis, a qua, ipsum debile redditum fuit, vnde occasio naturæ data est humores superuacaneos in ipsum expellendi. Facta autem potius est parotis subtus aurem sinistram, quia natura assueta esset mittere sanguinem in narem sinistram. Inter aures autem & nares est mirus consensus, quò qui sternuunt, non audiunt, & qui vehementer emungit, concutit & vehementer mouet aures, vt sanè iure annotauerit Hippocr. huic post imperfectam iudicationem factam esse parotidem subtus aurem sinistram propter cōsensum. Quintum erat, cur Hippoc. adnotauit huic parotidas euanuisse citra suppurationem. Est autem hoc vtilissimum scitu. Audite. Parotides tribus modis solent finiri (vt
3. Aph. 26. habemus apud Gal.) vel enim finiuntur paulatim & insensibiliter, vel statim, vel per suppurationem. Quæ statim finiuntur perniciosissimæ sunt, & ita, vt rarissimum sit, quempiam ex ijs seruari. Et ratio est, quia vbi statim euanescunt, nec dissipatur materia nec suppuratur, & propterea necessario restagnat in cerebrum, quod cum sit viscus maximi momenti, fit vt a materia morbifica læsum, subitum his interitum inferat. Alij paulatim abolentur, idcirco, quia calor naturalis robustus materiam conclusam paulatim in halitus digerit. Atq; hic modus satis est laudabilis. Quæ vero suppurantur, idcirco id patiuntur, quia materia crassa quidem est, sed calor natiuus non ita robustus, vt possit ipsam superare. Vnde huic viro cum materia esset non ita crassa fortasse sed tenuis, poterat dissipati a natura, priusquam in pus conuerteretur. Sed cur illa Hippoc. scripsit? Quia natura semper solet, cum potest & qua potest, abscessus dissipare & hoc modo finire. Suppurationem vero facit natura, cùm dissipare non potest. Voluit itaq; Hippoc. docere huic fuisse consumptas dissipatione parotidas vt scilicet moneret naturam semper dissipare & curate sine suppuratione. Sed hic nobilis & vtilis quæstio oritur, vtrum melius sit, quod dissipet natura, an quod suppuret? Illud enim Medici interest scire, vt naturam melius operantem imitetur. Ex vna parte videtur melius esse, dissipare. Primò quia natura vbi potest, semper potius dissipat, quam suppurat. Si enim hoc melius non esset, non tentaret natura ante. Tum Gal. & omnes penè chirurgi id habent fere pro irrefutabili præcepto, vt potius dissipationi studeamus quam suppurationi. Accedit etiam quod illa suppuratione benignior est & suauior, quia vbi fit pus, fiunt dolores. Quapropter his grauissimis rationibus censenda melior est resolutio quàm suppuratio. Ex altera parte videtur contrarium
6. Epid. sect. 3 tex. 11. esse. Primum enim Hippoc. scribit, suppurationem recidiuam non facere, & affert rationem, scilicet quia a suppuratione est abscessus iudicatio & concoctio. Quia quæ suppurantur, necessum est vt in vnum locum abscedant, vbi tractata a calore natiuo in pus vertantur. Est etiam crisis, quia quæ per abscessum finiuntur, cum tutò finiantur, iure est veluti motus criticus, vt meritò Hippocrates his rationibus impulsus videatur præferre semper suppurationem resolutioni. Sed dicet aliquis. Quomodo Hippoc. dixit in sup-
Lib. 4. cap. 8. puratione esse coctionem? Nam Arist. damnat magnopere Empiricos, qui appellarunt lac, pus album hac ratione, quia fit pus per putrefactionem, quæ est coctioni contraria, si hoc ita est & pus fit per putrefactionem, quomodo ergo dixit Hippocrates in suppuratione esse coctionem? Ita dissoluendus est hic nodus pulcherrimus, suppurationem seu putre-

putrefactionem considerari posse vel secundum se totam, vel secundum partem. Si secundum se totam consideratur, caret coctione. Sed si secundum partem, necessario aliqua coctio est, quia ex putrefactione fit generatio, vis generandi fit per coctionem. Si ergo generatio fit per putrefactionem, & in omni putrefactione est generatio, sequitur secundum Arist. in omni suppuratione esse putrefactionem secundum partem. Malè ergo Arist. contra Empiricos, quia in omni suppuratione est aliqua coctio, præterquam quod veteres putrefactionem appellarunt coctionem. Videte Hippoc. libro de anatomia. Appellat ibi ventrem putrefactorium. Imò Empedocles (vt habet Arist. 4. Topic. cap. 5. & Plut. li. de causis Nat. c. 2.) appellabat vinum aquam in igne putrefactam hoc est coctam. Igitur verum est hoc Hipp. in suppuratione esse & iudicium & abscessum & putrefactionē hoc est coctionē. Alia ratio est, cur suppuratio melior sit resolutione, quia vbi materia in pus conuertitur, semper necessum est, vt in vniuersum materia tenuis consumatur, consumptis tenuioribus remanent crassiora. Postremò in suppuratione non solum aboletur vniuersa materia morbifica, sed etiam totus apparatus ad futuros morbos, vnde dicebat Hippoc. loco citato suppurationes esse sine recidiuis, quia simul materia morbifica absumitur, & omnis apparatus ad futuros morbos aboletur. Videtis ergo quam graues vtrinque sint rationes, quid ergo dicendum? Opera naturæ dupliciter considerare oportet, vel secundum facilitatem aut iucunditatem operandi vel secundum vtilitatem & fructum. Si secundum facilitatem & iucunditatem, certè multo melius est opus quod fit a natura per resolutionem. Cœterum si considerantur secundum fructum & vtilitatem, secus est, quia ita suppuratio opus naturæ vtilissimum est, & optimum. Quod sit facilior & iucundior resolutio, vsu & ratione probatur, quia videmus naturam semper prius tentare dissipationem. Natura enim semper inchoat a facilioribus, cum igitur semper incipiat a dissipatione, hæc facilior est. Alia ratio est, quia dissipatio fit insensibiliter, suppuratiò sensibiliter. Quæ insensibiliter fiunt, sine dolore fiunt, quæ sensibiliter cum dolore. Ita ratione facilitatis & iucunditatis resolutio, ratione fructus suppuratio est melior. Habetis ergo huic factas parotidas sine suppuratione, & docetur hoc loco Medicus, semper prius dissipandum quam suppurandum, nec tamen fidendum, quia minus vtilis est quam suppuratio. Sed quid huic ægro erat faciendum? Primo cum vidissem virum fuisse melancholicum & lienosum, à què liene & melancholico humore omnia symptomata oriri, omne studium conuertissem in consumendum humorem melancholicum, & lienem emolliendum. Propterea lenita primum aluo vel clystere vel alio medicamento, statim cogitassem de sangui ne mittendo, & eò maximè, quia natura ipsa cum expelleret sanguinem per nares docebat ipsam esse oneratam sanguine & propterea egère venæ sectione misissem hunc secta vena cubiti sinistri vel ab hæmorrhoidalibus venis, vt impetus materiæ quæ ferebatur ad caput, tetunderetur & auocaretur ad inferna. Post curassem præparari humores melancholicos decocto fumiterræ, lupulorum, melissæ & alijs, quæ præparare solent melancholicos humores. Deinde tentassem expurgare eos ipsos vel diluto veratri nigri, vel pillulis de fumaria, vel infuso senæ & polipodij vel similibus. Facta totius corporis vacuatione, lienem illinissem oleo amygdal. dulc. vel ammionaco aceto dissol. & eodem ol. commixto. apparentibus parotidibus, tentassem locum illum magis relaxare & dissipare materiam in quo genere anteponitur Gal. butyrum vel oleum amygdalarum dulcium. Sequitur alia historia non admodum dissimilis.

Ο παρ' Ἀλκιβιάδεω ἐλθὼν, ἐκ πυρετῶν ὀλίγων πρὸ κρίσιος, ὄρχις ἀριστερὸς ᾤδησεν. ἦν δὲ σπλῆνα μέγαν ἔχων. καὶ δὴ τότε ἐκρίθη ὁ πυρετὸς, εἰκοσταῖος. κἄπειτα ὑπεχλιαίνετο ἄλλοτε καὶ ἄλλοτε, καὶ ἔπτυεν ὑπανθηρόν.

Qui ab Alcibiade venerat ex febribus modicis ante iudicationem tumidum habuit sinistrum testiculum. Erat autem & splenem habens magnum. Et certe tunc iudicata fuit febris vigesimo die, & deinde subincalescebat subinde, & spuebat subfloridum.

Hæc omnia planissima sunt, vt solummodo duo indigeant aliqua speculatione. Vnum est cur huic homini intumuerit sinister testiculus. Secundum est cur dixerit ei factam tussim & screatum floridum. Primò humor melancholicus (nam lienosus erat) ebulliens circa lienem, fecit continuam febrem subministratis semper vaporibus ad cor. Exiguam, quia humor melancholicus erat frigidus & siccus. Hunc enim facere exiguas febres omnibus spectatum est, imò videbitis melancholicos nunquã febrire, vt verè definierit Gal. melancholiam esse delirium sine febre. Sinister ei testis intumuit, quia in itinere forsan
4. Aph. 33. attritus fuit, vel quia ante habebat testem illum imbecillum. Est enim Hippoc. sententia vbi ante morbum pars aliqua imbecilla est, semper in eam deponi a natura excrementum. Accessit etiam alia ratio, quia è liene laborabat. Secundo propositum erat cur Hipp. dicat huic tussim contigisse & screatum humoris floridi, & tumoris testiculi non meminit. Ratio non admodum obscura, consentaneum enim rationi est tumorem testium ex toto desijsse, propterea quod facta est tussis & sputum floridum. Audiuistis enim Hippoc. non semel dixisse tumorem testium superueniente tussi solui, eò quod maxima sit cognatio & consensus inter testes seu genitales partes & spiritales. Et quanquam fuit iudicatus non tamen fuit integrè iudicatus, quia materia minimè consumpta est sed translata a loco ad locum. Quia hæc materia tenuis erat & forsan sicca, hinc factum est vt a pauco humore febris exigua orta fuerit. Sed quomodo in melancholico potuit fieri hæc screatio flori-
9. sect. Prob. 5 da? Duabus rationibus, vna est, quia sanguis melancholicus est aquosus, vt scribit Arist. Succus ater mixtus sanguini facit quendam splendorem, & consequenter quendam velut florem. Nam (vt Gal. sæpissime testantur) Hippoc. solet florida sputa appellare ea quæ sunt sanguinea, vt cum in hoc viro sanguis sit transmissus a testibus in pectus, & pituita mixta sit, factum est, vt fuerit sputum floridum seu subcruentum. Hic casus cum sit similis superiori, si mihi propositus fuisset. non alia ratione curassem, quam superiorem. Illud tantum esset cogitandum in præsenti casu an sanguis mittendus fuisset potius a brachio, an a pede. Nam si spectemus affectum lienis, sanguis mittendus erat a brachio si-
10. de sang. miss. nistro. Sed quia Gal. scribit, vbi partes affectæ sunt infra renes, inferna parte mittendum esse sanguinem. Ego præsente plenitudine totius, misissem sanguinem a vena com-
13. met. c. 11. muni brachij sinistri, dein a vena pedis sinistri. Aut si non fuisset plenitudo & tumor inflammatorius fuisset, a pede, idq; ea mensura, quam vires postulassent.

Ἡ χεὶρ ἡ δεξιὴ, σκέλος δὲ ἀριστερὸν ἐκ τῶν βηχωδέων βραχὺ οὐκ ἄξιον λόγου βηξάσι, παρελύθη παραπληγικῶς: ἄλλο δὲ οὐδὲν ἠλλοιώθη, οὔτε πρόσωπον, οὔτε γνώμην. οὐ μὴν ἰσχυρῶς ταύτῃ. ἐπὶ τὸ βέλτιον ἤρξατο χωρέειν, περὶ εἰκοστὴν ἡμέρην: σχεδὸν ἐγένετο εἰ περὶ γυναικείων καταῤῥῆξιν, καὶ ἴσως τότε πρῶτα γινόμενα: παρθένος γὰρ ἦν.

Cui manus dextra, crus autem sinistrum ex tussiculosis affectibus parum haud mentione dignum expuenti resoluta sunt paraplectico modo illa alio nihil alterata est neq; facie, neq; mente nec certe vehementer illis. In melius cæpit ire circa vigesimum diem, forteq; contigit circa menstruorum eruptionem & forsan tunc primum facta sunt menstrua virgo enim erat.

Præsens hist. Hipp. plurimas & vtiliss. cõtẽplationes habet, quas, antequã aggrediamur, scire

ſcire oportet quæ dicit Hipp. initio de morb. mulier. ſcilicet cauſam morborum mulierum ſemper aliquid diuini habere, vt iure merito aliquid arcanum in præſenti caſu latere exiſtimandum ſit. Vtrum vero huic iuuenculæ tum primum fluxerint menſes an alias, & eo tempore fuerint cohibiti, non admodum refert ſcire, quia ſiue non incipiant, cum debent ſiue ſupprimantur, ſemper debent corpora nutriri. Nec ſolent mulieres habere certa tempora principij menſtruorum, quia interdum 12. interdum 13. plerunq; tamen 14. anno inchoant, vt Ariſt. & alibi habet, & propterea dixit hanc fuiſſe circiter 14. annum, quia Hippoc. ſi dubitauit an tunc primùm cœperint fluere menſes, certiſſimum eſt Hippoc. habuiſſe eam pro adoleſcentula, vt aut 14. tranſierit, aut quaſi. Iam ſupereſt vt tria diſcutiamus. Primum erit, quomodo hæc iuuencula facta fuerit apoplectica, & dein ſit reſoluta: ſiquidem, vt habet Hippocrat. huiuſmodi morbi non ſint huic ætati familiares, ſed potius ſeneƈtuti, aut ætati conſiſtenti. Secundo videndum, cur in hac adoleſcentula ſolum læſa eſt manus dextra, & crus ſiniſtrum aliaque illæſa manſerint. Annotauit vnà de facie & mente, quod non ſint læſæ. Poſtremò, qua ratione hic dubitet de menſibus fluentibus, & de virginitate aſſerat, cum tamen medici multo illuſtriora habeant ſigna menſtruorum quam virginitatis. Quod ad primum, certiſſimum eſt maximam eſſe communionem mammarum & vteri, & vbi in vtero ſit maxima commotio, ſit quoq; in ipſis mammis. Vnde quamprimum incipiunt fluere menſes, mammæ ſtatim augentur, vt dicit Ariſt. Scribit enim, vbi menſes incipiunt fluere duob. digitis augeri mammas, & hanc affectionem (vt dicit Ariſt.) ſratrare veteres appellabant & ſororiare, & mammæ dicebantur ſororiantes. Ergo a ratione non eſt alienum, quod in hac, cum fluere debebant menſes, & facta eſt ingens commotio in mammis, pectus vnà ſit commotum, vnde tuſſis. Ex tuſſi dein & magna ea commotione factum, vt tentata ſit leui apoplexia, a qua non aliter liberata eſt, quam omnes ſolent. Scilicet liberata eſt paralyſi manus dextræ, & cruris ſiniſtri. Curatum in his partibus ſit potiſſimum reſoluta, ratio eſt, quod facultas expultrix capitis, cum admodum robuſta eſſet, partem materiæ depulit ad primam & ſecundam vertebram dextræ partis, vbi craſſefactis ijs neruis impedita eſt illuſtratio brachij dextri, ita vt non potuerit facultas motrix pertranſire ad brachium dextrum, & propterea reſolutum eſt. Alia autem portio materiæ depulſa ad os ſacrum circa partem ſiniſtram, ibi quoque fixa originem neruorum obſtruxit, ſeu craſſefecit, itaut in crus ſiniſtrum peruenire potuerit propagatio facultatis. Atq; hinc apoplexia & reſolutio. Quomodo autem omnia propter menſtrua retenta oborta ſint, curatio indicat, quia ſtatim liberata eſt ſimulatq; cœperunt fluere menſes. Sed cur Hippocr. meminit tantum faciei & mentis, quod non ſint læſæ, non aliarum? Mira ſunt morborum genera, vt habetis apud Hippocratem lib. de morb. virg. quando primum incipiunt erumpere menſes, quia cum menſes ſemper moueantur ex toto corporis ambitu, vbi hæc commotio inchoat, ingens efficitur totius corporis perturbatio. Sed potiſſimum ſolent turbari mulieres ſecundum faciem & mentem. Circa faciem, quia oculi liuent, ora pallent. Et præ cæteris mens valde turbatur, & ita vt dicat eo loci interdum virgines adeo turbari, vt propter terrorem & delirium ſeipſas ſtrangulent, & Tertul. in lib. de anima dicere ſolebat paralyſi prodigere mentem. Cum itaque potiſſimum his temporibus ſolent in virginibus lædi & mens & facies, magno iudicio voluit hic obſeruari non eſſe læſa, quæ præcipuè lædi ſolebant, faciem & mentem. Tertium erat, cur Hippocrates dubitet an tunc primum menſes cœperint erumpere, aſſerat vero ipſam fuiſſe virginem, cum hoc incertum ſit illud oculis & dolore facilè cognoſcatur. Puto ego non dubitaſſe, an tunc fluerent, ſed an tunc fluere cœperint. Sed non poterat Hippocrates interrogare eam & ſic intelligere? In libro de morbis muliebribus dicit Medicum ſemper debere diligenter percontari mulierem, quia ob pudorem vetetur ſua aperire, præſertim de menſtruis. Interrogauit ille, ſed non reſpondit illa præ pudore; tum illa ignorauit, quia inaſſuetæ non ſciunt quando incipiant fluere. Ita iure dixit ſe ignorare an tunc primum cœperint. Sed quemadmodum quo tempore viri & mulieres emittunt ſemen, ſolent ab Epilepſia liberari, ita mulier menſibus fluentibus,

7. de Hiſt. ani mal. cap. 1.

3. Aphor. 31.

7. de Hiſt. ani mal. cap. 1. & 2.

a multis malis, sic ego iudicassem tum primum ei fluxisse menstrua, quia liberauerunt a paralysi etsi non ex toto, saltem profuerunt. Sed quid de virginitate dicemus? Hippoc. fuit diligentissimus in percontandis mulieribus, quo æquum est existimare eum sedulò rogasse. Sed quia virginitatem libenter prędicant, rationi consonum est ita dixisse illam. Sed forsan alia signa illius habuit. Diogenes Laertius in vita Democriti narrat hunc aliquando salutasse quandam virginem, postridie verò mulierem, quia cognouit vitiatam. Hic fuit discipulus Crysippi præceptor Hippoc. Fieri potest idem sciuisse Hippoc. Nam inuenio olim in vsu fuisse ad conoscendam deflorationem virginum, vt circundarent collo filum, ex quo sciebant, si cum viro concumberent. Documentum tale habetur, vbi virgines aliquo graui morbo laborant, si sint in ætate, nihil melius est quam vt accellerentur menses, & si in initio vocatus fuissem, statim frictionibus, cucurbitulis & medicamentis per os sumptis studuissem menses prouocare, & putassem ita melius & citius liberatam fore.

Ἀπήμαντος, καὶ ὁ τοῦ τέκτονος πατὴρ τοῦ τὴν κεφαλὴν κατεαγέντος, καὶ Νικόστρατος οὐκ ἐξέβησσον, ἦν δὲ ἑτέρωθι κατὰ νεφροὺς ἀλγήματα ἐρωτήματα: ἔφασαν γὰρ αὐτὴν ἀεὶ πληροῦσθαι ποτοῦ, ἢ σίτου.

Apæmantus, & fabri pater eius qui caput fregit, & Nicostratus non extussierunt: erant autem alibi secundum renes dolores, interrogationes, dicebant enim ipsi semper repleri potu aut cibo.

In prȩsenti historia tres casus proponit. Forsan factum vetustate temporum, vt hæ historiæ ita laceræ & mutilæ ad manus nostras peruenerint. fieri etiam potest, vt Hipp. ita scripserit, eo quod nihil aliud dignum memoria haberet, & reliqua ipse memoria teneret. Sed vtcunq; sit, tres sunt casus. Proponit Hipp. quæ omnib. cõmunia contigere, fuere autem hęc partim symptomata, partim causę externæ. Symptomata, vt cum laborarent tussi, nihil tamen pertussim reijcerent. Aliud quod hi oẽs laborarent dolorib. circa renes. Causæ externæ fuerunt, qđ tres hi interrogati responderunt semper repletos esse se cibo & potu. Vt autem more nostro non nihil circa has historias discurramus, illud primum intelligere oportet, hos necessario laborasse morbis humoralibus. Hipp. scribit eos qui parum edunt & bibunt non tentari morbo humorali. Igitur qui multum eduut & bibunt, necessario morbis humoralibus tentantur. Inquirendum igitur qui fuerint hi humores Voraces & bibaces sæpe solent abundare humoribus crudis & pituitosis. Itaq; his eos laborasse credendum est. Hoc etiam alia monstrant, quæ illis necessario contigerunt. Siquidem habuerunt tussim siccam & dolores circa renes. Tussis sicca facta fuit in ipsis, quod crudi humores minimè per tussim expelli potuerint. Eadem ratione facti sunt dolores renales, quia vbi corpora abundant crudis succis, magna pars rapitur in iecur, dein in renes, vbi crassefacti tepore loci, lapides euadunt, & si non crassescunt, copia ita distendunt, vt dolores & grauitates inducant, & semper notabitis voraces & bibaces tentari aliquo affectu circa renes. Documentum hoc optimum ex his elicitur, corpora robustissima nunquam tentari morbis, nisi maximè excedant in victu. Hos robustissimos fuisse censeo, quia erant fabri & è plebe, quo æquum erat, cum essent robustissimi propter beneficium naturę & alia, immunes fuisse a morbis, sed cum delinquerent in victu, æquum fuit etiam tentari morbis. Scribit enim Gal. de cibis boni & mali succi inordinato victu etiam robustissimos se euertere; & optimè temperatos, si quando tentantur morbis, magnum illis esse dedecus, quia morbi ipsis non contingunt nisi ob errorem. Errores ergo in causa erant & maximè quia Hippocates scribit, dixisse eos se, semper repletos esse potu & cibo. Robustissima corpora, etiamsi errent semel, bis, vigesies, imò centies, solent bonitate naturæ omnes errores vincere; sed si semper in erroribus versentur, non est fidendum robori, quia etiam robustissima corpora continuis erroribus atteruntur. Duo ergo documenta sunt.

Li. 4. de morbis.

Vnum,

Vnum, vt ſemper, quando vobis ægri robuſti offeruntur, diligenter interrogetis de erroribus vitæ, vt Hipp. fecit. Aliud eſt, vt ſemper præcipiatur ægris recta victus ratio, quia (vt Celſus docet) optimum omnium eſt temperantia vitæ, quod forſan etiam voluit dicere Hippoc. lib. de morb. inquiens optimum medicamentum in alimento.

Ὀδύνας τὰς ἰσχυροτάτας, ὅτῳ τρόπῳ διαγνοίη ἄν τις ἰδών, φόβος, αἱ εὐφορίαι, καὶ ἐμπειρίαι, καὶ αἱ δειλίαι.

Dolores vehementisſimos quomodo quis cognoſcat videns, timor, tolerantia, experientia, ignauia.

Dixi Hippoc. hoc libro interdum commiſcere etiam aliqua præcepta, vel quod ex ipſis ea colligeret hiſtorijs, vel quia prout obſeruabat, ita annotabat in ſuis aduerſarijs. Primum eſt hoc, quomodo Medicus debeat cognoſcere dolores ægrorum. Sed percontabitur ſtatim aliquis, cur Hippoc. voluit docere, quomodo Medicus debeat cognoſcere dolores, nam primùm hoc videtur ſuperuacaneum, nam ægri ipſi fatentur dolores. Præterea inter ea quæ maximè faciunt ad æſtimationem Medico comparandam illud eſt, quod nunquam ſinat ſe decipi. Non deſunt, qui eos fallere ſtudent propter animi impudentiam, & tanti hoc refert vt Gal. librum ſcripſerit, quomodo depræhendi debeat æger ſimulans ſe ægrotare, Et ſi vllum eſt ingenium, quo ægri eos poſſint decipere, eſt dolor, quia cum hic ſit paſſio ſolius tactus, non poteſt hæc percipi niſi ab ipſis ægris. Vnde ſi in vlla alia re in hac ſanè in primis debet eſſe exercitatus Medicus, vt ſciat, quando ægri dolent, quando non. Et ſciatis illud vobis occurſurum ſæpe, vt dicant ſe dolere & non doleant, & hoc facere ſolent pueri, iuuenes, mulieres. Imò non ſolum hoc debet interrogare, ſed etiam quando vehementiſſime doleant, id quod eò magis debet ſtudere Medicus vt teneat, quia ex relatu ægrorum difficile eſt hoc cognoſcere, quia ſunt aliqui, qui cum vel leuiſſimo aliquo dolore affligantur, mirum in modum queruli ſunt, vt pueri, mulieres, alij vel grauiſſimos dolores non ſentiunt, vt Ariſt. narrat ἀναλγήτους eos appellans; quia ob duritiem temperamenti vix ſentiant dolores. Rectè ergo docet quomodo debeat cognoſcere dolores Medicus, atq; quatuor proponit quibus hoc ſciat, timorem, tolerantiam, experientiam, ignauiam. Sed cur hæc quatuor tantùm refert? Puto ego hæc duntaxat proponere, quia cuncta ferè ſub his complectitur aut alia his æquipollent. Ex timore poſſumus conijcere vehementer dolere ægros, ita. Ariſt. de timore loquens definiebat ipſum eſſe perturbationem quandam ex imaginatione futuri mali vel corruptilis vel ſaltem moleſti. Ratio ergo cur timeant, qui dolent, eſt, quia ſicut perturbantur corpora, ita anima, ex qua perturbatione ſequitur imaginatio mali. Vnde ſatis manifeſtum ad omnes dolores ſibi timere, quia non ſolum imaginantur malum futurum, ſed habent præſens. Itaq; ſi quando quis vobis dicat ſe dolere, videndum nun timeat, & quando ipſum videbitis verè timere, credere poteſtis vehementer dolere. Secundus modus cognoſcendi eſt a tolerantia. Auic. dicere ſolebat ex ijs quæ maximè proſternunt naturam eſſe dolorem, & iure, quia cum tota vis animalis poſita ſit in ſenſu tactus, & in dolore ſenſus tactus afficiatur, ſit, vt vbi ſunt dolores, inſigniter vires lædantur. Vbi ergo videbitis ægros bene ſe habere atq; tolerare dolores, putandum, eos nullo pacto torqueri vehementi dolore. Tolerantiam cognoſcere poſſumus primo expulſib. hi enim in vehementiſſimis dolorib. vt Gal. ait ſemper languidi ſunt & obſcuri. Tum ex aſpectu, quia qui non poſſunt ferre dolores ob vehementiam palleſcunt, contabeſcunt & extenuantur. Et videbitis eos qui vehementiſſimis dolorib. cappiuntur, vna nocte ita mutatos, vt videantur mortuis ſimiles. Tertiũ eſt experientia. Hæc poteſt hoc loco dupliciter concipi, vel habito reſpectu ad ægros, vel ad ipſos medicos. Ad ægros ſi aliàs expertus fuit ſimiles & acerbiſſimos dolores, credet facile ei Medicus. Ex parte quoq; medici huiuſmodi experientia comparatur, quia Medicus ſagax & ſolers, qui in dolorib. cognoſcendis & in ſeipſo & alijs ſolet eſſe verſatiſſimus, facilè, ſi inter roget ægros, intelliget an doleant. Verbi gratia, Medicus expertus dolores podagricos, nephri-

4. Ethic.

2. Reth. cap. 5

1. 1. 2. cap. de dolore.

De cau. pulſ.

nephriticos ita ex se obseruare potuit, vt in alijs fecilè cognoscat. Et hoc vult Plato de legibus eos optimos esse medicos inquiens, qui experti sunt omne genu doloris, qui sunt
2. Rhet. valetudinarij, qui perpetuò inter ægros versantur. Postremò ponit Hippoc. inter hos modos δειλιάς, ignauias nonnulli transferunt. De hoc affectu loquens Arist. dicebat contrariam esse δειλίαν fortitudini, ita vt hæc est viuacitas quædam in rebus agendis, ita ignauia est quædam imbecillitas & impotentia ad res obeundas. Ex hac ergo etiam cognoscetis an verè doleant ægri, quia possunt quidem homines, vbi mediocri dolore vexantur in rebus agendis gnauiter versari, sed vbi vehementissimè torquentur, nō solum homines sunt ignaui, verum etiam bruta; ita vt illi qui curam gerunt brutorum, non aliter sciunt ea malè habere nisi ex ignauia. Adeo vt vos si dicunt se vehementer dolere, debeatis inuestigare an alacriter edant consuetas actiones. Nam si hoc agunt decipere volunt. At si pigri sunt, verisimile est eos vehementer dolere.

Ὕδωρ τὸ ταχέως θερμαινόμενον, καὶ ταχέως ψυχόμενον, αἰεὶ κουφότερον.

Aqua quæ cito calefit, & cito frigescit, semper leuor est.

Hanc sententiam cum superioribus non connecti, satis est manifestum, veruntamen & ipsa verissima est & ad medicinam faciendam vtilissima. Hoc ex eo probatur, primò quod ab Hipp. repetitur tum maximè lib. de aere, aq. Vnde, cum dicat Gal. quotiescunq;
5. Aph. 26 repetit alipuid, semper esse memoria dignum, hæc sine dubio talis erit. Alia ratio, quia tractat de aqua, cuius tanta est commoditas in vita humana, vt nonnulli dixerint esse principium omnium rerum. Et Vitruuius dicebat aquam maximè necessariam, tum ob vitam,
Lib. 8. cap. 4. Sect. 1. Probl. 14. tum ob delectationem, tum ob quotidianos vsus. Et Aristot. quærens cur aquæ mutatio tanti referat? scribit ideo esse, quia aqua pene in omni vita vtimur, & pro potu & pro coquendis & condiendis edulijs. Iure ergo Hippoc. inter cæteros memoriæ nostræ thesauros hoc voluit docere, quæ sit bona aqua, & quomodo dignoscenda. Dicit eam bonam esse quæ sit leuis. Sed quæstione dignum est, quomodo Hippoc. præsupponat aquam bonam esse leuem, & cur sit, quod cum aqua optima multas alias bonas conditiones habeat, solius tamen leuitatis meminerit? Ad primum dico rectè id facere quia cum breuitatis amantissimus sit, non debet vulgatissima & omnibus nota docere. Nemo enim ignorat aquam leuem esse quę bona est, & contra. Hanc verò potius quàm aliam vllam qualitatem posuit, etsi optimè sciamus aquam claram esse sine odore sine sapore, nō sine acerrimo iudicio, quia aqua optima dici debet, quæ pura & ab omni qualitate & substantia peregrina est. Siquidem vbi pura & impermixta est, non alias quam ipsius aquæ qualitates habet. Vbi quidpiam alienum admiscetur, necesse est alienas qualitates adipiscatur. Iam verò quid est quod magis docere possit puritatem aquæ, quam leuitas? Nihil, siquidem ex leuitate intelligirur ipsius substātię tenuitas, ex tenuitate puritas, adeo vt omnis aqua, quantò leuior est, tanto sit purior & è contra. Quanto autem purior tanto melior. Quod ita esse ex eo est manifestum, quod vbi aliquid peregrinum ei admiscetur; semper necessarìo crassior redditur, vt ita impurior sit & propterea deterior: sicuti contra vbi tenuis est & impermixta vlli alij materiæ semper leuior, melior. Quæritur qua ratione ea leuitas in aqua possit deprehēndi? Aliqui arbitrati sunt non aliter cognosci posse melius quam pon
Lib. 31. cap. 3. dere & mensura. Sed contra hanc sententiam fuit Plin. dicens vanum esse huiusmodi iudicium, quia aquæ omnes sunt semper eiusdem ponderis. Sed hæc sententia non videtur
Lib. 2. cap. 17 ab omnib. probata. Siquidem Cels. ex sententia Hipp. ponit iudiciū leuitatis aquæ etiam ex pondere esse ferendum. Neq; valet, quod omnes ferè aquæ sint eiusdem ponderis,
3. quæst. tom. 2 lib. 2. quia Seneca & Athen. docuerunt manifestissimè etiam varietatem esse ponderis in omni genere aquarum. Alij existimarunt huiusmodi iudicium potius ferendum esse ab affectib. adeo vt ea semper sit habenda melior, quæ effectus leuitatis profert, hoc est quę magis clara est & minus permanet in intestinis. Sed verus & irrefutabilis modus est, qui ab Hipp.

hic

hic proponitur, nempe eam aquam esse leuiorem, quæ cito calefit, citoq; frigefit. Nam cum nuper dixerimus bonitatem aquæ in eo potissimum esse collocatam, vt sit leuissima, nullo alio hoc argumento cognoscitur, quam si cito calefiat & refrigeretur. Ratio est quia huiusmodi aqua non ob aliud hoc habet quàm quod tenuis est, & consequenter adeo temperata, vt facilè a quouis alteretur. Neq; enim existimandum est Hippoc. voluisse tantum debere aquam bonam citò calefieri & refrigerari, sed voluit nos docere, vno hoc exemplo calefactionis & refrigerationis, quia alteratio horum corporum maximè cognoscitur ex alteratione primarum qualitatum. Est ergo Hippoc. sententia aquam optimam esse, quæ citò alteratur. Citò autem alteratur, quæ & substantia & qualitate temperata est, & facilè contrarias omnes qualitates suscipit. Sicut autem dicebat Arist. corpora σύμμετρα facilè tentari morbis, quia posita in medio sunt omnibus contrarijs exposita: sic ea aqua leuior & melior est, quæ facile mutatur & alteratur. Sed cum varia sint aquarum genera, meritò dubitare quis potest, vnde petenda sit aqua, num a fonte, an a flumine, an a puteis. Hac in re diuersæ fuerunt omnino scriptorum senteritiæ. Atiqui laudarunt aquam fluminum, quia dicebant omnia flumina fluxu & motu attenuari, alij fontium. Sunt qui damnent aquas fluuiales, vt Aetius, qui omnes fluuiales aquas malas esse dicebat præterquam niuis, quam consueuerunt reges Ægyptij ob illius bonitatem semper secum ferre. Sed verior sententia ea est, quam Hipp. scriptam reliquit in lib. de aer. aq. vbi aquam pluuialem bonitate cunctis alijs anteponendam esse censet. Et Plut. propterea arbores melius nutriri & conseruari aqua pluuiali quam alijs scribit. Præter cæteras rationes hanc adfert, aquã illam generari ex parte subtiliori omnium aquarum, a quibus vapores tenues & subtiliores in regionem aeris secundam sublati in aquam conuertuntur. Neq; valet quod pleriq; dicunt, hanc esse deteriorem, quia diutius conseruatur & propterea non facilè alteratur. Quia quod conseruatur aqua, non prohibet quin etiam facilè alteretur. Nam etsi huiusmodi aqua non facilè alteratur ad malum, facilè tamen altetatur ad bonum. Itaq; & rationem & Hippoc. videntur sequuti omnes illi, qui aquam cisternarum omnibus alijs prętulerunt. siquidem aqua illa tota est pluuialis. Sed tum in colligenda, tum in conseruanda hac aqua summo studio opus est, quia nisi in locis mundis & puris colligatur, nisi conseruetur ab omnibus inquinamentis, nisi etiam assiduè tractetur & moueatur, facilè fit vt conclusa exuat bonitatem omnem & contrahat prauam qualitatẽ. Sed si huius notæ aqua interdum destituatur Medicus, quid faciet? Vnicum refugium est, vt aqua semper decoquatur, sic enim fit leuis, tenuis, & quemadmodum scribit Arist. huiusmodi aqua decocta citius alteratur, quia citius frigefit. Dicebat enim ibi Arist. medicos vbi volunt aquam refrigerate eamipsam coquere. vt propter hoc Nero primus forsan inter Romanos Principes ad magis refrigerandam semper voluerit ipsam decoqui, ita vt decoctum Neronis a Galeno & Romæ fuerit semper celebratum. Neq; valet quod nonnulli damnant, quod sincerior pars euolat subtiliorq; & remanet crassior. Hoc enim minimè verum est, etsi fit quidem vt partes subtiliores & crassiores separentur. Propterea qui diligentes sunt, debent semper curare vt aqua cocta paulisper seponatur, donec crassior pars petat fundum, & tunc summa pars & media trahatur in vsum, ima vero relinquatur. Ita aqua cocta semper tenuis est, & ita fit vt vnà refrigeretur. Quare vtile erit nobis semper ante omnia explorare aquæ bonitatem, & meminisse illius quod faciebant veteres, vt habemus apud Vitruuiũ qui vbi volebant exædificare vrbem aquas locorum examinabant ex incisione hostiarum, quarum viscera si erant corrupta etiam aquas existimabant corruptas, & non ædificandam vrbem eo loci. Si hoc faciebant veteres pro salubritate loci & vt bis, multò magis hoc medico faciendum, cui vita salusq; hominum commissa est.

[Margin notes: 5. Prob. 22. — Quæst. nat. 2. — 1. meteor. cap. de pluuia. — Lib. 1. cap. 4.]

Τὰ βρώματα καὶ τὰ πόματα πείρης δεῖ, εἰ ἐπὶ τὸ ἴσον μένει.

Cibi & potus experientia opus habent, si ad æqualitatem manent.

Clarissimus est contextus cum superiori, quia ibi docet Medicum cognoscere bonitatem
aquæ, nunc docet quomodo ea sit exploranda victus ratio, quæ consistit in cibo & potu.
Lib. de arte. Vtilissima hæc sunt, quia pertinent ad Diæteticen medicinæ partem, quæ pars omnium
prima inuenta est, vt ait Hippocr. Siquidem vbi gens rudis erat in morbis, ignara quid
agendum, conuertebatur ad contrarium victum. Sed vtilissima est huius generis doctrina,
quod vt habetis lib. de affect. omnes morbi fiunt ab humoribus, imò inquit omnes fieri
vel a bile vel pituita. Humores autem non ex alio fiunt quam a cibo & potu. Quare discere
doctrinam cibi, & potus nihil aliud est, quam discere causam & originem omnium
morborum, quandoquidem omnes morbi fiunt ex humoribus. Et sententia illa quam
3. de fracturis tex. 34. Hippoc. scribit Omnem morbum esse vlcus, non alia ratione potest vera esse, quia ex ipsa
Hippoc. disciplina omnes morbi fiunt ab humoribus. Dixit ergo Hippoc. cibos & potus
egere experientia, si ad æqualitatem maneant. Quorum verborum vt alta mysteria
possitis penetrare, tria sunt notanda. Illud primum est, quod habet Gal. 1. lib. de sanitate
tuenda veram substantiam corporis nostri comparari semper a natiuitate, ita vt postquam
homo ortus sit, non possit amplius acquirere substantiam illam vitalem. fabulæ
sunt quas dicunt nonnulli posse medicamentis augeri substantiam corporis nostri & calorem
natiuum, fabulæ, inquam sunt. Quia simul atq; nati fumus eam substantiam habemus,
quam habere possumus, quanquam hæc non possit augeri, potest tamen minui, &
aboleri. Quia non solum internus calor ipsam quotidie depopulatur sed etiam ambiens
calor scilicet externus. Vnde nisi cibis, & potib. sustentetur, facilè ruit. Quamobrem ad
sustentandam quotidie effluentem substantiam nostram oportet quotidie cibum & potum
sumamus. Hi enim faciunt vt hęc substantia conseruetur, & æqualitate perduret.
Aliud notandum est rationem ciborum, & potuum in eo potissimum esse collocatam,
vt intelligatur qui cibi conueniant, quando, quomodo & quantum. Tertium annotandum
est, consuetam esse Hippocratis phrasin vt vtatur patiente pro agente seu passiuo proagente.
Exempli gratia scribit Hippocr. Epid. 6. sec. 5. tex. 21. Cibos debiles esse breuis vitæ. His
verbis vult dicere Hippoc. eos cibos qui sunt debilis substantiæ facere breuem vitam. Pa-
Sect. 4. tex. 20 riter eodem libro scribit, vigilia edax, aqua edax. Quid vult ea phrasi? nihil aliud, quam
vigilias facere homines edaces. His hunc in modum intellectis videre potestis quã pulchra
quamque vtilis sit hæc Hippoc. sententia, scilicet cibos, & potus egere experientia, vtrum
permaneant in æqualitate hoc est vtrum permanere faciant corpora nostra in æqualitate.
Nam si cibi & potus nihil aliud faciunt, quam vt substantiam corporis nostri conseruent,
ne labatur, cum augeri non possit, totum studium Medici debet eo dirigi, vt conseruentur
corpora nostra. Sed quomodo scribit hoc cognosco experientia? Nam si hoc verum est,
sequeretur superuacaneos esse omnes libros qui docent methodum circa cibos & potus.
Quia si vniuersus fructus ciborum & potuum metiendus est experientia, nihil valent, quæ
Hipp. dixit de diæta, nihil quæ Gal. Hipp. non dicit sola experientia cibos & potus iudicandos,
sed dicit experiẽtia, quasi necessaria quidẽ sit methodus vniuersalis, sed nihil valet nisi
experiẽtia accedat. Sed quid valet experientia hac in re? Plurimũ, quia proprietates hominũ,
quas Gal. appellat ἰδιοκρασίας vsq; adeo validæ sunt & tanti momenti, vt nisi Medicus
has cognoscat, exitialissimos errores cõmittat, & hoc verũ esse primũ est testatus elegãtiss.
Cornelius Cels. vbi scribit, vtrum quis vti debeat vel calida vel frigida aqua, credendum
Lib 4. cap. 19 cap 1. esse experimentis in seipso. Et quod ille de aqua dixit, idem de omnibus alijs est creden-
1. de alim fac dum. Nam Gal. dum doceret, quanti referret huiusmodi proprietates temperamentorum
cognoscere, dixit alios facilius concoquere carnes bubulas, alios contra. Lib. 6. Epi-
Sect. 5. tex. 14 dem. scribit alios delectari cibis dulcibus, vt temperatos, alios potius acidis & acerbis gaudere.

dere. Hæc clarius 4. tuendæ valet. vbi dicit acetũ & vinũ non præbenda omnib. sed haben Cap. ci.
dam rationẽ ægrorũ. Nam vt etiam scribit Sex. Empiricus sunt qui in choleram incidunt Lib. i.
ex vsu vini generosi, aliqui in deliquium animi si ieiunent; multi sunt, qui magna mole ciborum egent. In summa vsque adeo multæ sunt indiuiduorum proprietates, vt nisi a Medicis cognoscantur, sæpe committantur graues errores: Quare videtis quæ optimo cum iudicio & ratione dicat Hippocr. ad hoc vt cognoscatur an cibi & potus conseruent corpora in æqualitate, opus esse experientia, hoc est oportere cognoscere singulorum hominum proprietates, & secundum illas deinceps decernere, qui cibi conueniant, quantum & quando. Quæ præclara sententia tanti est facienda, vt nisi diligenter teneatur memoria, vix fieri possit, quin infiniti errores committantur. Et Auerroes non ignarus quanti referat hasce proprietates scire, cum eas nesciret ipse, fatetur se hac de causa nunquam fecisse medicinam, quia hæc pars cognitu est difficillima.

Ρητέον ὅτι αἵματος ῥυέντος ἐκχλοῦνται. καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα ὅτι πρὸς τὸ ὑγραίνειν καὶ ξηραίνειν καὶ θερμαίνειν καὶ ψύχειν, πολλὰ ἂν τοιαῦτα εὕροι.

Dicendum quod sanguine fluente expallescunt, & quæcunq; alia huiusmodi, quod ad humectandum, & exiccandum, & calefaciendum, & refrigerandum multa quis talia inuenerit.

Hippocrates lib. de affec. & lib. de salub. diæta hoc habet, eum qui polleat diligentia debere scire in aduersa valetudine ea quæ sibi conferant & noceant. Cui sententiæ coniungenda est præsens in qua scribit debere ægros significare semper Medicis suarum naturarum proprietatem. Gal. 3. Prorhet. bis hanc sententiam Hipp. habet, sed & sæpius alijs in locis & in comment. huius sententiæ, si modo est illius, diuersam opinionem videtur sequutus esse ab ea, quam ego puto veram esse. Vult autem Hippoc. nihil aliud docere, nisi homines pallidos fieri, vbi nimiũ sanguinis effluit. Sed quæ grauitas eius, quod iudicium est docere adeo vulgaria? quis nescit sanguine nimium fluente homines pallescere. Idcirco multo satius est dicere Hipp. nil aliud docere velle, nisi vt si quando ægri a qualibet sanguinis effusione incidant in animi deliquium & consequenter in pallorem, vt hoc debeant significare Medicis. sed cur Hipp. in docenda re vsq; adeo ampla vnico exemplo vtitur, & cur potius sanguinis effluentis quam alio? Vtitur vnico exemplo, quia semper pro more habuit vt breuitatis amantissimus, sub vno genere omnia similia complecti. idq; manifestè voluisse Hipp. de omnib. intelligere, verba argumento sunt ista. Et quæcunq; alia talia. Nam hanc regulam esse generalem primũ docuimus ex ratione viuendi, de qua cum nuper verba faceremus, audiuistis quanti refert cognoscere proprietates hominum. In aliorum remediorum vsu compertissimum etiam est, quia adeo variè se habent corpora nostra ad medicamentorum vsum, vt necessarium sit huiusmodi varietates cognoscere. Scribit Teoph. fuisse quendam pharmacopæum, qui fasciculos hellebori sumebat, & nihil pur- 9 ae ...
gebatur. Idem Sextus Empiricus habet. Sunt qui odoribus purgentur. Ego noui quen- plant.
dam, qui si sumpsisset modicum cassiæ in animi deliquiũ incideret. Iam si non cognoscantur hæ proprietates, videtis quanta mala inducantur. Propterea præcipit Hippoc. semper debere ægros significare Medicis suarum naturarum proprietates. Ideo cur potius sanguinis fluentis exemplo vtitur, quam aliorum, duæ sunt rationes. Vna est, quoniam nullum poterat notius proponi, quia status totius corporis, quod ad colorem attinet, ab vno sanguine videtur proficisci. Alia ratio fuit, quod in medicina facienda nullum est negotium, in quo errores sunt magis exitiales, quam in sanguine ipso. Nam vt, siue sanguis sit demendus, siue cohibendus, siue cõseruandus, nisi homines suas proprietates medicis declarent, fieri potest, vt vel plus vel minus vacuando, loco remedij exitium afferatur. Itaq; summo iure Hippocrates dixit debere ægrum, si sanguine fluente, quomodocunq; fiat, in animi deliquium incidat, seu pallescat, Medico hoc significare, & pariter in calefactione, refrigeratione si proprietatem vllam singularem habeat. Itaque documentum quod ex hac doctrina elicere potestis, est, vt in medicina facienda diligenter percontemini ægros

de naturarum suarum proprietatibus. Tum oportet Medicum ita se gerere, vt methodum vniuersalem semper accommodet particularibus, quandoquidem non curat medicus hominem sed hunc hominem. Et hoc est quod dicebat Arist. medicum non debere esse contentum, vt sciat helleborum purgare, sed cui, quantum & quando. Et sæpe cogitur Medicus in victu præscribendo medicamentis & sanguine mittendo contra regulas rationem habere subiectorum & ægrorum.

Τὸ ἑξηκονθήμερον ἀπόφθαρμα ἄρσεν τόκων ἐν ἐπιχέσεσιν ὑγιηρόν.

Sexaginta dierum masculi corruptio in detentionibus partus salubris.

An proposita dictio sit trunca & fragmentum alicuius historiæ, an sit aliquod commune præceptum iure dubitari potest. Gal. certè eam sententiam videtur esse sequutus vt velit esse fragmentum alicuius historiæ. Ego verò puto esse fragmentum historiæ & præce-
3. metaphis. ptum. Siquidem vt scribit Arist. præcepta artium sunt ex multis historijs, & ex præceptis fiunt artes & disciplinæ. Dicit ergo Hippoc. abortum masculum 60. dierum in partuum suppressionibus esse salutarem. Circa quæ verba duo diligenter consideranda sunt. Vnum est, quę sint abortuum tempora, alterum, quæ sint causæ abortus & præsertim de quo loqui-
tur Hippoc. Inuenio Hippoc. appellasse abortum dupliciter. Interdum vocat ἔκτρωσιν, in-
7. de hist. animal. cap 3. terdum ἔκτρωμα, interdum ἀπόφθαρμα. Arist. scribit abortum 7. dierum vocari ἔκρυσιν. La-
tini dicunt effluxionem. Post 7. dies vt 40, vocat ἔκτρωσιν. Sed, vt dicit Gal. de nominibus non est habenda ratio, modo rei ipsius natura cognoscatur. Vt igitur colligere possi-
Lib. de genit. & nat. puer. mus ex Hippoc. necnon ex Gal. præsertim hoc loco, quatuor sunt summatim tempora, quibus fiunt abortus. Primum est intra terminum septem dierum, quo tempore etsi semen coagulatum est & concretum retinet tamen formam seminis, ita vt potius γονὴ seu genitura appellanda sit, quàm verè fœtus. Aliud tempus est, quando semen iam amisit formam propriam & in quo apparent delineationes præcipuorum viscerum & iecinoris. Hoc tempus est in marib. intra 40. diem & hoc tempore incipit mereri nomen embrionis. Tertium tempus est, quando iam viscera omnia propriam formam susceperunt, ita tamen vt nondum perfectum sit vniuersum corpus. Et hoc tempus in maribus post 40. dies, in fæminis est paulò ante tertium mensem. Quartum tempus est quando iam perfectè formatum est, imo etiam sensum & motum iam adeptum, quod in maribus circa diem 60. est in fæminis circa tertium mensem. Vtrum autem omnes partes corporis simul perficiantur; an vna prius, altera posterius, & vtrum id quod in vtero est debeat meritò appellari animal, alia est disputatio, neq; huius loci, & eò maximè hic aspernanda, quia Galenus diligentissimè de hisce scripsit. Cæterum causæ abortus innumeræ sunt, tam internæ, quam externæ. Sed de causis ab Hippoc. enumeratis agamus. Nonnulli censuerunt ipsum loqui de abortu qui fit a medicamento corruptorio, quasi voluerit docere quo tempore possint fieri abortus a Medico citra vitæ discrimen. Sed nunquam potui sententiam horum virorum laudare. Siquidem bonitati & integritati Hippoc. multum detraheretur si hoc
5. Aphoris. 1. doceret, cum Hipp. ipse dicebat mulierem grauidam non esse medicamentis purgandam, ne fiat abortus & quod maximum est in iureiurando docet ne quis vnquam consulat abor-
Lib. de nat. puer. tum aut procuret. Neq; valet quod ipse referat se consuluisse saltatrici vt saltaret, vt semen efflueret, quia hoc quidem aliquando fieri potest sine vitæ discrimine; sed prouocare abortum maximi est periculi, hominisq; nefarij. Et scire debetis, quod habet Arist. 7. Polit. 16. apud veteres illicitum fuisse conceptus animatos interficere, sed interimere licebat antequam animarentur; vt forsan hac ratione excusari possit Hippoc. nempe ipsum consuluisse, priusquam animaretur fætus. Iam vetitum est & præsertim apud Christianos, ne vnquã procuretur abortus, etiã inanimati conceptus. Vnde Tertul. dicebat festinatio
In Apolog. homicidij est prohibere nõ nasci. Non loquitur ergo Hipp. de abortu qui fit medicamẽto, sed qui fit a causa interna nec admodũ violenta, quasi sapientiss. senex experientia obser-

nauerit

dixerit abortum 60. dierum conceptus masculi in suppressionibus esse salutarem, hoc est non adferre detrimentum. Sed vt hæc sententia clarior euadat, duo sunt consideranda. Vnum est, quid significent apud Hippoc. suppressiones partuum. Alterum est, cur Hipp. dixerit abortum masculum & 60. dierum esse salutarem. Gal. quem ego sequor, pro suppressionibus partuum putauit Hippoc. nihil aliud intellexisse quam retentionem sanguinis, qui solet in partubus euacuari. Et scire debetis, cum fœtus perficitur & tunicis suis est inuolutus eas repleri & sanguine & ichore. Vbi autem accedit partus vel abortus, effringuntur tunicæ illæ, quibus effractis effluit primo aqua, dein ichor, tum sanguis, & post sequitur fœtus. Si quando autem huiusmodi exitus sanguinis impeditur, ita vt non effluat, vt deberet, sed retineatur intus, partus fit difficilior, tum quia loci non redduntur, vt par est, lubrici, tum quia natura grauata infirmior est ad expellendum fœtum, vt è contra humiditatibus illis exeuntibus & loci ab his redditi lubrici & natura onere leuata partum multò efficiunt faciliorem. Ergo Hipp. vbi hunc in modum supprimitur partus, hoc est impeditur fluxus sanguinis in partu vel abortu, tunc si hoc fiat fœtu existente mare & sexaginta dierum plus minusue est, inquit, salubris partus, non quod verè viuet, sed quia non adferet detrimentum insigne. Vnde videre potestis, quàm aperta & vtilis sit hæc Hippoc. sententia. Sed cur apposuit, masculi fœtus & potius 60. dierum? Primò dixit masculi, quia, vt habemus apud Hippoc. nec non apud Arist. semper partus marium & abortus sunt faciliores, quam fœminarum, idque propter duas causas. Primo quia mas multò robustior est ad sustinendas omnes molestias & iniurias partus seu abortus. Præterea mas semper magis se agitat, quam fœmina amplius mas suo calore semper plus dissipat & consumit excrementa, quam fœmina. Postremo quæ ædit fœtum marem seu abortum, semper minus purgatur quam quæ fæmineum ædit fætum. Quod hæc magis purgetur, fit a proportione partus cum efformatione. Dixit enim Hippocr. esse tempus formationis & proportionis, vt cum masculus formetur 60. dierum spatio & fæmina 3. mensium, æquum est, vt quæ ædit marem purgetur minus, vt 20. quæ fæminarum 30. Cum, ergo ob has causas semper æditus fætus masculus sit facilior, cumq; hic ipse motum habeat 60. dierum spatio, si fiat abortus hoc tempore, iure minus offendit & ita salubrior esse videtur. Sed video aliquem obijcere. Si hoc verum est, sequitur necessariò, vt abortus 3. mensium sit salubris, quia hoc tempore multò robustior est facultas motrix quam 60. Pro responsione primum scire debetis Hippoc. non dixisse tres menses sed 60. dies, qui dicunt principium imò ipsum tertium mensem, vt quando scribit Hippoc. fœtum qui habet 182. dies esse vitalem, quia egressus est 6. menses, & vix ingressus septimum, ita qui est dierum 60. dicitur esse fætus trimestris, quia est ingressus tertium mensem, vt septimestris 7. vix ingressus. Hoc igitur constituto respondeo multò minus offendere abortum, qui fit initio tertij mensis, quam qui fit 6. mense, duab. de causis. Vna est, quia eo tempore valde robustus est fætus masculus, & forsan plusquam sexto mense, quandoquidem cum recentissimè adeptus est facultatem motricem, nondum tædia vteri sustinuit, quæ semestris, & consequenter minus est labefactatus. Dein fætus in initio 3. mensis reperit ligamenta molliora faciliora fractu, in sexto solidiora, quia onus etiam grauius est, vnde minus hoc tempore nempe tertio mense, lædit quam alijs, vt Hipp. qui incomparabili semper diligentia vsus est & industria, hoc sedulo obseruarit, scilicet vbi suppressus sanguis est in exitu siue abortus siue partus semper abortum sexaginta dierum masculum minus lædere, quia & motu & robore magis aptus est ad resistendum.

Lib. de nat. puer. & de genit. 7. de hist. animal. cap. 2. 3.

Ἡράκλεις ὤδε τοῦ κακοῦ ὀγδοάῳ.

Hercules intumuit mali die octaua.

Hæc est pars procul dubio alicuius historiæ sed adeo inutilis, vt ferè videatur silentio prætereunda, quia nihil aliud dicit, quàm Herculi tumorem factum esse 8. die morbi, vt si quid est memoria dignum in his breuissimis verbis illud tantum est, quod malum sit exacerbatum octaua die. Audiuistis enim alias Hipp. dixisse homines necessariò magis exacerbari & perire diebus mensibus & annis imparibus, vt quotiescunq; contingit secus fieri, rem pro miraculo habeat. Sed dicet aliquis. Nonne Medici frequenter obseruant diebus paribus augeri morbos, affligi his & interire ægros? Dicunt quidem hoc aliqui, sed deceptos puto ab astantibus, quia vix fieri puto & raro accidit; vt initio morbi vocentur Medici. Si vocantur, ægri nesciunt referre, nec diem, nec horam; vt iure fallantur Medici in numerandis diebus, & horis.

Δυσεντεριώδης μᾶλλον ὅστις ἄρα καὶ τεινεσμώδης.

Disentericus magis quicunq; & tenesmosus.

Certissimum est esse purissimum Aphorismum. Est autem sententia Hippoc. eos quia natura subiecti sunt tenesmo, multò magis obnoxios esse dysenteriæ. Cuius sententiæ veritas, vt ab omnibus cognoscatur, breuiter docendum quid sit dysenteria, quid tenesmus.

3. de sympt. cau. cap. 2. et 4. de artic. 40. Lib. de affect. Gal. dixit quatuor differentias dysenteriæ esse, quas aperire sigillatim, non est huius loci. Illud sat est scire veram dysenteriam, de qua Hipp. hic agit nil aliud esse quam deiectionem cruentam cum dolore coniunctam. Nam Hippocr. quoq; non videtur aliter esse loquutus quam hoc pacto. Et hinc Celsus alijq; appellarunt hunc affectum Tormina, quia homines magnopere a dolore torquerentur. Causæ huius affectus sunt internæ, & externæ. Internę immediatę sunt humores acres, mordaces, qui effluendo exulcerant intestina, tum superiora, tum inferiora sed maximè superiora. Ex causis internis mediatis est propensio & aptitudo intestinorum ad suscipiendum hunc affectum. Quam aptitudinem vt intelligatis. scire oportet naturam cum intelligeret intestina debere esse receptacula quisquiliarum corporis nostri, fabricasse ea tunica interiore duriore, vt minùs ab excuntibus excrementis læderentur, nec contenta crassitie tunicæ, obliniuit mucum quendam crassum, ne corpora acria & mordacia violent intestina, ita, vt, prout mucus hic est copiosior vel minus copiosus, aut tunica magis minusue crassa, sic dicantur propensionem maiorem vel minorem habere ad hos affectus suscipiendos. Tenesmus (vt Gal. scriptum reli-

Lib. 3. cap. 41 Lib. 9. cap 43. quit loco citato de sympt. cauf. & Paul. Aegin. & Æt. nihil aliud est quam frequens & implacabilis egerendi cupiditas. Habet hic affectus dolorē continuū, vt habet Hip. li. 6. de af. Vnde errarunt illi, vt inquit Corn. Nepos in vita Pomponij, qui existimarunt nobiliss. Senatorem obijsse tenesmo, cum tamen dolore caruerit. fieri enim non potest, vt quispiam dolore careat & tamē tenesmo laboret, vt iure scripserit Celsus, in tenesmo non minorem

Lib. de aff. 1. Aphor. 6. part. esse dolorem, quam in dysentèria. Quod ad causas attinet, habet vterq; (vt Hippoc. memoriæ proditum reliquit & Gal.) causas communes, differunt tamen loco, quod dysenteria est affectus præcipuus omnium intestinorum, tenesmus maximè in intestino crasso consistit, etsi in omnibus quoque fieri possit. His igitur constitutis facilè apparet veritas Aph. & sententiæ Hippocr. eos qui faciliter tentantur tenesmo, etiam dysenteria facilè tentari. Siquidem si intestina crassa duriora sunt tenuioribus, quis non videt vbi crassa facilè tentantur vlcere, magis vlcerari tenuiora. Ergo iam voces græcæ τεινεσμώδης & δυσεντεριώδης nihil aliud significant quam propensionem quandam ad hanc affectionem. Sed duæ oriuntur dubitationes. Prior est, an possibile sit omnia intestina simul vlcerata esse, vt tenes-

mus

mus fiat & dysenteria simul Cel. Aurel. manifestè scribit fieri non posse vt omnia intestina vlcerentur & eodem tempore, quia priusquam possint affici omnia intestina, homines intereunt, nam si vlcus vnius partis exitiosum est, multò magis omnium intestinorum. 4. de diuturn. aff. cap. 6.
Sed contra sunt Arabes, vt Serapion, qui dicit id frequenter contingere, adeo vt contrarietas in his manifestissima sit. Alterum dubium est, quia scripsit Arist. si hyems austrina & pluuiosa fuerit, ver autem siccum & aquilonium serenum, mulieres tentari dysenteria propter frigidam & humidam naturam, quæ sanè valde controuersa sunt: quia si dysenteria fit ab humoribus acribus, calidis, salsis, non potest fieri vt natura frigida & humida sit causa dysenteriæ. Accedit quod Hippoc. habet eadem, sed de hoc temperamento mentionem nullam facit. Pro solutione primæ difficultatis scire oportet dysenteriam tres gradus habere. Primus est, quando mucus interior intestinorum abraditur. Secundus quando abraso muco & eiecto, cuticula intestinorum abraditur, quod appellant fluxum excoriatiuum Arabes. Tertius est, quando abrasa cuticula, vlcus depascitur substantiam intestinorum, vt cum fœcibus ramenta exeant. Posse dysenteria omnia intestina affici primo & secundo gradu verum est, quia ex defluxu humorum calidorum potest & mucus & cuticula abradi omnium intestinorum. Et ita intelligendus est Serapion. Sed vt omnia intestina patiantur tertio gradu non potest fieri, quia vt rectè scripsit Cel. Aurel. semper antequam omnia intestina afficiantur, homines pereunt. Ad secundam dubitationem dicendum, effectus produci a causa vel per se vel per accidens. Per se a causa simili, frigidi tasa causa frigida &c. Per accidens non solum a dissimili, verùm etiam a contraria, quod Auer. ita scripsit. His ita constitutis dico verum dixisse Arist. qui tametsi dicat fieri a temperamento frigido & humido, non per se id fieri intelligit, sed per accidens, quia vbi abundat nimia humiditas (quod fit his temporibus) deserta humiditas à calore putrescit & salsa, acris, mordaxq; euadit, vt sic facilè fauciet intestina. Quod autem dicebatur Hippoc. eius rei non meminisse, verum id quidem est, sed lib. de aere, aq. & loc. idem dicit, vnde non ea solum Arist. accepit, verum etiam quæcunq; scripsit & in prima sectione Probl. & alibi ad anni tempestates & regiones spectantia. Ex hac historia hoc documentum habeatis, quod vbi aliquem videatis tenesmo laborare suspicemini etiam laborare dysenteria & vel hanc ad futuram propterea soleo ego in tenesmis curandis remedia vtriq; communia proponere, vt humores viscidi detergantur, mordaces placentur, vlcera exiccentur & ad cicatrices ducantur. Tract. 3. c. 16 1. Prob. 9. 3. Aph. 12. 3. collect. 31.

Θηλάζουσα ἐξα ἐκθύματα ἀνὰ τὸ σῶμα πάντη εἶχεν. ἐπεὶ ἐπαύσατο θηλάζουσα, κατέσι θέρεος.

Lactans quædam papulas per totum corpus habebat. Cum autem cessauit lactare sedatæ sunt æstate.

Sed quidnam est in hac historia adnotatione & æterna memoria dignum? Duo sunt in hoc casu vtilia & notatu digna. Prius quod mulier dum lactat corripiatur affectibus cutaneis. Alterum est, quod mulier dum desinit lactare, curata sit. Prius ab vsu & ratione videtur alienum quia mulieres cum lactant, solet natura quidquid boni est in sanguine menstruo, conuertere in lac per coctionem siue vt Empedocles docebat per suppurationem. Id quod superest a generatione lactis, natura corrigere solet, vt vbertatem insignem lactis semper faciat. Natura vtitur toto sanguine menstruo ad generationem lactis, tum quia generatio lactis est copiosa, tum quia tum temporis desinunt menses. Cum hæc ita sint, mirum est, quod mulieres lactantes possint corripi morbis cutaneis, quę vt mirum hoc adnotauit Hippoc. Non minus profectò mirum videtur, quod secundum annotauit, liberatam esse, vbi desijt lactare, quia Arist. scribit, donec mulieres lactant menses non fluunt; redeunt menses, quia substantia quæ in lac vertebatur, superest, & propterea effluit per consuetas naturæ purgationes. Iam si materia menstruorum, vbi desinit lactare, in corpore redundat, rationi consentancum est, vt vlcera fiant in cute. Ergo Hippocr. hoc tan- 4. de gen. anim. cap. 8.

tanquam rarum voluit annotare, ſcilicet quod mulier lactans ſit correpta vlceribus, & deſinens lactare ſit liberata. Sed ſi ea ſunt præter rationem, quare contigerunt huic mulieri? Puto ego proprias cauſas naturales habuiſſe, nam quod effectus aliquos admiramur, non eſt quia carent cauſis naturalibus, ſed quia eas ignoramus. Cauſa hæc eſt, mea quidem ſententia. Vbi mulieres incipiunt lactare, ac ſanguis menſtruus fit lac, contigit, vt pars optima ſanguinis menſtrui interdum ſit copioſior, quam deterior, non nunquam deterior copia aliam excedit. Vbi pars melior eſt copioſior, fit vt nullis morbis corripiatur mulier, ſi pars deterior excedat copia maliorem, contingit vt non poſſit illam emendare, & in lac conuertere, & propterea cum ſuperſit copia excrementorum, depellitur hæc a natura in cutem, vbi putreſcens & flagrans, ſalſa, acris & mordax euadit, & ita modo tumores, modo vlcera producit. Itaq; hęc, vt ego puto, habebat menſtrua impura, ſordida, pars melior cōuertebatur in lac, deterior in lac conuerti non poterat, vnde in cutim depulſa fecit puſtulas, curata autem eſt, poſtquā lactare deſijt, quia menſtruis purgationib. materia euacuata eſt, nā ſi quid relinquebatur in cute effluebat & diſſipabatur, vt propter hoc magno iudicio addiderit curatam æſtate, quia æſtas omnes affectus cutaneos ſolet curare vel ſaltem minuere, vt ſcabioſi argumento eſſe poſſunt, qui æſtate liberantur ab hoc affectu, quia tunc facilè effluunt vapores putridi poris apertis & diſſipantur. Vnde colligatis mutationes vitæ & temporis magnopere conferre ad morbos longos & pertinaces curandos. Sequitur hiſtoria de vxore coriarij.

Τῇ τοῦ σκυτέως, ὃς τὰ σκύτινα ἐποίησε, τεκούσῃ, καὶ ἀπολυθείσῃ τελέως, ἐδόκει τοῦ αἰὲν χωρίς τι τὸ ὑμενοειδὲς ἀπέσχεν, ἀπῆλθεν τεταρταίη κακῶς. στραγγουριώδης γὰρ ἐγένετο. αὐτίκα συλλαμβάνουσα ἔτικτε ἄρσεν. Πολλὰ δὲ ἔτεα ἤδη εἶχε τὰ ὕστατα, καὶ οὐδ' ἐπιμήνια ᾖει. ὅτε δὲ τέκοι, διέλιπεν ἐπ' ὀλίγω ἡ στραγγουρίη.

Coriarij illius qui coriariam faciebat vxori, vbi peperiſſet, & perfecte exoluta eſſet viſum eſt ſecundinæ membranoſum quiddam remanere, diſceſſit autem die quarta male. nam vrinæ ſtillicidio vexabatur, ſtatim concipiens peperit maſculum. habebat autem multos iam annos, & poſtremum neq; menſes prodibant. Cum autem peperiſſet vrinæ ſtillicidium paululum intermittebat.

Præſens hiſtoria cum præcedenti & ſequenti quodam modo connectitur. Omnes enim loquuntur de muliere & fæcunda ideſt quæ peperit. Quod autem in hac hiſtoria peculiariter annotatu dignum eſt, illud eſt, quod annoſa, cui menſes defecerant, peperit & bis, & marem ediderit. Eſſe autem hanc rem admiratione dignam & propterea ab Hipp. fuiſſe notatam, poteſt multis argumentis probari & in primis hoc exemplo. Nam 14. Geneſeos dum Deus promitteret filium maſculum ex Sara nonagenaria, dicit Moyſes Saram poſt oſtium fuiſſe & riſiſſe, quaſi exiſtimaret impoſſibile eſſe, vt annoſa & cui menſes defeciſſent, poſſet parere. Iure igitur & hoc loco relata hiſtoria mira cenſebitur. Imò verò ita mira eſt, vt apud Iuriſperitos habeatur quaſi pro miraculo quinquagenariam concipere, ſed vtcunq; ſit, memorabilis hiſtoria de qua loquitur Hippoc. eſt, quod vxor coriarij cuiuſdam, cum annoſa eſſet & ei menſtrua defeciſſent, conceperit & pepererit maſculum, qui partus ipſi in omnibus fæliciter ſucceſſit, præterquam quod exiguum ſecundinæ membranoſę ſit intus relictum, ſed factum eſt vt quarto die hoc exierit. Vtrum autem exierit ſponte an vi alicuius medicamenti, non narrat Hippoc. quia forſan ad rem nihil pertinebat. Illud narrat quarta die exiuiſſe reliquum ſecundinæ: ſed male, quia facta eſt ſtrangurioſa, hoc eſt correpta eſt ſtillicidio vrinæ: ſed cum ſtillicidio vrinæ iterum concepit & peperit marem & in partu ſtranguria cohibita eſt. In hac hiſtoria inter cætera contemplatione digna, primum conſiderandum eſt, vtrum fieri poſſit naturaliter, vt mulier multos annos nata & cui menſes defecerint poſſit concipere. Dico naturaliter, quia nullus dubitat immenſa Dei prouidentia hoc fieri poſſe, vt monſtrauit Dominus in Sara & in Eliſa-

bethe

bethe matre D. Iohannis Baptistæ. Secundo videndum est, quomodo dicat Hippoc. partum fuisse fælicem,& tamen addit secundinæ aliquid in ipsa relictum fuisse. Tertio quomodo Hippoc. dicat aliquid membranosum secundinæ relictum. Hac in re quod facit difficultatem est, quod omnes Anatomici criminantur Galenum,quod voluerit secundinam esse membranam, & tamen puto Gal. defendi posse & conuenire cum Hippoc. Quartum est, quomodo ex secundina exeunte facta sit stranguria & tamen cum laborauit strangaria,iterum concepit,& ita vt ex partu deinceps leuata sit. Circa primum Galen.(si tamen ipsius sunt commentaria) visus est voluisse Hippoc. non dixisse hanc mulierem fuisse annosam, sed dixisse multis annis fuisse stranguriosam seu tulisse stranguriam. Sed (vt liberè dicam) huiusmodi interpretatio nequaquam accommodata est verbis Hippoc. Primum quia affectus vetusti præsertim in mulieribus haudquaquã facilè leuantur, & quod maius est, Hippoc. inquit ab exitu secundinæ & stranguriam sequutam esse & statim iterum concepisse. Quare non potuit tantum temporis intercessisse,vt dixerit diu laborasse stranguria. Quare satius est,vt cum cæteris dicamus fuisse annosam, hoc est multos annos naram. Sed iam videamus an mulier cui defecerint menses possit concipere & quæ annosa est. Primum naturaliter videtur fieri non posse, quia omnes in hoc conueniunt sanguinem menstruum non solum ad nutritionem sed & generationem necessarium esse. Menses enim non adsunt, vel cum adhuc virgines sunt vel cum annosæ. Natura enim perpetuo hunc ordinem seruat vt quando mulieres sunt aptæ ad concipiendum,tunc men struа incipiant,cum ineptæ, desinant. Neq; valet quod Arist. dicat interdum mulieres concipere sine menstruis,quia hæc deficiunt vel ob aliquod corporis vitium vel ob ætatẽ. Si propter morbum, possunt sine menstruis concipere; sin propter ætatem, minimè,quia vbi morbus impedit menstrua, non propter hoc desinunt esse menstrua in corpore mulieris, sed prohibentur exire. Propter ætatem verò ita deficiunt,vt plane esse desinant, neque amplius eorum materia in corpore reperiatur. Et propterea in virginibus non fit conceptus ante 14. annum, quia non habent menstrua materiam ad generationem aptam & necessariam,etiamsi in hac ætate fiat quandoq; tumor vteri (quem veteres melurgum appellabant,vt scribit Festus) & hic tumor solet recedere paulatim. Videtis itaq; nequaquam fieri posse vt huiusmodi mulier annosa concipiat. Sed ex altera parte non desunt testimonia clarissimorum Virorum visas esse quæ post 60. annum conceperunt. Inter alios fuit Valesius, Valeriola, Nicolaus Massa. Est quoq; testimonium Plinij qui videtur asserere quendam Volusium Saturninum natum esse ex matre iam excedente 62. annum. Quid ergo in hac clarissima disputatione dicendum est, vt tueamur Hippocratem? Ita statuo nequaquam fieri posse,vt vetula,cui menses ob ætatem defecerint, naturaliter concipiat,quia vbi ita desunt menses, deest materia necessaria ad generationem. Statuo etiã fieri posse,vt mulier 40. 50. annorum possit concipere sine menstruis, deficientibus non ob annos sed morbum. Quod hoc sit verum, habemus locupletissimum testimonium ipsius Arist. qui tria sempiterna memoria digna scribit, vnum est natutam semper menstrua proferre, quando iam mulier est apta conceptioni, non prius vnquam, sed interdum posterius: sic deficere menstrua quotiescunq; mulier est inepta amplius conceptioni. Aliud est, quod dicit ille,mulieribus circa 40.aut 45.annum deficere menstrua propter ætatem. Si aliquæ excedant,inquit, pertingere ad 50. annum,non autem vltra. Quasi si vllæ vltra 50. annum habeant menstrua,non sint naturalia,sed morbosa. Scio interdum etiam habere 60. anno purgationes vberrimas,sed est morbus,non est opus naturæ,& sunt morbosa recrementa. Sed hoc quoq; testatum reliquit Albertus Magnus. Non diffiteor mulierem concipere posse vsq; ad annum 50. & potest fieri vt aliquo morbo impediatur hic cursus menstruus deficiantque non ob ætatem sed vitium, & possibile est vt vsque adeo abundet sanguis menstruus sitq; adeo fæcunda mulier, vt menstruorum fluxus ad 50. annum perduret. Sed quid dicemus ad tot testimonia magnorum virorum? Nollem detrahere fidem tot scriptoribus, sed plus valet apud me rei natura & veterum authoritas quam recentiorum, fieri potest, vt decepti sint, vtq; mulieres ignorarint propriam ætatem,

Marginal notes: 7. de hist. anim. cap. 4. & 5 — Lib. 7 cap. 14 — 7. de hist. anim. cap. 2. — Lib. 5. de ani mal. tract. 2 cap. 1.

tem, & propterea retulerint multò plures annos quam habuerint. Alioquin non ita fuisset miraculum Elisabetam iam annosam concepisse, item Saram nonagenariam. Nam etsi homines eo tempore diutius viuerent, id tamen Abrahamo centenario, & coniugi sexagenarię impossibile visum fuit vt idcirco illa ridetet post ianuam de promissis, existimans se concipere non posse, quod menses defecissent. Sunt etiam aliquæ quæ vel mala valetudine vel natura ita maturè senescunt, vt cum 50. annos habeant, videantur habere 70. Ita Hæbræi decepti sunt, cum dicerent Christum habere 50. annos, cum haberet

Lib. 7. cap. 14 33. Si videatis Plinium, non scribit is natū esse Volusium Saturninum ex matre sexagenaria, sed patre sexagenario. Eo enim capite loquitur de viris tantum, qui matura ætate peperunt. Sed quomodo igitur tuebimur Hippocratem? Puto ego mulierem relatam ab Hippoc. non excessisse annum 50. & tamen dictam ab Hippoc. multorum annorum, quia si conceptum respiciamus, certè quæ concepit anno 50. potest dici annosa, quia, vt audiuistis ex Arist. rarissimæ conceperunt hoc anno 50. nec Hippoc. dicit defecisse ei menstrua propter ætatem, sed simpliciter defecisse menstrua. Vnde fieri potest, vt cum hæc mulier laborarit stranguria & fortasse alia mala valetudine, ei defecerint menses & non propter ætatem, sed ob aliquod vitium. Et tamen Hippoc. voluit hunc casum annotare tanquam rarissimum. Circa secundum dupliciter responderi potest Hippoc. dixisse esse solutam ab omnibus mulierem, felicitei què peperisse, eo quod ante partum laborarit alijs ægritudinibus, quæ in partu sunt finitæ. Cum enim in partu fiunt ingentes totius corporis purgationes, solent omnia mala, quæ habentur in prægnatione finiri & corpus remanere purum ita vt iure institutum sit, vt mulieres post exacta puerperia præsententur templis, tanquā iam habentes corpora ab omnibus inquinamentis soluta. Aliter responderi potest Hippoc. dixisse in omnibus alijs eam esse fœlicissimè solutam præterquam in hoc, quod secundinæ aliquid sit relictum. Vtrum accipiatur, interpretatio accommodata est. Sed maior est difficultas, quod Hippoc. & Gal. voluerunt secundinam esse membranam: quod vt perfectè intelligatur, operæ pretium est scire, naturam pro tutela, augumento & nutrimento fœtus munire ipsum tribus veluti tegumentis. Et in hoc conuenerunt omnes anatomici, tum mulieres. Verum non est quæstio de numero hoc tegumentorum. Prior tunica, qua tangitur fœtus Græcè ἄμνιος dicitur, mulieres camisiam vocant. Inter hanc tunicam & fœtum nihil aliud continetur quam ichor blandus, qui an sit excrementum an aliud, alias disceutiemus. Post Ammion est alantoides tunica inter quam & ammion con-

5. Aphor. 49. tinetur vrina & copiosa certè. Post hanc seu post eam loco est Chorion vt habet Galenus Hactenus omnes ferè conueniunt. Dissensio autem est, primo quia omnes anatomici videntur asserere contra Gal. solam alantoidem & ammion esse membranas, secundinā existimant omnes esse substantiæ admodum diuersæ ab ipsis membranis & dicunt esse spon-

7. de vsu par. c. 8. & 5. cap. 15. & lib. de dissect. vul. c. 10. & alys lo cis. giosam quandam membranam crassam, quam appellant polentam mulieres lentem. Galautem videtur asseruisse hanc secundinam esse membranam. Discrepant etiam circa has membranas alia in re, quia Gal. videtur existimasse alantoidem ambire fœtum: Anatomici dicunt instar farcininis alicuius indui ea totum fœtum, & si fœtus a pedibus suspendatur, a capite exire vrinam. Sed hac de re non est opus vt nunc disputemus. Solum propter Hippoc. nostrum disputandum est, an Gal. possit defendi. Aliqui vt eum tueantur aiunt excusatione dignum esse, quia hanc rem minimè vidit in hominibus sed in brutis dūtaxat, cum hęc omnia & pręsertim canes habeant hanc secundinam membranosam. Sed hic modus defendendi Gal. non mihi placet: quia etiamsi Gal. non secuerit cadauera humana tamen sequutus est Hippoc. & Herophilum. Secuit enim multa cadauera Hero-

Lib. de Anima. philus, vt dicit Tertullianus, secuit 700. cadauera, vt hominem cognosceret. Potuit itaq; didicisse ab alijs. Modus defendendi hic est, vt ego puto, quia Gal. non dicit secundinam esse totam membranam, sed dicit contextam esse ex multis venis & arterijs, ex quib. dum frangitur in exitu partus, copiosissimus solet effluere sanguis. Has autem venas & arterias dicit colligari quadam membrana. Adeo vt, si originem huius tunicæ spectemus, initio certè videtur esse tota membrana, quia colligantur velut corpore quodam membranoso

venæ

venæ & arteriæ. Adolescente autem fœtu, vt possit substerni fœtus blandus, huiusmodi corpus in eam crassitiem venit; vt videatur quasi æmulari lienem. Hoc ita esse videtur Hipp. vbi narrat casum illius psaltriæ, quæ abortum fecerat die septima inquit illum conceptum obductum fuisse tenui quadam membrana, qualis est illa quæ ambit albumen oui, quæ admodum tenuis est. Si ergo vidit Hippoc. hanc secundinam initio esse velut tunicam ouorum, iure debemus existimare ita Galenum loquutum esse, vt Hipp. quod initio secundum fabricam sit membrana, fiat autem fœtu adolescente crassior, corpulentior, vt æmuletur corpus spongiosi lienis. Quare mirandum non est remansisse aliquid membranæ secundinæ, vt autem post didicit ex exitu, fieri potuit, vt remanserit illud corpus membranosum, quod initio produci consueuit in generatione fœtus. Er at quarto loco videndum, quomodo in proposita muliere, postquam exiuit secundina, facta sit stranguria. Quæ res vt rectè intelligatur, primum videre oportet, quid sit propriè stranguria. Gal. scribit stranguriam nihil aliud esse, nisi frequentem vrinæ emissionem guttatim exeuntis, qua affectione vehementer laborasse Socratem testis est Plato. fit (vt dicit Gal. in commen.) vel per vrinæ acrimoniam, vel propter facultatis retentricis imbecillitatem. In hac muliere nullum est argumentum stranguriam factam fuisse ob imbecillitatem retentricis, sed sunt coniecturæ ob vrinæ acrimoniam accidisse: & sunt hæ, quia retenta est pars secundinæ vsque ad 4. diem. Retentio secundinæ solet singularia detrimenta adferre, vt etiam obstetrices norunt, sed præ cæteris, vbi retinetur secundina, cum sit pars multis venis & arterijs & consequenter multò sanguine referta, facilè putrescit, vnde primum incenditur vterus, dein ex putrescentia vapores turpes & tetri efferuntur in caput & in cor, vnde deliria, animi deliquia, præfocationes otiri solent. Ita huic mulieri a retenta parte secundinæ aliquid incendij contractum; quod vesicæ communicatum est, vnde incensis humoribus, acrior vrina est reddita: quæ cum non posset sustineri, necesse fuit naturam continuo ab ea stimulatam fuisse ad eam egerendam. Sed si propter vterum factum fuit hoc malum, quomodo potuit concipere? Respondeo, quia stranguria non est vteri affectus sed vesicæ ideoq; factus ob communionem. Cum itaq; stranguria esset pauca, verisimile est vterum non admodum insigni incendio laborasse, & propterea non fuisse præter rationem, vt conciperet. Sicut non erat a ratione alienum, vt in partu eleuaretur hic affectus, quia notum est intemperies non durare nisi fouentibus humoribus, aut nisi sint in habitu. Vbi euacuati sunt humores recedunt vna intemperies. Igitur cum in partu per puerperium (vt Hipp. docet) vniuersum corpus expurgetur & præsertim vterus, iure fit vt affectus vteri a conceptu tollantur aut saltem minuantur, nempe euacuatis humoribus, qui eos faciebant. Ex hoc discursu duo documenta colligetis. Vnum, vt vbi aliquid secundinæ relinquitur, nisi sponte exeat, diligenter prospiciatis, vt euacuetur. Etenim ego vidi omnes intereijsse, quibus secundina intus remansit. Modus quibus extrahitur, varius est Hippoc. scribit a sternutamentis secundinas exprimi, quod illa totius corporis concussione excitetur facultas expultrix ad eijciendum onus. Sunt etiam alia remedia, vt ea quæ sunt ex dictammo Cretensi, & vno verbo vt dicam, omnia quæ menses potenter eliciunt, quæ adiuuant partus difficiles. Alterum præceptum est, vt minimè sitis faciles ad medicandum grauidas mulieres, quia nisi morbus sit acutus & valde vrgeat, non sunt grauidæ mulieres tractandæ donec pepererint, quia solent omnes affectus ex partu vel leniri vel aboleri. Atq; hoc puto Hippoc. fecisse iam, qui hanc mulierem noluerit curare, quia videbat, non esse affectum acutum, & spectabat debere aboleri ex partu.

Lib. de nat. mulier.

5. Aphor. 58.

In Epistolis.

Lib. de morb. mulier.

5. Aphor. 49.

ἰσχίον δέ τις ἤλγει, πρὶν ἴσχειν. ἐπεὶ δ' ἔσχεν. οὐκ ἔτι ἤλγει. ἐπεὶ δὲ ἔτεκεν, εἰκοσταίη ἐοῦσα, αὖθις ἤλγεεν. ἔτεκεν οὖν ἄρσεν.

Secundum coxam quædam dolebat priusquam conciperet postquam autem concepit, non amplius doluit. sed cum peperit vigesima post die iterum doluit, peperit ergo marem.

Hanc historiam puto sapientissimum Hipp. annotasse vt doceret quod sicuti quædam mala ante conceptum, ipso conceptu finiantur; sic quoq; contingere, vt mala quæ a conceptu sunt sopita, a partu iterum reuiuiscant. Est autem historia eiusmodi: quandam mulierem, forsan ignobilem, priusquam conciperet dolore coxendicis laborasse, vbi autem concepit, hunc dolorem fuisse sopitum. Peperisse etiam vigesimo die, post partum dolorem coxendicis redijsse, ex hoc colligi, ipsam peperisse marem. Videre autem oportet, qua ratione factus sit hic dolor, ante conceptum, & in conceptu mitigatus, cur post partum redierit, tum quomodo Hippoc. colligat ex his marem peperisse. Hippoc. in præclaro illo lib. de superfæt. scribit, quod si alicui fiat dolor ante conceptum vt dolor coxæ, qui in conceptu desitescat, & post partum redeat, inquit fieri hunc dolorem ex decubitu vteri supra coxam. Sed hæc mulier hæc omnia habuit, ergo necessariò fatendum, (si modo Hippoc. ex Hippocrate interpretari velimus,) non aliter factum hunc dolorem esse huic mulieri. Sed vnde hic decubitus? Natura valde sollicita ad propagandam humanam speciem, & vtero facto ad hoc, collocauit eum inter vesicam & intestina, & ita, vt in neutram partem inclinaret, sed in medio firmaretur. Vbi ergo vitio aliquo correptus inclinet in alteram partem, necesse est pariat dolorem. Decumbit autem in alteram partem, quotiescunq; aliqua pars repletur humore peregrino, vt propter onus in eam partem decumbat, quo fertur a pondere. Hoc autem ita esse demonstrat Hippoc. illo libro, vbi scribit decubitum curari remedijs calefacientibus & exiccantibus, quasi necessariò fiat a repletione vteri. Sed priusquam vlterius progrediamur, quæstio est soluenda. Si hæc laborauit a decubitu vteri & ita hic a proprio situ semper decedat, qui fieri potest, vt conceperit? Nam idem scribit, quotiescunq; vterus a suo situ abductus est, nunquam fœminam posse concipere, quia cum os vteri angustissimum sit, nisi rectitudinem suam seruet, haud quaquam potest semen attrahere & rectà eiaculari. Si ergo hoc ita est nonne necesse est, vt vbi vterus decumbit in alteram partem, os torqueri & ammittere proprium situm? Igitur non videtur doluisse ob decubitum vteri. Respondeo verissimum esse id quod scripsit Hippocrates, sed minimè est necessarium, vt semper comitetur oris illius transpositio decubitum, quia etiamsi vterus sit semper pusillus, vbi nihil intus habet, vbi aliquid concepit, ampliatur, & potest huiusmodi amplitudo fieri circa fundum ipsius, ita vt fundus onere grauatus in hanc vel illam partem decumbat absq; oris torsione, & maximè cum Hippocrates diuersa remedia adhibeat torsioni oris, & depositioni vteri. Alioqui si semper torsio vteri sequeretur eius decubitus eadem esset medicamentorum ratio. Quod prægnans sit ab hoc dolore liberata, non fuit sine ratione, quia, vbi conceptus est in vtero, scimus eius calorem mire augeri, atque hunc esse calorem natiuum, quia est calor fœtus. In insigni caloris copia non potest perdurare copia materiæ alienæ, quia natura hanc depopulatur pro conseruatione fætus, vnde factum est iure, vt dolor hic fuerit sedatus humore consumpto, qui in fundum vteri defixus ipsum deprimebat in coxam. Redijt a partu hic, quia cum puerperia durarent (quod fuit a sexagesimo die) factum est, vt nihil humoris posset accumulari, & propterea purgatus vterus nihil detrimenti attulit coxæ. Desinentibus autem puerperijs, vterus (qui alioquin ad hanc affectionem erat propensus) iterum cepit accumulare humores, adeo vt iterum secundum fundum repletus eundem dolorem pepererit. Colligit Hippoc. ex his peperisse marem non certa sanè scientia, alioquin debuisset prędicere rem quam pręsciret. Sed puto ego

Initio lib. 1. de morb. mulier.

ego ignoraſſe veritatem, attamen coniecisse admirabili ſuo iudicio, quia ſi huiuſmodi dolor contumax a conceptu fuit ſedatus, hoc factum eſt propter calorem ingentem. Hic non fit a conceptu fæminarum ſed marium & propterea, cum ſublatus ſit dolor ab ingenti calore, coniectura eſt fuiſſe conceptum maſculi. Et iſti qui paciſcuntur de futuris partubus, mareſne an fæminę ſint futuri, ſolent actiones, ſpeciem, colorem aduertere prægnantium, quia vbi mares gerunt, niſi aliud impedit, ſemper ſunt coloratiores, robuſtiores, quia calore fœtus maris conſumuntur excrementa, quæ robur & formam impediunt. Colligitur ex hiſce Hippoc. id vnum, dies decretorios non minus eſſe conſiderandos in ægritudinibus quam partu, & non minus in hoc quam in illis, quia inquit huic ſtatim vigeſima die rediiſſe dolorem. Solet autem hæc apud Medicos eſſe decretoria, & in ea fieri magnæ morborum mutationes. Sed cur æquè in partubus ac ægritudinibus? In quolibet partu tot ſunt dolores, quot in quolibet etiam morbo acuto, vt non mirum ſit eandem ſeruari periodum in morbis acutis, & partu.

Ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ἐν κνήμῃ κάτω δεξιῇ, ἢ τρίτῳ ἢ τετάρτῳ μηνὶ, ἐξανθήματα. πρὸς ἃ τῇ μάννῃ χρώμεθα; Καὶ ἐν χειρὶ δεξιῇ παρὰ μέγαν δάκτυλον. οὐκ οἶδ' ὅτι ἔτεκε. κατέλιπον γὰρ ἑξάμηνον. ᾤκει δὲ ὡς ἐγὼ οἶμαι τὰ Ἀρχελάου πρὸς τῷ κρημνῷ.

Cuidam in vtero habenti in tibiæ dextræ inferna parte, vel tertio vel quarto menſe exanthemata facta ſunt, ad quæ manna vtimur, & in manu dextra iuxta magnum digitum, haud ſcio an peperit, reliqui enim eam iam ſextum menſem habentem, habitabat verò vt ego puto, eum Archelao ad rupem.

Miror cur Gal. ſeu alius dubitet, an hæc hiſtoria ſit eadem cum ſuperiori, an ſeparata, ſiquidem nemo eſt, qui (ſi diligenter animaduertat) hanc eſſe a ſuperiori planè diuerſam non videat. Eſt autem huiuſmodi, mulierem quandam vtero gerentem 3. vel 4. menſe correptam eſſe quibuſdam tumoribus in tibia dextra & manu dextra, circa digitum magnum & fuiſſe ex eorum genere, qui manna thuris curantur. Addit ſe ignoraſſe an pepererit, eo quod reliquerit in ſexto menſe. Addit poſtremò habitaſſe in ædibus Archilai prope rupem. Circa quam hiſtoriam de more noſtro tria ſpeculatu digna contemplabimur. Vnum eſt qua ratione in hac muliere facti ſint tumores, & præſertim cur in dextra tibia & manu. Secundum erit, quæ fuerint genera horum tumorum, quia clarè hoc non explicatur, ab Hippoc. Poſtremum eſt cur Hippoc. adeo diligenter deſcribit habitationem huius, & tamen fateatur ſe neſcire an peperit. Circa primum Gal. in comment. ſi illius ſint, vult hanc dum vterum gereret laboraſſe vel inflammatione vel eryſipelate vteri, & autoritate Hippoc. lib. de natura mulier. vbi ſcribit, ſi fiat inflammatio in vtero, fieri tumores in tibijs. Sed hoc mihi placere non poteſt. Siquidem Hipp. ſcribit, quod ſi mulier prægnans tentetur eryſipelate vel inflammatione vteri, lethale eſſe. Si ergo hic affectus lethalis eſt quomodo fieri potuit, vt hæc vixerit ſine vllo graui ſymptomate a tertio vſq; ad ſextum menſem? Nam narrat Hippocr. ſe reperiiſſe eam viuam ſexto menſe, & certiſſimum eſt, ſi alia ſymptomata repeririſſet, taciturum non fuiſſe. Itaq; non potuerunt fieri huiuſmodi ſymptomata propter inflammationem vteri. Puto ita rem ſeſe habere mulierem hanc priuſquam vtero conciperet, incendio ingenti iecinoris laboraſſe, quo ſanguis feruidus, acris & mordax colligebatur, qui collectus in vtero facultatem expultricem valde ſtimularit, vnde ſtimulata natura tandem depulit extra vterum huiuſmodi ſanguinem feruidum, acrem & mordacem, ſed cur potius in dextra parte quam in ſiniſtra? & cur potius in manib. & pedib. quam alibi? Duæ cauſæ fuerunt. Vna eſt rectitudo cum iecinore. Eſt enim hoc certiſſimū apud Medicos euacuationes & expulſiones fæliciter fieri ſecundū rectitudinē vaſorum. Aliud fuit, quod ſcribit Hipp. vaſa quæ ſunt in dextra parte, ampliora ſunt quam quę ſunt in ſiniſtra, & propterea dextrę partes facilius recipiant quā ſiniſtrę, laborante præſertim iecinore. Sed cur potius fluxio irruit ad manus & pedes? Duplex

5. Aph. 43.

Lib. de morbo ſacro.

item causa fuit. Vna est motus, quum hæ partes continuose exercent, vel maximè omnium mouentur, quia dicebat Arist. nos melius decumbere supra sinistras partes quam dextras, quia motu diurno magis lassantur dextræ partes. Altera ratio est, quod vasa in manibus & pedibus facta sint a natura satis ampla, id quod apparet satis si venæ & arteriæ harum partium intumescunt. Et hoc fecit natura summa cum ratione, quia cum hæ partes deberent esse exangues, excarnes, nerueæ, opus fuit vasis amplis, vt possent nutriri, & hoc est, quod Auic. scribit; quod etiam scripsit Rhasis 17. continent. homines magno iecore, &c. magnas habere manus & magnos pedes & è conuersò, quia vbi in his partib. sunt vasa magna, necesse est consequatur iecur magnum. Igitur his rationibus in hac muliere erupit materia morbosa præsertim in tibia & manu dextra, id quod videmus plerunq; contingere in ijs, qui habent iecur valde incensum, vt videmus in lue gallica laborantib. quibus maximè manus pedesq; afficiuntur, tum in podagricis, quia in iecinore (vt apparet ex tumentibus venis) mittitur materia ad has partes proportionatas. Qui fuerint huiusmodi tumores, non explicat aliter quàm ex eorum genere fuisse qui curantur manna thuris. Et quia alias docui ad significandas naturas morborum maximè valere, curationis esse obseruationem operæpretium est, vt breuiter videamus, quæ sit natura huius remedij. Manna thuris a Græcis simpliciter vocatur μάννα. Diosc. & Plin. dicunt nihil aliud esse quam ramenta quædam seu rudem puluisculum qui fit ex concussione thuris. Dum enim conuehitur, tus, concutitur, & ex hac concussione elicitur. Alij esse dicunt grana quædam similia arenæ vel sabulo. Sed hæc res est parui momenti. Illud scire oportet, quod scribunt Diosc. & Plin. mannam thuris ad eadem omnia valere ad quæ thus ipsum. Asserunt ijdem valere ad ambusta, perniones, quò fit vt necesse sit aliquod ex his fuisse tumorũ generibus, quo laborauit hæc mulier, quæ vocantur ambusta, quippe quæ fiunt ex sanguine feruido & admodum acri. Sed inter ambusta sunt etiam aliqui gradus, quia alia sunt mitiora, alia magis immania, & credo huiusmodi tumores fuisse mitiores, & propterea dixisse Hippoc. ex eorum genere fuisse qui curantur manna thuris, quia cum hæc sit inualidior, iure adhibetur ad mitiora mala. Postremò cum dubitet de euentu, puto rem ita se habuisse scilicet Hippoc. magni fecisse huiusmodi tumores, quia etsi essent affectus externi, erant tamen certissima signa alicuius materiæ prauæ intus latentis, quę eo magis timeri debebat, quia erat in vtero, & in vtero conceptum habente. Cum ergo Hippoc. huiusmodi conceptum magni faceret, non potuit magnis negotijs impeditus intueri euentum. Eum ergo notauit vt dubium, quo data occasione posset certior fieri huius euentus, quem maximè desiderabat scire, & vt magis hoc faceret voluit adnotare habitationem. Sed si nobis proponeretur huiusmodi casus, quid faceremus? Mulier prægnans, vt alias dixi, a 3. ad 7. mensem potest tutò aut saltem tutius tractari quam alijs mensibus, idcircò cum vidissem huiusmodi tumores indicare aliquod malum intestinum graue, ante omnia immisso clystere detrahi iussissem non modicum sanguinis, tum quia morb. erat calidus, tum quia ferre poterat. Sed quia in magna copia sanguinem detrahere prægnanti periculosum est iussissem fieri per vices, modo in dextro brachio, modo in sinistro, tum refrigerassem & exiccassem humores decocto cichorij, sonchi, borraginis, & præparatos humores blandè purgassem, medicamento ex manna, rhabarb. syr. rosato solut. & post purgationem voluissem, vt aliquod linimentum parti affectæ appositum fuisset, & quia Hippoc. scribit fuisse hunc affectum ex eorum genere, qui curantur manna thuris, iussissem vt manna vnà cum aceto nec non cum butyro aqua rosacea loto in linimenti formam redactis pars inuncta fuisset. Quod si (vt sæpe fit) malum his remedijs non fuisset sublatum, iussissem deinceps, vt pluribus diebus accepisset serum caprinum optimè depuratum ad quantitatem trium aut quatuor heminarum.

sect. 5. Probl.
3. 1. doct. 2. tract. 1. & 4.
3. aph. 1. c. 32.

ἡ περὶ τὸ Νικόμαχον, τέκεν παιδίον, σαρκῶδες μὲν, ἔχων δὲ τὰ μέγιστα διακεκριμένα: μέγεθος δὲ ὡς τετραδάκτυλον ἀνόστεον. ὕστερον δὲ παχὺ στρογγύλον. Αὕτη δὲ ἀσθματώδης ἐγένετο πρὸ τοῦ τόκου: ἔπειτα ἅμα τῷ τόκῳ, πύον ἀνήμεσεν ὀλίγον οἷον ἐκ δοθιῆνος.

Antigenis vxor quæ circa Nicomachum, peperit filium, carnoſum quidem, habentem autem maxima diſcreta: magnitudine autem vt quatuor digitorum, ſine oſſibus, poſtmodum verò craſſum, rotundum. Hæc ante partum aſtmatica fiebat. Deinde ſimul cum partu pus euomuit modicum, quale ex furunculo.

Quam ob cauſam Hippoc. hanc hiſtoriam annotarit non eſt facilè ignorare. Quia quicunq; diligenter conſiderarit, quæ contigere huic mulieri, facilè intilliget rem totam fuiſſe magna admiratione dignam. Et puto Hippoc. diligenter deſcripſiſſe & coniugem & habitationem, quia cum res fere videretur incredibilis, facilè fieri poterat, vt ipſi non adhiberetur fides. Res autem ita ſe habet. Vxor Antigenis habitabat prope Nicomachum, & forſan Ariſtotelis patrem, (nam tempore Hippoc. vixit pater Ariſt. cui Nicomacho nomen erat, imò qui neceſſitudine ipſi erat coniunctus.) Sed hæc ſcire parum refert, illud multum intereſt prædictam mulierem peperiſſe puerum carnoſum, ſine oſſibus, rotundũ, figura & magnitudine 4. digitorum. Dum vtero gerebat, aſthmaticam fuiſſe ſcribit & in partu eieciſſe pus quale eijcitur ex furunculis. Circa hanc hiſtoriam primum videre oportet, qualis fuerit hic partus; cur, cum in vtero eſſet, fuerit aſthmatica, & cur in partu reiecerit pus. Circa naturam huius partus, Gal. ſiue quiſquis eſt, nihil in comment. purè dixit, niſi fuiſſe abortum, & certè hoc non fuit difficilè ſcire quia erat duntaxat 4. digitorum. Atqui commentatores dixerunt fuiſſe purum monſtrum. Ego autem, quia diuerſam ſententiam habeo, vt demonſtrem nequaquam fuiſſe monſtrum, operæpretium eſt videamus breuiter quid ſit monſtrum, & quot ſint eius cauſæ. Monſtrum nihil aliud eſt niſi partus conſummatus conſtitutionis præter naturalis, ſiue naturali diſſimilis. Dixi eſſe partum conſummatum, ad differentiam partus canini & vrſini, quia huiuſmodi partus minimè ſunt monſtra, quia non ſunt integri. Canis exit cæcus ab vtero, vrſus exit totus deformatus, ita vt niſi lambatur a matre, vix poſſit agnoſci eſſe fætus. Hæc animalia extra vterum diligentia matrum tandem perficiuntur ac quodammodo etiam ornantur. Dixi conſtitutionis præternaturalis, quia ad naturalem conſtitutionem faciendam requiritur debita magnitudo, figura, ſitus, numerus & connexio partium. Vbi error in aliquo horum eſt, conſtitutio eſt præternaturalis, & propterea monſtruoſa. Addidi diſſimilem naturali, quia Ariſt. dicebat, qui prorſus ſit diſſimilis ſuis genitorib. eſſe veluti monſtrum, adeo vt putauerit Ariſt. ad efficienda monſtra, requiri vt adſit diſſimilitudo a ſuis progenitoribus. Hæc eſt adumbratio, & veluti rudis quædam delineatio huius de monſtro quæſtionis. De cauſis diuerſas reperio ſcriptorum ſententias. Quidam, vt habet Gal. lib. de defin. med. & Plutarchus de plac. philoſ. exiſtimarunt fieri ob inæqualitatem & contorſionem oris vteri. Dicebant enim, quod, veluti qui nolunt ſtatuas plumbeas facere, niſi plumbum æqualiter per totas formas diſtribuatur, ſtatuam exire indecentem. Sic illic, ſi ſemen inæqualiter diſpenſetur in vterum, neceſſariò fieri fœtum inæqualem & monſtroſum. Sed hæc ſententia admodum vana eſt, quia vbi os vteri contortum eſt, non recipitur ſemen, imò ſi vel tantillum ſit contortum, quia foramen vſq; adeo anguſtum eſt, vt vel minimus lapſus & deflexus a rectitudine, impediat ſeminis receptionem. Democritus (vt narrat Ariſt.) exiſtimabat monſtrum fieri eo quod ſemen fœminile & virile non recipitur eodem tempore ſed diuerſis, ita vt cum vnum ſequatur alterum, non poſſit fieri recta deceſq; formatio. Hæc ſententia, quia ſatis eſt ab Ariſt. confutata, non eſt vt a nobis examinetur. Empedocles & Strabo putarunt fieri ob defectum ſeminis vel eius abundantiã vel deprauationem. Sed neq; hæc opinio ſatis firma eſt, quod ſemen paucum faciat quidem parua, multum magna, ſed quod neceſſariò ex copia ſeminis vel inopia conſtitutio natu-

1. de gen. animal cap. 19.

4 de gen. anim. cap. 4.

naturalis vitietur, minimè est verum. Alia quærenda est causa. Arist. loco citato videtur voluisse tribuendum esse soli copiæ fœminis, & probauit cum ibi, rum 10. sect. probl. 60. quia in animalibus quæ pariunt multos fœtus, crebrò fiunt monstra. In humano genere, quod vnum duntaxat parit, raro plura, dici potest, rarò fieri monstra. Sed vt liberius dicam, nisi hæc res clarius explicetur, Arist. etiam videtur recessisse a sua solita diligenita & industria, quia possumus tueri pluralitatem partuum vel magnitudinem a fœminis copia fieri. Sed cur interdum fiant homines diuersarum formarum, minimè. Itaque præter peccatum materiæ est etiam vitium formatricis facultatis. Nisi fallor, alias docui fabulas esse, imaginari, quod in corporibus nostris sint facultates diuersæ. Vna est anima quæ potest diuersimodè operari secundum varietatem instrumentorum. Dicitur facultas formatrix, quia operatur hoc instrumento semine ad perficiendos fœtus. Non est ergo aliud opus facultatis formatricis quam animæ. Cum ergo sit opus animæ, pro vt hæc vel tranquilla est vel turbata, non est dubitandum, quin virtus formatrix modo bene modo male operetur. Vnde quando anima, si vix operatur, malè operatur, procul dubio cum formare debeat fœtum affabre, & minimè illud facere possit, vt tum anima erret est necessarium, nempe ob sui ipsius vitium & in suo opere. Hoc verum esse multa exempla docere possunt. Nam relatum est a Sabellico tempore. Pontif. 4. mulierem peperisse fœtum cum pedibus vnguibusque vrsi, atque hoc iudicatum est non alunde prouenisse, quam quia in cubili erant multi vrsi depicti quibus deletis non amplius peperit huiusmodi vrsos. Non fuit causa materia, quia hæc erat satis copiosa, sed anima, hoc est vis imaginatrix, dum vtens semine, formaret hunc fœtum illis spectaculis repleta fœtum formauit eo pacto fere quo tuebatur. Sic etiam scimus illos, qui volunt in pecudibus fieri monstra, iubere vt videant semper monstrosa. Quare quanrum ego puto vera causa generationis monstrorum, posita est etiam in ipsius formatricis facultatis male ab anima gu-
Lib. 6. cap. 30 bernatæ, & non solum materiæ, vitio. Illud etiam dubium est Plin. scribit in Æthiopia, ibi semper insignis est monstrorũ prouentus, fieri homines, imo populos integros sine labijs, tum cum vno oculo, dubium, inquam, an sint monstra? Non videtur, quia raro contingunt monstra: at in Æthiopia fiunt integri populi. Respondeo has gentes posse appellari monstra & non monstra. Monstra, si respiciamus vniuersum genus humanum, huic enim cum sint valde dissimilia, monstra sunt, sin vero spectemus vniuersam regionem, nō sunt monstra, quia non errat in indiuiduo, sed in tota specie. Macrocephali ita orti sunt, quia vt
Lib. de aere, loc. & aq. Hipp. scribit lex & consuetudo hoc fecit primò, deinde natura etiam cœpit secundum hanc legem operari. Hoc de monstris videtur breuiter constitutum. Videndum iam an partus hic fuerit monstrum. Ego adduci certè non possum, vt hoc credam, quia tametsi monstra deberent esse dissimilia alijs secundum naturam constitutis, oportet tamen vt habeant aliquam similitudinem. Nam siue vrsi, seu canes generentur in corpore humano, semper habent partem aliquam hominem referentem. Scribit primum partum hunc totum fuisse carnosum, deinde sine ossibus, tum rotundum & magnitudine 4. digitorum. Quod ad primum, nullum monstrum reperitur pura caro, tum quod fiant animalia sine ossibus heri non potest, quia hæc sunt velut pali, quibus colligatæ partes corporis sustentantur: tum figura rotunda, quam sit aliena ab homine, nemo non videt. Igitur videre non possum, qua ratione, cum desint hæ conditiones, debeamus huiusmodi partum appellare monstrũ. Iurarem nihil aliud fuisse quàm molam, & vehementer cœcutisse, qui in aliam sententiam iuerunt. Hoc ita esse colligo ex conditionibus ab Hipppoc. allatis, quia erat pura caro, vt est mola, tum erat sine ossibus. Molæ non habent ossa. Erat figuræ rotundæ. Et molæ plerunq; sunt orbicularis figuræ. Erat magnitudinis 4. digitorum, vt molæ, plus minusue tamen, prout diu vel parum morantur in vtero. fuit ergo mola. Sed duo obstant, quo minus hoc vobis persuadearis. Quia appellat Hippoc. [illegible] puerulum, tum quia scribit habuisse maxima discreta, quæ forsan rationes illos induxere, vt crederent esse monstra. Quod ad primum, Hippoc. consueuit interdum appellare puerum, quidquid continetur in vtero, vt ex lib. de nat. pueri colligere potestis, & certè si velimus accipere significatio-

nem

sem pueri veri, non possumus verè puerum appellare, quia non habet ossa & alia. Ad alterum dicendum per maxima discreta non aliud intelligendum quam partes inæquales & separatas, non quasi haberet partes & viscera discrera, sed aliquas partes magnas inæquales & separatas. Qui enim fieri potuit, vt in mole carnea tam parua, facta sint viscera ita discreta. Sed cur illa laborauit difficultate respirandi vbi vterum ferret? Gal. citans hanc authoritatem, dicit difficultatem anhelitus fieri in prægnantibus propter organa obturata vel obstructa vel compressa. Sunt enim prægnantes vteri interdum adeo grandes, vt cōpressum diaphragma non possit seruire respirationi. Sed non poterat hæc mulier hac de causa hoc malo correpta esse, quia erat 4 digitorum partus. Neq; fuit propter obturationem quia nulla fuit causa adstringens, relata ab Hppocrate fuit ergo ab obstructione, quia cum partum præternaturalem haberet in vtero, non poterat a calore præternaturali consumi copia menstruorum, quæ erat porius frigida, propterea, cum abundaret sanguine menstruo factum est à natura, vt pars demissa sit ad pectus. Nam (vt Gal. scribit) in quibus monstrua retinentur, sequitur difficultas anhelitus. Ita in hac copia sanguinis pars in caput elata & conuersa in pituitam, & delapsa in bronchias pulmonum fecit difficultatem anhelitus. Postremo reuomuit in partu pus, quod vt intelligatis, debetis scire apud veteres & Hipp. omnem expulsionem ab ore factam hoc vocabulo apellatam. Dicunt etiam Poetæ euomere spiritum, hoc est mori. Itaq; cum ita vtitur Hippoc. solet etiam vti pro exitu materiæ cum tussi & screatu. Voluit ergo in partu reiecisse pus screatu. Quicunque inseruiunt parturientibus solent sternutationes & tusses lubenter excitare, quia isti motus magnopere iuuant ad auxiliandum partui. Itaq; cum obstetrices fortè hoc agerent, reiecit pus, genitum ex sanguine effuso in cauitatem thoracis tempore prægnationis, vel quia materia a capite præcipitata in pectus fuerat & in pus conuersa. Nam Hipp. scribit destillationem quæ præcipitatur in ventrem superiorem hoc est thoracem, verti in pus die vigesima.

3. de diff. resp. cap. 11.

Lib. de vena sect.

7. Aphor. 38.

Θυγατέρας τεκούσης διδύμας, καὶ δυστοκησάσης, καὶ οὐ πάνυ καθαρθείσης, ἐξῳδησεν ὅλη. ἔπειτα ἡ γαστὴρ μεγάλη ἐγένετο. τὰ δ' ἄλλα ἐταπεινώθη, καὶ ἐρυθρὰ εἶη μέχρι τοῦ ἕκτου μηνός: ἔπειτα λευκὰ κάρτα πάντα ἤδη τὸν χρόνον. Πρὸς δὲ τ' ἀφροδίσια οἱ ῥόοι ἔβλαπτον, καὶ οἱ ἄκρητα ἐρυθρὰ ἰκνεύμενα ἴει.

Eius quæ filias gemellas peperit, & difficulter peperit, & non admodum est purgata intumuit totum corpus: deinde venter magnus est factus, alia autem subsederunt, & rubra fluebant vsq; ad sextum mensem, deinde alba valde iam totum tempus. atq; hæ fluxiones veneri officiebant, & mera rubicunda fluebant.

Hæc historia Hippocr. non alia de causa est literis mandata, nisi vt verissimum esse demonstraret, quod scribit, si purperia vel imminuta sint vel retenta, vitæ ipsius esse perniciosissima. Ita vt dicat eas quæ nunquam pepererunt, laborare menstruis, quia puerperijs nunquam fuere purgatæ. At menstruis puerperia sunt deteriora, quia menstrua lædunt duntaxat quantitate & copia, puerperia verò propter insignem prauitatem vnà. Cum enim tempore conceptionis tetra & impura recrementa in vtero retineantur, necessarium est hæc excrementa tractu temporis contrahere prauam qualitatem & naturæ inimicam. Sed historia Hippoc. quæ fuit? Quod mulier quædam gemellas peperit, & cum difficultate, sed postea puerperia imminuta sunt, quas imminutiones sequuta sunt symptomata admodum diuersa. Nam primum toto corpore intumuit, hoc tumore delirescente vniuersum abdomen intumuit, & reliqua membra sunt valde extenuata per sex menses menstrua rubra habuit, reliquo tempore menstrua fuerunt alba. Sed cum venere vtebatur maximè leuabatur, & ita pro albis rubra effluexere menstrua. Hæc historia præclara est & scitu vtilis. Incipiamus ergo pro more nostro viuam huius anatomen facere. Interdum fœminam plures partus edere experientia docet, & veteres (inter quos primus

Li. 1. de mulier.

7 de hist. animal cap 4 & 4. de gen. animal. cap. 6. 9. de nat. animal. cap. 8.

est Aris. qui testatur interdum mulieres parare duos, interdum 3. interdum plures, vt fit in Ægypto. Hic enim propter fœcunditatem certum est interdum 3. fœtus edere. Sed si fides adhibenda est Auicennæ fuerunt interdum mulieres quæ ædiderunt fœtus 30. & nisi memoria me fallit ipse narrat se audisse interdum 70. fætus formatos esse editos. Sed hæc forsan videri possunt monstra naturæ. Illud est frequens mulierem gemellos ædere. Sed cum hoc sit certissimum, scire oportet partus geminatos duobus modis fieri, aut enim fiunt vno coitu aut pluribus, quem modum generationis appellant Medici superfœtationem, & hæc nonuunquam fieri solet post 2. 3. 10. dies, post mensem. Verum video hoc loco iure dubitari posse, qui fieri possit, vt fiat superfoetatio, quia Gal. sæpe scripsit statim atque conceptus factus est in vtero, adeo ipsius os concludi, vt neq; acus penetrare possit? Si quæ scribit Hippoc. & Arist. expendantur, non difficile est inuenire rationem. In libro primo enim seu hoc ipso sæpe scriptum habemus matricem mirum in modum delectari semine, & ita, vt illud auidissimè attrahat: id cum in omnibus est, in aliquibus tamen magis. His itaq; appetentibus admodum, & calidis, fit vt in coitu natura vteri semine delectata illud auidissime attrahat, atq; adeo, vt eo fruatur, aperit etiam os. Sed & Arist. scribit huiusmodi superfoetationem in alijs animalibus valdè raro fieri, in homine non ita rarò; quia illa, vbi conceperunt, marem non admittunt amplius. Vna mulier, vbi concepit, fert virum. Et aliqua olim rogata, cur grauida virum admitteret, dixit: non enim sum bellua. Est ergo clarissima ratio fætus geminati in superfætatione. De pluralitate verò partuum ab vno coitu, non ita constat apud omnes. Empedocles enim, vt habet Gal. (qui est Aetij potius) dixit plures partus non aliunde fieri, quam quando semen copiosum est & discretum, vt virtus formatrix integra, cum in duas partes seminis agat, formas duas inducat. Asclepiades magnus tempore Pompeij non aliunde dicit oriri, quam a peculiari seminis natura. Nam videmus, inquit, aliquod hordeum ita comparatum, vt 3. ordines spicarum proferat, aliquod vnum duntaxat gestare. Sic semen mulieris interdum vim habet producendi vnum, aliquando plures fætus. Erasistratus aliam sententiam habuit, fieri scilicet propter auidam apprehensionem ipsius seminis, ita vt cum vterus auide attrahat, duos vel plures fætus seu conceptus faciat. Postremo opinio fuit Stoicorum, qui existimarunt fieri duntaxat ob varietatem & pluralitatem loculorum in vtero. Imaginabantur hi in vtero esse loculos seu cellulas separatas, seu cancellos, in quibus si semen recipiatur vt in vno vel pluribus sic vnum vel plures fætus ædere. Ita sensit quoq; Auicenna qui manifestissimè dixit geminos partus, fieri propter pluralitatem loculorum, & varietatem ipsius vteri. Hæc opinio quamquam fuit Stoicorum & Auicennæ, fuit tamen multò antiquior. Nam Arist. hanc euidentissimis argumentis refutare conatus est, & vsus inter alia, argumento anatomicorum. qui nugas esse aiunt existimare tot esse loculos. Nulla ergo ex his sententijs mihi placet, & ideo eam quam ego veram autumno, vobis proponam quam vt rectè intelligatis, hinc exordiar. Arist. quærens rationem, cur in alijs animalib. gemini partus seruantur, etiamsi alter masculus, alter fæmina sit, in homine autem rarò, inquit, homo natura parit vnum tantum, & parere plures est homini præter naturam. Hoc etiam dixit. Sed dubitari possit, cur homo naturaliter pariat vnum, & bruta plura. Videtur enim natura in hoc esse accusanda, quia si homo est animal præstantissimum, deberet natura magis studere huic propagando? Arist. qui vidit hunc nodum, dixit hominem a natura esse vniparum propter sui corporis magnitudinem, quasi dicat, cum homo in vtero formetur, & secundum proportionem sui valde magnus euadat, si alius adesset, non procrearetur. Sed puto ego plures alias rationes adferri posse, inter quas hæc vna est. fuit natura non tantū sollicita, vt generaretur homo, sed vt etiam conseruaretur. Vnum conseruare multò melius est, quam plura. Tum reliqua animalia minus viuacia sunt, quam homo. quia, vt habet Arist. homo & elephas sunt viuacissimi omnium animalium. Et fabulæ sunt quæ de coruo & ceruo referuntur. Cum ergo hæc minus diu viuerent, necessarium fuit propagare plura. Homo est viuacior, quia humido & calido primigenio plurimo abundat, Ita fit, vt quæcunq; mulieres duos vel plures gestent, non solum deterius valeant,

Lib. de superf. 4 de gen. animal. cap. 4. — *Lib. de plac. philos.* — *21. fen. 3. lib. trac. cap. 2. et 17.* — *4. de gen. animal. cap. 4.* — *10 sect. probl. 30.* — *4. de gen. animal. cap. 4.* — *4. de gen animal. cap. 4.* — *De long. & breu. vita. c. 3*

sed

sed post partum deterius etiam habeant, quia opera quæ fiunt præter naturam violenta sunt, habetantque & frangunt naturam. Hæc hactenus, quæ quam aptè applicentur huic historiæ, nunc videamus. Dicit enim peperisse gemellos & difficulter. Quod gemellos pepererit, secundum Aristot. hinc fuit, quia copia seminis in ipsa abundabat, & vt rectè intelligatis Aristotelem illud supponatis cum illo, magnitudinem cuiusque corporis esse præfinitam, ita vt rarissimè aut nunquam ea excedatur. Vbi ergo in muliere abundat semen, natura non assumit illius, nisi quantum putat sufficere ad iustam magnitudinem fœtus. Reliquo vtitur, si sufficiens sit, natura ad efformandum alium fœtum, adeo vt semper procreatio gemellorum iuxta Aristot. & verè, fiat a copia seminis, vt iam dixi. Cur autem iam mares, iam fæminæ, iam simul mas & fæmina fiat, est ex potentia seminis alterutrius, quia si semen viri semper excedat, fiunt mares, si fæminæ, femellæ, si vtriusque, fit mas & fæmella. In hac muliere rationi consentaneum est exuberasse semen muliebre, quod frigidius est & cum copiosum esset, natura fecit gemellas. Sed cur difficulter peperit? Illud compertissimum est & ab Aristot. confirmatum, mulieres dum vtero gerunt semper male valere, quia hæ vitam exercent sedentariam, otiosamque, quod non faciunt bruta: tum mulieres brutis magis abundant menstruis, & propter has causas mulieres peius habent, quæ vterum ferunt. Hinc olim iurisperiti legem tulerunt, vt quicunq; prægnantes venderent, nunquam eas sanas præstarent. Hæc ergo malè valebat, quia erat prægnans, tum quia gemellos habebat, nam si ab vnico malè valent, quanto magis a pluribus? Sed hac etiam de causa malè habebat, quia si mulieres, quæ habent marem in vtero, melius purgantur, & sunt formosiores, quis non videt, quod quæ fert gemellas, debeat pessimè valere? Cum hoc ita sit, & malè valuit, necessariò difficulter peperit. fæminæ semper difficilior est partus, quam maris, quia fæminæ minus se mouent, & propterea minus nixui auxiliantur. Contra mas, cum sit robustior, magis se mouet & adiuuat partum facilemque reddit. Quod si verum est in vnius tantum fæminæ partu, quantò magis in duarum esse debet, eoque magis, quia cum necessarium sit, vt partus sit facilior, vt prægnantes spiritum vehementer contineant, quæ dum vtero gerebant malè valebant & propterea imbecilles sunt redditæ, fieri non potest, vt vehementer spiritum contineant & ita difficulter pariunt hæ. Sed qui nam factum est, vt ei etiam puerperia sint imminuta? Hoc etiam summa cum ratione accidit. Primum cum fæminæ fuerint, consentaneum est naturæ ac rationi frigidiusculam fuisse materiam, & consequenter ad motum pigriorem, vnde ob facultatem expultricem debilem imminuta ei sunt puerperia. Dicebam initio ex Hipppocrate lib. de morb. mulier. puerperia inhibita incredibiles & sæuissimos affectus parere; si retineantur in vtero, putrescunt, putrescentia subitos interitus adferre solent, præfocationes, deliria. Si non retinentur in vtero, vel in totum corpus, vel in aliquam partem profundi solent. Natura in hac muliere effudit in habitum corporis, hoc enim vniuersum intumuit, quia effusus sanguis teter in corporis habitum hyposarcam seu anasarcam fecit. Sed qui factum est, vt is tumor euanuerit, & vniuersum corpus detumuerit? Hac ratione, quia materia puerperiorum in hac ob frigiditatem erat aquosa, ideoque fuit diffusa per totum corpus; quia autem erat aquosa, partim est dissipata, partim pulsa est in abdomen, inter peritoneum & intestina, vnde reliquæ partes corporis sunt emaciatæ & venter intumuit. Sed dubium, an hic tumor fuerit verè hydrops. Ego mehercle non possum adduci, vt hoc credam, duabus de causis. Primo quia si fuisset vera hydrops non sequutus esset fluxus ruber sex mensibus, vt huic contigit. Præterea hæc (vt intelligitur ex Hippocrate) interdum habebat consuetudinem cum suo coniuge. Quis autem hydropicam tangat, aut quomodo hæc virum sustineat? Ergo verisimilius est fuisse affectionem hydropicam, sed non veram hydropem. Sequitur vt videamus, qua ratione effuderit sanguinem ab vtero sex mensibus. Interpretes huius loci dixerunt factum esse, quia in vtero

P vlcus

vlcus erat, scimus enim ab vlceribus fere profundi sanguinem. Sed hanc sententiam laudare non possum, quia cum huiusmodi profusionem sustinuerit sex menses, si fuisset vulcus, necessarium erat, vt fistulosum euaderet, attamen curata est, vt apparet de fisse hunc fluxum. Tum experientia docet, vbi vterus laborat vlceribus, sæuissima symptomata fieri. Cum autem tacuerit cuncta alia symptomata, verisimile est nulla alia fuisse. Quare puto ego nihil aliud fuisse quam fluxum menstruorum immoderatum, quia sanguis ipsius tenuissimus erat & aquosus, propter quod non facilè in vasis continebatur. Neque mirari oportet sex menses durasse, quia experientia quotidiana docet annos integros durasse. Habemus exemplum vnius quæ mirificè curata est a Christo, quæ passa est fluxum huiusmodi duodecim annos. Sed qui factum est, vt deficerit post sex menses, & cæperit fluor albus, qui deinde toto tempore durauit? Ex longo fluxu sanguinis calor naturalis admodum hebetatus fuit, & vniuersus corporis habitus refrigeratus. Quo factum est, vt functiones naturales admodum labefactatæ sint & præsertim coctio, & incæpit produci insignis copia materiæ pituitosæ & crudæ, quæ (vt fit in mulierum fluxibus) fluxa a toto corpore in vterum peperit tandem huiusmodi fluorem album; qui vbi diu durat, solet detrimenta singularia adferre, dolores dorsi, totius corporis extenuationes, pallores, & præ cæteris adeo humectat vterum, vt veneris appetitus penitus extinguatur, qui quidem collocatus est in calore. Quod quidem huic mulieri contigit, quippe quæ dum diu passa esset hunc fluorem album, dicitur læsa fuisse a venere, quod intelligendum, semper abhorruisse veneris vsum. Sed vt vt sit, vtebatur interdum venere sed ex vsu illius ita lædebatur, vt sanguinem profunderet, quia ex concubitu venereo certum est loculos incalescere & venas alioqui conclusas facilè hiare, & propterea sanguinem profundere. Nam Hipp. inter alia, ob quæ laudat venerem, est quod ex vsu veneris proueniunt menstrua. Hæc est integræ historiæ interpretatio. Sed dicet aliquis, quomodo medendum esset huic casui? Quando fluebant menstrua, erat alia ratio medendi, quam vbi albi exibant fluores. Nam vbi immoderatè fluunt, his occurrendum, & paulatim diuersionibus & medicamentis impetus sanguinis retardandus. Secus est in fluore albo, in quo cauendum, vt nunquam adstringentibus vt animi, vel fluxum cohibeatis, quia materia illa turpis & sordida, vbi impedita est ferri ad vterum, conuersa ad partes nobiliores, solet ingentes ruinas facere. Prius corpus expurgandum esset, & præsertim agarico. Hoc facto, totum corpus exiccandum & calefaciendum modicè foret vsu decocti vel chinæ vel ligni guaiaci facti in iure & præsertim vsum sudationis suadere soleo, quia cum humor peccans est in totius corporis ambitu, nihil æquè exiccat, atque sudatio. Galen. lib. de præcogn. ad Posthumum testatur se curasse vxorem Boethij vsu remediorum diureticorum. Et ego quoque imprimis soleo huiusmodi rationem sequi. Sed vtcunque sit, semper solet hic morbus difficillimus esse, & raro euadunt, vt iure dixerit huic fluorem album durasse toto tempore.

1. de morb. mulier.

Τῇσι χρονίῃσι λειεντερίῃσιν ὀξυρεγμίη γινομένη, πρόσθεν μηδέποτε γενομένη, σημεῖον χρηστὸν, οἷον Δημαινέτῃ ἐγένετο. Ἴσως δ' ἐστὶ καὶ τεχνήσασθαι· καὶ γὰρ ταραχαὶ αἱ τοιαῦται ἀλλοιοῦσιν. Ἴσως δὲ καὶ ὀξυρεγμίαι λειεντερίην λύουσιν.

Diuturnis leuitatibus intestinorum, acidum ructum fieri, antea nunquam factum, signum vtile, vt Demæneti accidit. fortaße autem est & arte facere: etenim turbationes huiusmodi alterant. fortaße autem & acidi ructus leuitatem intestinorum soluunt.

Præsens sententia, quæ nullam habet cum præcedentibus connexionem, est veluti pu-

rus quidam Aphorismus, & transtulit Hippocrates hanc sententiam in 6.lib.aphor. 1. Sed illud verum est, in illo multa omisisse, quæ hoc loco habentur, & nonnulla permutasse, quia in Aphor. 1.lib. 6. dicit, Si vomitus acidus, qui ante non fuit, lienteriæ superueniat, bonum ἀγαθὸν, hic loco eius vocis inquit χρηστὸν, adeo vt hæc sententia copiosior sit & diuersa ab illo in Aphor. Est autem tota sententia huiusmodi. Leuitati intestinorum si superuenerit vomitus acidus, qui ante non adfuit, vtile est, & forsan bonum est arte facere, siquidem perturbationes eiusmodi immutant, & forsan ructus illi acidi lienteriam soluunt. Hæc præclara dictio Hippoc. duas præcipuas habet partes, nempe sententiam & huius probationem. Sententia hæc est. Ructus acidos superuenientes lienteriæ, esse bonos & forsan bonum est eos arte facere. Probatio hæc est, huiusmodi perturbationes immutant, & forsan ructus soluunt lienteriam. Tota hæc sententia in syllogismum redacta ita habet. Id quod sponte fit à natura & iuuat, arte etiam facere expedit. Sed ructus acidus factus in lienteria iuuat, propterea bonum est, vt Medicus huiusmodi ructum procuret. Maior propositio ab omnibus medicis confirmata est, scilicet medicos semper debere imitari naturam rectè operantem. Minorem probat, quia immutationes morborum iuuant, & forsan huiusmodi ructus acidi soluunt lienteriam. Mutationes morborum iuuare plurima exempla docent. Rigor (inquit Hippocrat. febri superueniens eam soluit. febrem conuulsioni superuenire bonum. Sed huius sententiæ priusquam viuam anatomen aggrediamur, operæpretium est videamus, cur Hippocrates hic multò copiosierem habuerit sententiam, quam 6. Aphoris. 1. & cur dixerit χρηστὸν ibi vero ἀγαθὸν. Nam Hippocr. nihil otiosum vnquam scripsit. Dum hos libros conscribebat ipse, semper adnotare consueuit, quæ nondum penitus confirmarat experientia. Vbi verò scripsit aphorismos, iam senex, nihil in his scripsit, quod longa experientia non probasset, propterea cum nondum explorasset, an verè ructus acidus solueret lienteriam, tum an bonum esset prouocare ructus, addidit (forsan) vt sententiæ nondum confirmatæ experientia. In aphorismis verissimum adnotauit & vsu longo probatum ructum acidum lienteriæ superuenientem bonum esse. Reliquum est videre, quo pacto hæc sententia vera sit, scilicet ructum acidum superuenientem lienteriæ esse vtilem, & an huiusmodi ructum facere possimus, & vtrum ructus acidus soluat leuitatem intestinorum. Hæc minimè intelligere potestis, nisi sciatis quid sit lienteria, & ructus acidus. λειεντερίη à Græcis dicta, vocatur à Celso leuitas intestinorum, qui & Gal. describentes hunc affectum dixerunt lienteriam fieri, quotiescunque celeriter eijciuntur assumpta, siue sint edulia siue potulenta per aluum & ea quidem minimè mutata, siue vt Hippoc. scribit ἄσηπτα idest impútrefacta. Nam fuit mos veterum Philosophorum appellare σῆψιν coctionem, & Hippocrates quoque ita loquitur. Quis sit locus affectus in hac ægritudine dubitatum est. Veteres existimarunt esse intestina, propterea appellarunt leuitatem intestinorum. Sed Gal. hanc sententiam refutauit & iure, quia si locus affectus essent intestina, non esset necesse, vt cibi non mutati exirent, quia cum prima mutatio fiat in ventriculo, necessarium esset, vt vbi ille bene valeret, & intestina malè, vt cibus mutaretur. Locus itaq; verè affectus est στόμαχος. Hic (vt habet Gal.) solet lædi dupliciter, vel offensa facultate ipsius vel propter aliquod externum. In lienteria fieri non potest, vt afficiatur ventriculus propter errorem externum duntaxat, quia errores externi non durant, nec possunt facere tantam ruinam, nisi introducant morbum, nam etsi humores, vel aliæ causæ possunt efficere, vt semel exeant incocta non possunt tamen efficere, vt perdurent, nisi introducatur morbus. Læditur ergo facultas, idque vel per se vel per accidens. Per se, à temperamento, per accidens, morbo instrumentali. Et non dubito, quin hic fuerit læsa facultas tum ob morbum in intemperie, tum in mala conformatione, tum deniq; soluta vnitate. Primum autem si fiat tumor inflammatorius, vlcus certissimum est partes eius ita affectas minimè pusse contrectari acriùs, & propterea statim expultrix facultas excitata eijcit illa. Pariter morbus in intemperie producit hunc affectũ, quia facultas ratentrix operatur siccitate potissimũ & calore. Vbi igitur insigniter

Li. 4. cap. 16. 6. Aphor. 1.

3. de sympt. cau. cap. 1.

refrigeratur & humectatur, certissimum est facultatem retentricem magnopere lædi; vbi non retinetur, facultas non operatur, quia hæc tempore operatur, atq; ita fit vt immutata exeant, vt causa huius affectus sit vlcus vel intemperies & cum materia pituitosa & præsertim acida. Nam illud habet sapor acidus, vt quemadmodum fermentat terram, ita etiam acore illo percutiat ventriculum & offendat facultatem eius. Sed dicet aliquis, potest etiam fieri affectus hic a dysenteria, vt Celsus testatur? Respondeo duobus modis posse ab illa produci: primo quando humor acris & mordax, qui vlcerat intestina effunditur etiam in stomachum & vlcerat. Potest etiam fieri quando diuturnitate sua dysenteria ita refrigerat & humectat ventriculum, vt penitus omni retentrice facultate destituatur. Iam vt intelligatis, cur ructus acidus bonus sit in lienteria, superest vt videamus, quid sit ructus & quid ructus acidus. Ructus a Græcis dicitur ἐρυγμὸς Ructus acidus ὀξυρεγμία. Est autem efflatio seu emissio ab ore flatus crassi partim voluntaria, partim naturalis & acidum saporem præ se ferens. Dicitur emissio ab ore, quia hoc est proprium genus huius affectus. Et dicitur flatus crassi, ad differentiam oscitationis, cum hoc quoq; sit emissio flatus sed tenuis. Dicitur partim voluntaria, partim naturalis, quia si recte natura huius affectus expendatur, quia naturalis facultas est, ea quæ videtur efficere hunc motum, naturalis est, verùm quia in potestate nostra est facere & non facere, hinc iure dicitur partim voluntarius. Sed si est volontarius, cur Aristoteles

33 sect. probl. 15. dixit ructus magis fieri in dormientibus quam vigilantibus? Puto aut Aristot. fefellisse, aut errorem esse vnius literæ in textu Græco, qui fecerit Gazam in transferendo errare. Siquidem experientia docet dormientes aut raro aut nunquam ructus edere: tum Stoici existimant hunc motum esse vnicuiq; liberum. Dicitur postremò acidum saporem referre, quia varij & diuersi sunt sapores hinc ructus acidus, quia habet saporem acidum. Ex hac distinctione facilè patet esse symptoma in genere excretorum & quia symptomatum alia sunt primaria, alia secundaria, cum sit opus ab actione ventriculi viriata, ructum secundarium esse symptoma patet. Adeo quod facilè constet locum propriè affectum esse ventriculum, id quod habet etiam Arist. 33. probl. 17. Causæ huius vel sunt errata vel morbi. Errata, vt vigilia, otium, copia ciborum & potuum præsertim, propterea

Lib. 4 expeditionis Cyri. quod verè Xenophon dicebat apud Persas magnum opprobrium fuisse flatum emittere, quia signum esset eos intemperanter & otiosè viuere. Qua etiam ratione Plin. laudabat

Lib. 7. cap 19. Antoniam Drusi, & consularem Poetam & Pomponium, quod hic nunquã eructasset, illa

2. meteor. sum. 2. cap. 1. nunquã expuisset. Præter hæc errata, causæ eructationis sunt morbi & intemperies cum

6. Aphor. 1. materia seu sine materia. Esse intemperiem frigidam probari potest ex Arist. & Gal. qui

10 sect. Prob. 43. scribunt ventos & flatus necessario proficisci a calore imminuto, quia si calor sit prorsus

Lib 6. cap 6. ablatus, non fiunt venti neque excitantur flatus, si sit robustus, excitantur quidem, sed

3. veterinaria statim dissipantur vt in æstate. Antequã causas eructationis indagemus, oritur problema,

cap. 3. vtrũ verum sit, quod scribit Arist. neq; iumenta, neq; aues, neq; ruminantia eructare. Veruntamen Columella & Veget. inter signa, quib. cognoscitur bos cruditate laborare, proponunt eructationem, ita vt non videatur verum, quod Arist. scribit. Dicendum ructus emitti posse, vel a corpore alioqui sano, vel ab ægro. Si de sanis loquamur, solus homo eructat propter errores vitæ & nimios cibos. Et ita est intelligendus Arist. Si de ægris, possunt boues & alia animalia eructare, sed dum sana sunt, minimè, quia iumenta habent colla oblonga, ita vt ventus qui generantur in eorum ventriculis potius deorsum feratur, quam sursum, tum aues siccæ, siccis cibis vtuntur & propterea consumunt humiditates, nec sinunt conuerti in flatus. Ruminantia vero cum habeant quattuor ventres, flatus in ipsis generati minimè possunt exire, quia retenti prius dissipantur quam exeant. Superest

8 meth. cap 5. vt videamus quæ sit causa aciditatis in ructibus. Gal. sæpe dixit, ructus acidos semper fie-

& 6 Aph. 1. & alibi. ri a causa frigida, imo dicebat loco citato meth. non fieri febres a cruditate acida propter

7. Lib. cap. 1. frigus. Sed contra eum est Alex. Tralli. qui nititur demonstrare fefellisse Gal. scribentem a sola frigiditate fieri acidos ructus, quia vena æquè acescant in locis calidis quam frigidis.

gidis. Auerrhoes item idem censet, quia calor natiuus non solum corrumpitur a frigore 3. collect. 32.
sed vna a calore extraneo. Confugere oportet ad rei naturam & Gal. Ille enim præclaram 4 simpl. med.
tractationem habuit de saporibus, & inter cætera de acido, vbi dicit inter alia duos esse sa cap. 12.
pores acidos, alium, qui sequitur cruditatem, alium qui sequitur corruptionem. Qui fit propter cruditatem, fit propter aquosas partes permistas terrestribus, vnde fructus, qui initio sunt acidi calore solis dulcescunt, quia pars aquosa crassescit, & pars crassa extenuatur, nempè terrestris, vnde fit vt aciditas, quæ sequitur cruditatem conuertatur in dulcedinem per coctionem. Aciditas autem quæ sequitur corruptionem fit etiam a frigore, sed potissimum a calore, & fit, quia humiditas, quæ alioquin erat coagulata, a calore liquescit, & pars terrestris terrestior euadit, & hinc fit, vt plerique fructus dulces euadant acidi per corruptionem a calore, vt ficus siccæ corruptæ a calore vsq; adeo sunt acidæ, vt ex ipsis plerisq; nationes faciant acetum acerrimum, quale est exemplum Galen. quod dat de vino, quod acescit locis calidis & temporibus calidis. Ita vt Gal. non neget fieri interdum acorem a calore, & si Trallianus ingenij impotentis vir considerasset verba Galeni, non ita temerè illum damnasset. His ita constitutis videamus quam accommodatè dicat bonum esse, vt in lienteria, succedat ructus acidus. Lienteria fit a summo frigore, ructus acidus siue fiat a frigore siue a calore, semper fit a calore diminuto, adeo vt vbi est ructus, semper ibi necessario est calor. Si ergo lienteria fit a summo frigore & ructus a calore diminuto, quis non videt bonum esse transitum ab insigni frigore ad calorem debilem, quis non sciat bonum esse calorem extinctum fere reuiuiscere & quodammodo reuocari. Sed cur dicit, ructus acidi, & nisi prius extiterit? Certè bonum est superuenire lienteriæ quemcunque ructum, quia signum est calorem paulatim resumere vires, sed addidit acidum, quia cum acidus ructus sit omnium deterrimus, & fiat semper a frigore, si hic bonus est lienteriæ superueniens, quanto magis alius ructus bonus existimandus erit? Addidit autem, si prius non fuerit, quia si ructus fit acidus, & dein superueniat lienteria, hoc fit propter pituitam acidam, quæ lienteriam peperit, & signum est fieri a pituita acida, ideoque nihil bonum significat. Sequitur vt videamus, an verum sit huiusmodi mutationes curare morbos. Quotidiana experientia docet morbos morbis superuenientes sæpe curare. Dolor (inquit Hippoc.) dolorem sedat. Sed de hoc iudicium faciendum est, quia mala, quæ superueniunt alijs, aut sunt diuturna, aut acuta, & superueniunt vel diuturnis vel acutis. Si diu- 2. Aphor 46.
turni affectus superueniunt diuturnis, non soluuntur; si acuti acutis, pessimum, quia natura fracta quodammodo a morbo acuto, si superueniat alter, magis laborat. Sed si acuti superueniant diuturnis, bonum est, vt Alcippo contigit. Hic (vt scriptum est ab Hipp.) 4. Epid. propè
laborabat insania, & superueniente febre acuta liberatur ab insania & febre: quia materia finem.
diuturnorum morborum consumitur a vehementi calore morborum acutorum, præterquam quod acuti morbi vbi iudicantur per euacuationes, solent finire non tantum propriam materiam, sed diuturnorum quoq; morborum. Ita morbi diuturni si superueniant acutis bonum est. Sic scribit Auerrh. 7. coll. se fuisse liberatum ab acutissima & lethalissima febre ob superuenientem articularem morbum. Igitur dixit iure, forsan hæ perturbationes iuuant, quia videbat hoc in vniuersum verum non esse, sed addita distinctione. Dicit Hippoc. forsan optimum esset prouacare vomitum. Sed quomodo fieri potest hæc prouocatio? Gal. exponens ea verba Hippoc. Eructatio est quandoq; vtilis: inquit non- 6. Epid. com.
nullos voluisse Hipp. docere eructationem quandoq; prodesse, quia fit veluti quædam 2. tex. 32.
exercitatio ventriculi, & propterea corroboret os ventriculi. Quo autem modo liceat hanc parare, docet Gal. duos faciens modos. Vnus est vt omni diligentia prouocetur hic motus, alterum dicit esse, potare ex vase oris angusti, & vtitur testimonio Sabini sui præceptoris. Et puto ego huiusmodi instrumentum Sabino familiare (nisi quidpiam peculiare habuit) iuuasse ad eructationem faciendam, quia ex potu è vase oris angusti fit motus tunicæ mouentis ventriculum, vnde magis excitatur facultas expultrix ad depellendum hunc flatum. Sed Hippoc. vult dicere forsan prodesse, vt medicamentis externis vel internis paulatim calefiat ventriculus, vt ita incipiat alterare cibum, & ex cibo alterato fia

tum

6. Aphor. 1. tum educere & eructationes facere, quia dubitat & Hipp. an soluant lienteriam. Esse bonos, quia significant bonum, manifestissimè dixit. Quod autem sint causæ boni & soluant dubitanter hic ait & summo iudicio sanè, quia verè si procreetur eructatio, potest aliquo pacto soluere lienteriam, quia si eructatio est exercitatio oris ventriculi & hæc corroborat os ventriculi, certissimum est hoc ipso corroborato corroborari & totum ipsius corpus, & ita multò melius retineri cibum, vt verè possit vtilis nuncupari ructus acidus in lienteria, quia vsq; adeo in hoc affectu calor est hebetatus, vt egeat maiori auxilio, & hac ratione prudenter dixit, forsan eructatio acida lienteriam soluit.

ἰάθη ἐλλεβόρου πόσει. Λυκίη τὰ ὕστατα. σπλὴν μέγας, καὶ ὀδύναι, καὶ πυρετὸς, καὶ ἐς ὦμον ὀδύναι, καὶ ἡ φλὲψ ἡ κατὰ σπλῆνα, ἐπ' ἀγκῶνι ἐτέτατο, καὶ ἔσφυζε μὲν πολλάκις, ἔστι δ' ὅτε καὶ οὐκ ἐτμήθη, ἀλλ' ἅμα ἱδρῶτι διῆλθεν, ἢ αὐτόματον. ἐξ οὗ δὲ ἰόντων ὁ σπλὴν τὰ δεξιὰ ἐνετείνετο, πνεῦμα ἐνεδιπλασιάζετο, οὐ μὴν μέγα. παρεφέρετο. περιεστέλλετο φῦσα ἐνοῦσα. οὐ διῄει κάτω οὐδὲ οὔρει. ἀπέθανε πρὸ τοῦ τόκου.

Sanabatur hellebori potione Lycia. Postea splen magnus, & dolores, & febres, & in humerum dolores, & vena quæ secundum splenem, in cubito secabatur, & pulsabat quidem sæpe aliquando autem non fuit secta, sed cum sudore abijt, aut sponte. Ex quo autem abierunt, splen in dextra intendebatur, spiritus intro duplicabatur, non quidem magnus. delirabat, contegebatur, flatus inerat non deijciebat deorsum quidquam neq; mingebat. Mortua est ante partum.

Præsens historia digna est commemoratu, ex qua medici discant, quam periculosum sit in eos incidere, qui nimis delectantur purgantibus vti. Hæc enim cum vterum ferret, torsiones & nausea ipsam malè habebant, inciditq; in medicum & potius empiricum, qui dedit ei helleborum idq; satis imprudenter: quæ ita purgata est, vt visa sit sanari. Scimus autem omnes insignes purgationes mirum in modum leuare homines. Visa itaq; est sanari, & forsan medicus gloriabatur se illam curasse. Sed factum est vt ei magnopere intumuit lien, quem tumorem sequuta grauissima symptomata, tandem ipsam ante partum perdiderunt. Quæ autem fuerint hæc symptomata, vt rectè intellectu & memoria complecti possitis, sunt redigenda ad propria capita. Quamobrem, quod ad actionem læsam, mulier hæc delirabat, habuit ingentem pulsationem venæ cubiti sinistri, & licet spiritus vehemens non esset, tamen, vt inquit Hippoc. reduplicabatur. Quod spectat ad excrementa præter naturam, sudauit, & sudore lenita est illa pulsatio, antequam periret. Vrinæ & fæces etiam sunt impeditæ. Ex qualitate mutatis dolorem humeri sinistri febrem & tumorem lienis in dextro latere habuit, remediorum non meminit, nisi venæ sectionis, & scribit ipsam perijsse ante partum. Hæc est tota historia, ex cuius contemplatione arbitror vos intellecturos, quæ neutiquam penitebit audiuisse. Est autem Gal. sententia semper actiones læsas aliquem morbum sequi. Vnde cum in hac muliere actiones fuerint læsæ, oportet morbum inquirere. Gal. & alij existimarunt correptam fuisse inflammatione lienis. Siquidem si expendantur symptomata, certè reperietur, præcipuum huius & periculosissimum affectum fuisse inflammationem lienis. Inflammatio est tumor calidus, durus cum pulsu & febre, quæ omnia in præsenti historia sunt relata. Cæterum inflammationis aliæ sunt causæ externæ, aliæ internę. Interna causa est sanguis, & quia proposita mulier laborauit secundum lienem, rationi consentaneum est hanc introductam fuisse a sanguine melancholico. Scio Arabas ferè omnes existimasse inflammationem lienis a bile fieri. Imo Hipp. dat signum, quando malis vlceribus scatent & os fætet. Non possum ego credere vt inflammatio lienis fiat a sanguine bilioso; potest quidem misceri aliqua eius portio. Habuit ergo causam coniunctam melancholiam. Causæ externæ plures & inter alias est apud Hippoc. calefactio a sole, sed in hac misera muliere non fuit alia, quam importuna administratio hellebori. Siquidem helleborus maximam agitationem in cor-

De diff. symp. cap. 4.

Lib. de aff.

in corpore facit, maximam in sanguine ebullitionem, & suo immenso calore solet etiam
viscera labefactare. Propterea cum hæc sit vsa helleboro, non est mirum, si incaluit ve-
hementer lien, & ita inflammationem contraxit. Iam sequitur vt videamus, quo pacto
hunc morbum tot sequuta sint symptomata. Primùm enim delirium factum est, quia vi-
scera omnia inflammata solent feruidos vapores ad caput mittere, qui perturbantes spiri-
tum animalem mentem confundunt. Et hoc scripsit Gal. vbi recenses signa pleuritidis *De causis pul-*
inter alia delirij etiam meminit. Iure itaq; factum est vt delirium subsequutum sit hanc *suum.*
inflammationem, & eò maximè, quia hæc inflammatio solet præcipuè afficere caput, vnde
Hippoc. dicebat affici ora aut gingiuas, aut fluere sanguinem è naribus, aut vlcera fieri in
cruribus. Circa pulsationem venæ cubiti scire debetis apud veteres nomine venarum
intelligi arterias. Dicunt ita quoq; Poetæ medicos tangere venas, hoc est arterias. Tum
Hipp. rarissimè fecit mentionem pulsus, & quotiescunq; notat Hippoc. pulsum scire licet
vehementem fuisse admodum arteriarum motum, & ita quidem, vt non solum tactu, ve-
rum etiam visu percipi posset. Huius pulsus non alia fuit causa quam copia vaporum fer-
uidorum, & notate de hoc pulsu venæ cubiti dixisse Hippoc. vbi pulsat hæc vena, mania- *4. sect. huius*
cum esse & furibundum. Et Gal. dicit eos qui habent à natura hanc venam pulsantem, *lib.*
valde, esse à natura iracundos. Vt propterea iure factum sit vt simul habuerit hunc pul- *6 de plac Hip*
sum & delirauerit. siquidem hic pulsus semper significat insaniam siue naturalis sit siue *poc. & Plat.*
præter naturam. Habuit præterea spiritum reduplicantem. Appellatur spiritus redupli- *c. 9. & 2. præ-*
catus, quotiescunq; inspiratio bis fit immediatè sine vlla expiratione, quasi velit dicere *gnost. & lib.*
immediatè repetitam inspirationem. Hic spiritus duas causas habere solet, vnam quan- *quod animi*
do nerui ita affecti sunt, vt nequeat fieri expiratio per musculos; altera est delirium. Deli- *mores corp. tẽ-*
rantes enim agitati varijs imaginibus solent obliuisci inspirationis, quo fit vt quasi rede- *per. seq c. 8.*
untes ad mentem replicent respirationem. In hac muliere vtraq; de causa contigit, cum
propter delirium, tum quia credibile est affectum fuisse principium neruorum, quia abo-
lita est mictio & fæcum deiectio. Quod spectat ad excrementa mutata sudauit hæc mulier
quia vapores, qui sanguini commiscebantur a loco inflammato depulsi ad cutim, conuersi
sunt in sudorem, & hoc ita esse facilè ex eo colligi potest quod dicit pulsationem desijsse in
sudores vaporibus iam dissipatis & consumptis, tum retenta est excretio fæcum & vrinæ.
In illis qui morituri sunt, quique vehementissimè laborant, functiones naturales pereunt
calore naturali extincto, vel principio operationum læso. In hac existimo functiones na-
turales & animales fuisse abolitas ex inflammatione vehementi, tum, cum laboraret neruo
rum principium, minimè potuit illustratio facultatis venire ad musculos auxiliatores hu-
ius operationis. Itaq; iure suppressa sunt vrina & fæces. De qualitatibus mutatis. pas-
sa est dolorem & humeri sinistri, quia in omnibus inflammationibus est dolor, quia adest
intemperies, solutio continui, & mala compositio. Quare his omnibus concurrentibus
iure factus est dolor. factus est in humero sinistro, quia lien laborabat, vnde necessum
erat, totam partem sinistram esse affectam a vaporibus a parte affecta elatis. Habuit fe-
brem, quia vbi viscus aliquod inflammatur, semper putridi vapores in cor mittuntur, qui
illud ponunt in calefacto esse, & febrim accendunt, imo vbi viscera inflammantur quæcun
que sint, solent febres ardentes fieri. Sed dicetis, quomodo nominat febrim in inflam-
matione lienis, siquidem Gal. inquit vbi inflammantur viscera vt febrem faciant, veteres
non appellarunt febrem, quia est symptoma. Puto hoc iure addidisse Hippoc. siquidem *7. Aph. 42.*
in hac muliere non solum erat febris quæ erat symptomatica, sed erat alia, vt iure Hippoc.
præter inflammationem lienis faciat etiam mentionem febris. Sed aliud symptoma no-
tatu dignum aderat, quod sæpe contegebatur. Cur ita cum tamen laboraret febre ardente
& inflammatione? Duabus de causis. Solent interdum contegere se, vbi delirant; tum
erat forsan hæc febris ex ijs, in quibus interiora flagrant, exteriora frigent. Habuit etiam
aliud admiratione dignum, quod ipsi lien in dextro latere intumuit. Sed quid hoc est
prodigij, vt lien in dextro latere intumescat? Certè non est facilis solutu hic nodus. Scio
enim interdum lienem ita intumescere, vt non solum pertingat ad dextrum latus, sed cin-

gat vniuersum abdomen, & seruus Plautinus dicebat hoc morbo laborans tumorem se habere instar zonæ. Sed hic tumor non fit in inflammatione. Arist. duo scribit animaduersione maximè digna. Primùm est, iecur & lienem sita esse super diaphragma, alterum est lienem aliquibus reperiri in dextro latere, & iecur in sinistro. Quod ad primum attinet, certè miratus sum infantiam Theodori Gazæ, qui alioqui disertissimus & doctissimus fuit, quia verè sunt infra diaphragma, & vbi legitur ὑπὲρ, legendum est ὑπό. Hoc ita esse præter rationē & experientiam, quæ ita docent, habeo ego vna domi textum latinum veteris interpretis, ità transferentis. Quod ad alterum non possum credere fieri potuisse, vt vllum animal, habuerit viscera ea ratione transposita, nisi fuerit monstrum, & ita vt subitò interierit. Sed multa huiusmodi prodigiosa fieri possunt. Ad Hippoc. dicendum non quod voluerit tumorem ita adauctum, vt ad dextrum latus vergeret, sed quod pars dextra ita torquebatur & flatibus implebatur, vt in ea videretur esse morbus. Sed cur Hipp. non meminit vllorum remediorum, nisi solius venæ sectionis, & hoc ipsum remedium dicit aliquando vsitatum fuisse, aliquando non? Quod ad me attinet, ita puto nempe quod hæc mulier tum propter inflammationem ingentem, tum propter pulsationem eius arteriæ, quæ solet finiri venæ sectione, opus habebat iterata missione sanguinis; sed fieri non potuit, vt repeteretur huiusmodi venæ sectio, primò, quia erat grauida, & post mensem sextum forsan. Præterea desierat interdiu pulsatio illa, propterea non videbatur opus repetere sanguinis missionem. Sed nos quid ageremus in hoc casu. Præcipuum auxilium esse debet, vt impetus primum ipsius inflammationis coerceatur, quod frictionibus fieri potest partium superiorum, cucurbitulis ligatis. Postea debent administrari alia remedia repellentia, vt oleum rosatum. Vsus etiam est his Hippoc. verum inter ea quæ vsurpauit, solum tetigit ea quæ erant magni momenti, vulgarium nullam faciens mentionem vtpote breuitatis studiosus, & propterea meminit solum venæ sectionis. Sed cum perierit ante partum, quota die existimandum est perijsse? Morbus fuit acutus & propterea lethalis, quia inquit mulierem prægnantem morbo acuto corripi lethale est, habuit verò inflammationem in visceribus & propterea fuit acutissimus & habuit statim acutissima symptomata, quo existimandum est miseram hanc non transijsse septimum diem aut decimumquartum.

1 de hist. animal. cap. 18.

Τὰ ἀμφὶ φάρυγγα ἑτερόρροπα. ὁρμήσαντα οὐκ ἀφελκώθη. ἐπὶ τὰ ἀριστερὰ μετῆλθεν. ἐς σπλῆνα ὀδύνη ἦλθεν ἀκρίτως.

Quæ circa fauces in alterutram partem impetu lata, non sunt exulcerata, ad sinistra conuertebantur. In splenem venit dolor non decretoriè.

Vtrum hæc proposita pars sit ad Lyciam antea commemoratam referenda, an vero sit fragmentum alterius historiæ dubitari meritò potest. Sed illud pro comperto habeo, minimè esse obseruationem euentuum illius tempestatis: quia quotiescunque Hippoc. narrat symptomata alicuius constitutionis, solet semper ea connectere cum constitutione enarrata, quemadmodum fecit in primo, & tertio libro Epidem. Præterea, ea quæ iam scribit Hippoc. valde aliena sunt ab ijs quæ in illa constitutione acciderunt. Quamobrem melius est, vt dicamus, hanc dictionem esse partem aliquam, & fragmentum alterius historiæ quæ desideratur, veluti sunt multa alia. Est autem sententia eius: cuidam cui in fauces ferebatur materia cum impetu nullam exulcerationem factam esse, & rotam materiam decubuisse in sinistram partem faucium: & paulo post esse factum dolorem in liene, qui tamen minimè decretorius fuit. Hæc est pura & genuina sententia, sed obscurissimè ab Hippoc. nobis proposita. Vt autem more nostro eam vobis clariorem reddamus, videre oportet, quid hìc admiratione dignum, quid vtile sit. Tria sunt admiratione atque obseruatione digna: primum est, cur non facta sit exulceratio. alterum est, cur hæc materia decubuerit in sinistram faucium partem. tertium, cur facto dolore lienis non fuerit sedatus

datus affectus faucium. quibus explicatis, videbitis quàm facilem reddiderim obscuram satis dictionem. Vt autem primum aggrediamur, fuit certe admiratione dignum, quod materia calida cum impetu delapsa in fauces, eas non exulcerauit: siquidem materia quæ impetu fertur, calida est: vehementer mota, magnam impressionem facit: mota verò in partem mollem, tenerã, ac passibilem, quemadmodum sunt fauces, vix fieri potest, quin eam scindat, atq; exulceret. Et eo magis admiratione dignum fuit, quia forsan puer erat cuius historiæ hæc est pars: solent enim pueri faciliter a vaporibus & acrib. humorib. vlcuscula in faucibus pati, quæ ἄφθαι a Græcis vocantur ab Aretæo, vlcera syriaca & Ægyptia; a Sereno autem & Isidoro oscedo. Sed vtcunq; sit, clare videre iam potestis, cur Hipp. hæc annotauit. scilicet, quod in puero, in faucibus, a materia calida, & cum impetu mota, non sit facta exulceratio. Secundo annotandum, quod materia decubuerit in sinistram partem faucium, quia à materia calida non ita facile fiunt decubitus. sed si aliqua ratio est afferenda, ea vna est, quod hæc materia frigida & crassa esset, ac ꝑpterea factus sit decubitus. quia vt alias docui, vbi natura non potest materiã dissipare, vel suppurare, semper depellit eam in aliquam partem. Sed cur factum est, vt potius in sinistram fauciũ partẽ decubuerit? primum, quod partes sinistræ semper sunt imbecilliores, quàm dextræ: habetis hoc non solum a Medicis scriptum, sed etiam ab Arist. & Alex. in Probl. omnẽs partes in sinistro latere infirmiores esse, præter organa sensuum; quia æquè oculis, aurib. narib. sinistris sentiamus, ac dextris. Cum autem fauces non sint instrumenta sensuum, iure fit vt sinistra carũ pars imbecillior sit dextra, & gratia huius imbecillitatis, semper materiã facilius recipiat. Fuit etiam alia ratio, quia hic siue puer, siue alius, habuit a natura partes sinistras imbecillas. Quod ex eo colligo, quia huic etiam lien affectus est. Tertium admiratione dignum fuit, cur in hoc casu facta sit transmissio materiæ a faucibus, ad lienem, vt post decubitum materiæ in sinistras fauces, lienis dolor sit secutus; & cur non liberauit ægrum? Certe si videatur situs & communicatio vasorum, aliqua quidem est, sed admodum communis. Verum, quemadmodum ego existimo, plures sunt causæ: vna est, quia cum teste Hipp. inter partes secundum rectitudinem sitas, sit communio, iure inter lienem & fauces eadem hac ratione habetur. Alia ratio est, quia vt scribit Hipp. illi qui tentantur liene non facile tentantur destillatione ad fauces: scilicet quia deposita materia in lienem, euacuetur ea, quæ est in faucibus. Præterea est etiam alia causa, quia, vt videbitis apud Hipp. illi qui laborant liene solent semper laborare ex gingiuis, imò scribit Hipp. lienosis plerunq; os fœtere. Vt propterea non sine ratione factum sit, vt huic laboranti secundum sinistras partes faucium factus sit dolor lienis. Sed cur potius affectus sit lien, quam alia pars? hoc scitu dignum est, quia nullum est viscus excepto pulmone, quod minus tentetur dolore. Duæ causæ fuerunt. vna dispositio lienis: scribit enim Hipp. in corpore nostro nullam esse partem quæ magis sit exposita ad suscipiendas iniurias quàm cerebrum & lien. Vnde facile fieri potuit, vt materia reperet per vias arcanas, si non per patentes in lienem fuit etiam alia causa, situs lienis, qui inferior est faucibus: nec non peculiaris dispositio lienis, imbecillitas eius, in hoc puero. Sed si hæc vera sunt, cur Hipp. dicit, hunc dolorem non fuisse decretorium? Puto hoc non sine iudicio dixisse; quia æquum erat vt materia delata a faucib. ad lienem, solueret: audiuistis enim Hippoc. dicentem decubitus qui fiunt infra morbum soluere: hic fuit decubitus infra morbum, & in parte ignobili, atq; non liberauit ægrum a priore affectu. Cur autem non liberauit, puto significatum hac dictiuncula doloris: quia si materia omnis delata fuisset ad lienem, non peperisset dolorem, sed tumorem: & cum fuit aliqua portio tantum materiæ delata a faucib. ad lienem, iure nõ fuit decretorius. Videtis ergo in hoc breuissimo discursu, quæ Hipp. nos hic velit docere. Sed quæ vtilitas potest ex hoc discursu cõparari in medicina facienda? illa quæ iã dicta est, vt discamus suspectos habere omnes decubitus etiã inferiores, qui antecedẽtes morbos nõ soluunt, & abscessus nõ esse decretorios, si vel vna tantũ cõditio deficiat: quia etsi in hoc ægro fuerit abscessus, etsi infra partẽ affectã, nimirũ fauces etsi etiã forsã die oportuna, etsi parte ignobili, & suscipiẽdis excremẽtis maximè idonea, attamẽ nõ fuit copiosa depositio, neq; vniuersa morbifica mate-

1. Progn. c. 2. t. 33. & 6. Ep. cap. 2. t. 14. ibidem t. 42. hoc lib. & 2. pror. & dem ter. affect.

4. de morbis.

materia, aut in ipsa parte, aut alibi fuit integrè cõsumpta. Propterea si mihi hic casus contigisset, timuissem primum recidiuam, & forsan materiæ ad interiora recessum. Vnde ad effugiendum hunc timorem, & omne periculum auertendum, statim me contulissem ad afferenda auxilia. Inter quæ primum cogitassem de mittendo sanguine; & vel per cucurbitulas, vel per venam sectam. Si puer fuisset quemadmodum suspicor, omnino adhibuissem cucurbitulas natibus & cruribus. Et obseruate, vt quoticunq; in pueris sanguis euacuandus est, fiat euacuatio, per partes remotiores, vt sunt nates, & crura. Et quantum ego puto, Auenzoarum non aliter detraxit filio trimo sanguinem, quàm ex natibus & cruribus. Deinde immisso clystere venissem ad sanguinis missionem e dextro brachio, vel ex vena manus inter annularem & minimũ digitũ mox extrinsecum ipsi colli sinistræ parti laxans linimentum ex butyro, oleo amygdal. & malue succo adhibuissem. Et pro dolore lienis, ipsi vel fomentum simile vel linimentum parassem. Nam lien cum sit viscus ignobile, non ita corroborantia postulat imo verò bonum est, vt corporis & præsertim iecinoris crassa recrementa suscipere queat.

Apud Auer. 7. collect. c. 3.

Ἱέρωνι ἐκρίθη πεντεκαιδεκαταίῳ.

Hieroni facta est iudicatio decimaquinta die.

Quare vero Hipp. hanc rem ita breuissime annotandam putauit? Alias dixi, scriptum fuisse ab Hip. necessarium esse, vt crises siue bonæ siue malæ sint, semper fiant diebus mensibus annis imparibus. Vnde quotiescunq; contigit, vt diebus paribus fieret iudicatio quemadmodum hic, ita alijs in locis annotauit Hipp. Sed quomodo dies 15. est dies par, videtur esse impar, Duobus modis potest appellari par, primum quia cum numerabant Veteres dies per septimanas atq; decimus quintus sit initium tertiæ septimanæ ideirco numeratur inter pares. Alia ratio est, quia decimus quartus dies est merè iudicatorius morborum acutorum. Vnde cum ipse sit iudicatorius, præripit facultatem omnem iudicandi decimæ quintæ diei.

Τῇ Κώῳ ἀδελφεῇ, ἧπαρ ἐπήρθη σπληνικὸν τρόπον ἀπέθανε δευτεραίη.

Coi sorori iecur intumuit splenico modo. obijt secunda die.

Hæc est historia quam hodie vobis explanandam proponam, & in qua iucunda audietis. Hipp. scribit quasdam esse artes quæ graues & molestæ sunt artifici, iucundæ autem & vtiles ijs qui vtuntur ipsis: Et inter has primum locum obtinere Medicinam. Atq; addit. Medicum videre grauia; tangere in iucunda; & ex alienis commodis sua colligere incommoda. Quæ sententia a plerisq; citatur quemadmodum a Basil. Gregor. Nazian. & maximè a Plutarcho. Certè si Medici terrores concipiunt, hoc maximè fit eo tempore quo subito ægri intereunt: siquidem nullus est adeo immanis, qui ex inopinato euentu, & subito interitu non animo consternatur. Tum aut metum, aut infamiam colligunt plerique; Medicorum ex eo. Et hoc contigisse Hipp. interdum, colligo ex eius scriptis, & maximè ex hac historia, quam eum non scripsisse puto nisi quia ex subita eius morte valdè sit animo consternatus. Itaque cum secunda die interijsset & nullum aliud signum habebat quam iecinoris tumorem, operæ pretium est vt videamus qua ratione potuit ita cito estingui. Solent ægri potissimum cito mori, quando causa morbi est aer, quia si hic sit inquinatus & pestifer, ægri statim intereunt. Atque ego vidi in peste vltima homines ambulantes mortuos cadere. Fit etiam subita mors, cum aer impeditur nè corpus ingrediatur. nam dicebat Hippocrates posse quidem hominem viuere sine cibis duobus vel tribus diebus, sed sine aere ne tantillum quidem. Itaque vbi priuantur aere homines, statim intereunt: id quod contigit in suffocationibus omnibus, apoplexia, &

Initio li. de flatibus.

In fine nat. quæst.

tan-

tandem in omnibus morbis in quibus prohibetur ingressus aeris. Verum si verba Hipp. rectè perpendantur, non potuit aër causa esse repentinæ mortis in hac muliere, siquidem non erat pestilens constitutio, nullam habuit anhelitus difficultatem. Ergo aëri ascribere non possumus, atque alia causa est indaganda. Galen. in comm. videtur existimasse non aliam fuisse causam subitæ mortis huius mulieris, quàm magnitudinem inflammationis iecinoris. Sed non possum illi consentire, quia nullam facit mentionem vel inflammationis iecinoris, vel caloris, vel doloris eius. Et cum nullum signum prodiderit, æquum est existimare, non periisse ob inflammationem. Præterea inflammatio iecinoris est quidem exitialis, sed non adeo, vt subito exitium inducat; imò vero qui laborant angina, quæ est sæuissima inflammatio, solent protrahere vitam vsque ad quartum diem. Alij interpretes dixerunt, non solum inflammationem fuisse, verum etiam tumorem ingentem & adeo sanè magnum, vt impedito motu septi transuersi statim interierit. quod ex eo colligunt, quia dicit Hippocrates iecur intumuisse splenico modo, hoc est quemadmodum solet splen intumescere. Hæc ratio aliquid quidem verisimile habet. Sed ego nequaquam existimo hepar tumens tam subitam mortem intulisse. Tumet pars aliqua, quia repletur materia copiosa quæ vel solet esse crassa, vel tenuis & flatulenta. Quod autem iecur non potuerit tumere ita, vt impedierit respirationem, ob materiam crassam, hinc manifestum vnicuiq; vestrum esse potest, quia hæc paulatim colligitur, atq; sic incrementum partis paulatim facit. Iam verò, quod incrementum quod paulatim inducitur, possit subito interimere, non video. Itaq; non potuit tumor hic fieri a materia crassa. Sed neque etiam fieri potuit a materia tenui & flatulenta. Galen. scribit iecur nunquam sustinere œdemata, quæ sunt tumores pituitosi. Et duabus de causis ait fieri: tum quia iecur est, substantiæ solidæ duræ, & crassæ, vt non facile recipiat materiam crassiorem: tum suo calore prius dissipat, quam conuertatur in tumorem. Si ergo ob has causas non possunt in iecinore œdemata fieri a materia crassa, quomodo dicemus fieri tumorem adeo ingentem a materia tenui & flatulenta. quia sanè hæc materia prius consumitur, quam conuertatur in eum tumorem. Et si hoc fit a calore naturali, quanto magis fiet a calore præter naturam, qui est in omnibus partibus inflammatis. Sed dubitet quispiam, quia quotidie videmus ab humoribus crassis fieri obstructiones tumores, & ab his augeri iecur, propterea non esse verum quod iecur intumescere nequeat. Præterea Galenus loco citato sed paulo infra dicit, videri etiam iecur sustinere œdematosas affectiones. Respondendum esse puto, verum quidem esse iecur obstrui atque intumescere. Sed obstructiones quæ fiunt in iecore non fiunt in carne sed cauitatibus. possunt quidem obstructiones maius reddere iecur quam sit. sed quod ita magnum possint reddere, vt subitam mortem afferat, fieri non potest: quare non valet huiusmodi obiectio. Neque Galenus sibi est discors, quia aliud est œdema, & œdematosa affectio. œdema verum non sustinetur a iecinore sed fiunt in iecinore aliquæ affectiones œdemati similes imò Hippocrates appellabat, 4. de morbis ἥπατος ζύμωσιν hoc est iecinoris fermentationem. Et puod hoc verum est, videte Erotianum in Onomast. Nulla ergo est contradictio in Gal. quia vbi dicit iecur non tentari œdmate, loquitur de vero. vbi dicit laborare œdematosis affectionibus, intelligit de affectionibus œdemati similibus Cum ergo iam sit probatum, hanc non potuisse interire, neque ob inquinamenta aëris, neq; ob impedimentum eius, aut propter tumorē, vel inflammationem iecinoris, alia ratio est inuenienda. Necesse est interiisse repente propter vnam ex duabus his causis quas intelligetis: vna potuit esse prauitas & pestifera vis ipsius humoris; non quod inflammatio ab ea originem duxerit, sed quod huic adfuerit. Videte Galenum tertio in tertium Epidemiorum in historia Critonis, vbi scribit miserum illum die tertia obiisse, propter venenatam materiam, quæ pepererat pustulas nigras. Addit ille subitā mortē esse indiciū prauitatis humoris. Alia ratio est præter tumorē iecinoris adfuisse etiam materię prauitatem. Et maximè compellor in hanc sententiam, quia mulier erat. mulieres enim solent multis de causis materiam prauam colligere: vna est retentio seminis. Videte Gal. 6. de loc. aff. c. 5. vbi scribit, ex semine retento exitialissimum venenum

Lib. 7. c. 15. et lib. 28. cap. 7.

in mulieribus generari. Et forsan ea de causa vocauit Hippoc. tantum fratrem, quia erat sine coniuge, vel virgo vel vidua. sunt quoq; menstrua. Plin. inter alias monstrificas menstruorũ qualitates numerat, quod si canes ea gustent, rabidissimos fieri. Addit etiam coitus menstruis fluentibus, esse pessimos. Sed hæc sufficiant, vt intelligatis, non sine ratione subito hanc mulierem interijsse. Verum enimuero potest etiam alia huius euentus afferri ratio. Hippocrat. scribit, causas morborum paulatim generari, sed inquit morbi εὐθέως ἐκλάμπουσι subito erumpunt. Itaq; potuit forsan diu generari in hac causa pestifera quæ subito eripuerit. Videte Galen. 3. in 3. Epidem. ægro 4. quo in loco scribit interijsse ægrum illum subito, quod quemadmodum venenum canis rabidi paulatim in illis colligitur, & vires acquirit, ac statim deniq; erumpit sic in illo virus pedetentim esse accumulatum, & repente hominem extinxisse. Itaq; non potuit alia de causa subito interire quàm quia præter tumorem materia erat venenosa, aut quia praua, diu gemita & aceruata, statim erupit. Hinc discite quam fallax sit iudicium eius, qui cito sanitatem pollicetur, quia si potest venenum in corpore latere, & humores prauissimi fiunt paulatim, quis non prædicat cum timore?

Βίων ἅμα τε οὖρον ὑπέρπολυ ἀνυπόστατον, καὶ αἷμα ἐξ ἀριστεροῦ. ἦν γὰρ καὶ ὁ σπλὴν κυρτὸς, καὶ ἄνω περιεγένετο ὑποστροφή.

Bion simul valde copiosam vrinam sine sedimento reddidit, & sanguinem ex sinistro. Erat enim lien rotundus secundum conuexum, & durus, & supra, seruatus est recidiua.

Bion de quo in præsenti est sermo, quantũ ego puto haud quaquã vera lienis inflammatione, vt quidã volunt, laborauit; siquidem Philis. 1. Epid. com. 3. ægro 1. habuit tumorem lienis ab Hipp. ijsdem verbis expressum, quibus hic, nec tamen inflammatione laborabat. Præterea quotiescunque Hippoc. meminit tumoris inflammatorij, semper addere consueuit vel dolorem, vel calorem, vel aliquam aliam inflammationis significationem, hic nihil inuenitur scriptum, ex quo possimus cognoscere fuisse inflammationem. Postremò ait morbum hunc recidiuasse, si morb. præcipuus fuisset inflammatio certè redijsset; quia recidiua, est reditus eiusdem morbi, non alterius. Iam verò si semel passus esset inflammationem, & iterum redijsset, quomodo seruari potuisset? Sicut probatur quotidie tumores lienis modò delitescere, & quasi aboleri, modo renouari. Igitur iure non possum adduci vt existimem hunc laborasse inflammatione. Cum igitur non fuerit inflammatio videre oportet, quis fuerit morbus quæ sym ptomata cur sit seruatus, & quam ob causam morbus redierit. Quod pertinet ad morbum, iurarem hunc miserum hominem laborasse aliqua febri, & non exitiali, atque huic febri coniunctum fuisse lienis tumorem; hac coniectura: quia Hippoc. postquam retulit symptomata, scribit, habuisse etiam tumorem durum. Habuit ergo febrem, & cum hac tumorem lienis durum. Factus est hic tumor a sanguine ichoroso copioso & tenui. alioqui non vixisset adeo diu. Et si conijcere licet quæ fuerit causa procatartica, puto incidisse in hæc mala propter largum aquæ potum, si quidem copiosa vrina demonstrat potum necessario fuisse largiorem quia vt Gal. scriptum reliquit & quemadmodum nos docuimus in lectionibus de vrin. vrina nihil aliud est quam materia potulenta. Ergo conijcere licet, hunc tumorem fuisse ichorosum, aquosum, & a nimio aquæ potu genitum. Symptomata quæ hunc morbum sunt secuta verisimile est, fuisse complura, sed Hippoc. narrat tantum sanguinis profluuium e nare & copiosam vrinam sine sedimento. fuit sanguinis fluxus e nare & propter rectitudinem e sinistra quia lien affectus erat, facta est quoque excretio sanguinis, quia cum sanguis abundaret, & propter febrem sanguis feruidus esset redditus, hac de causa natura oppressa depulit sanguinem ad sinistram narem. Aliud symptoma fuit, vrina copiosa, de qua copiosius nobis necessario loquendum est, siquidem admiratione non minus quàm dubitatione digna

1. de facul. na tur. in fine.

est,

est, quomodo in tumore lienis duro potuerit copiosa vrina fieri: quia si generationem vrinæ spectemus, valde distat huiusmodi humor ab humore qui facit lienis tumorem: siquidem tumere solet lien & indurescere potissimum ab humoribus crassis & terrestribus. Si spectemus etiam locum affectum, lien est officina melancholiæ, vel saltem receptaculum eius. Vnde valde distat serum seu vrina ab humore melancolico. Si etiam vias spectemus, nulla est conspicua via a liene ad vesicam, ita vt possit per illam expurgari, quemadmodum legimus apud Gal. Quare admiratione dignum est quomodo hunc liberauit a tumore lienis magna vrinæ copia. Veruntamen quia hoc contigisse narrat Hippoc. credendum est non etiam absq; aliqua ratione id accidisse. Primo enim, quod spectat ad generationem, scire oportet, duos esse modos quibus generatur melancholia: vnus est per combustionem omnium humorum: alter per diminutionem caloris natiui, cuiusmodi est humor melancholicus naturalis in iecinore. Si primo modo loquamur, certe vbi fit melancholia ex combustis alijs humoribus, non solum non fit serum, sed absumitur etiam serum iam factum: & tunc melancholia est valde crassa & terrestris. Si secundo modo loquamur contingere potest, vt vna cum succo melancholico generetur quoq; serum copiosum; siquidem hebetato calore natiuo diminuuntur coctiones: diminutis coctionib. loco sanguinis generatur serum. Et hoc nobis significauit Hipp. vbi scribit pauidorum hoc est melancholicorum sanguinem esse serosum: intelligens ibidem de ea melancholia: que quæ fit defectu caloris natiui. Vt propterea appellarit pauidos melancholicos, quia horum proprium est timere. Si spectemus locum affectum, certe lien locus est aquæ, videte Hipp. 4. de morb. circa initium & medium, videbitis ipsum dicere quod quemadmodum iecur est locus sanguiuis: vesica fellis appellata, bilis; ita lienem esse locum aquæ. Et iure dixit esse locum aquæ, quia vbi multa est melancholia naturalis, quæ fit per hebetatum calorem ibi semper est copiosum serum. Et obseruate in praxi, quando ab huiusmodi melancholicis detrahitur sanguis, semper plurimum seri cum melancholia permixtum reperietis. Et multi non intelligentes Hippoc. damnarunt illam sententiam tanquam falsam. Atque hac ratione quoque dicebat Aristotel. sanguinem lienosorum esse ὑδατώδη idest aquosum. Si spectemus vias certe nullæ sunt contiguæ viæ inter lienem atq; vesicam, veruntamen dicebat Hippocr. omnia simul esse conspirabilia & alibi naturam in suis operationibus inuenire vias arcanas sine cogitatione, vt licet non apparent viæ manifestæ, possit tamen natura euacuare per secretas vias quæ sunt a liene per vesicam, vt contigit huic Bioni. Sed cur hic Bion seruatus fuit? puto ego, quia febris non erat exitialis, & quia tumor lienis neminem extinguit. Sed si ita est, cur ergo Hippoc. hanc historiam obseruauit? cur dixit tanquam mirum hunc esse seruatum? adnotauit hoc, quia rarissime contingit, vt quæ sunt in liene per vesicam excernantur, fecit natura quasdam vias a liene ad aluum, per quas expurgari solet, sed non fecit a liene ad vesicam, vt per eam expurgari possit. Ergo mirum est quando sanguis qui euacuari debet per hemoroidas euacuatur per nares & vrinas. Cur autem, cum sit seruatus, tamen morbus redijt? redijt propter duas causas, vna fuit quia sanguis qui euacuatus est per nares, primum peccabat subtilitate: tenuis enim erat, & propterea sursum ferebatur: remanebat crassus in venis, tum (vt Hipp. alias) dixit abscessus qui verè iudicant, fiunt p infernas partes & infra morbū. Ergo dixit prudenter, supra seruatus est: præterea redijt morbus etiam propter aliam causam, scilicet quia vrina expurgabatur copiosa quidem, sed sine sedimento, neq; valet quod aliqui dicunt hanc vrinam fuisse crassam, quia non subsidebat, siquidem a ratione alienum est, vt copiosissima vrina sit & crassa, erat ergo tenuissima, & ea de causa, quia aquosæ partes duntaxat expurgabantur, crassiores remanebant. Ex quo factum est, vt morbus redierit. Tum hæc etiam est vna coniectura quare existimem hunc morbum non fuisse inflammationem lienis, siquidem vsu sæpe venit vt tumores lienis modo augeantur, modo minuantur, modo recedant, modo reuertantur, quod quidem non contingit vbi lien inflammatione tentatur, quia tum aut extinguitur aut ex toto liberatur. Ex hac breui quidem sed commemoratu digna historia, possumus nonnulla documenta colligere facientia ad artis exercitatio-

13. meth c. 17

6. Epid. sect. 2 tex. 38.

9. sect. prob. 7.
Lib. de alim.
6. Epid. com. 7. in principio

tationem, primum eſt, in affectu lienis non eſſe fidendum fluxui ſanguinis e naribus, quia cum ſit præter rationem, dicebat Hipp. non eſſe fidendum iis quæ præter rationem fiant. & propterea etſi videatur nobis morbus interdum leuari ex huiuſmodi euacuatione, non ſoluitur tamen ex toto morbus. propterea cum huiuſmodi euacuatio præter rationem ſit, neq; tuta, nunquam debebit Medicus euacuare ſanguinem per hanc partem, ad euacuandum ſanguinem lienis. Imò addo, in affectibus lienis melius eſſe euacuare per hirudines hæmorroidibus appoſitas, aut per crus ſiniſtrum, quàm bracchium, quia ſi abſceſſus qui iuuant ſunt infra morbum, ſanè debebit medicus naturam imitari atq; euacuationem moliri infra morbum: ſiquidem loco abſceſſuum, quos facit natura, Medicus vti ſolet euacuationibus. Aliud documentum eſt, etiamſi viæ non ſint conſpicuæ ad vrinam, vtiliſſimum tamen eſt vrinam mouere. Quod dico, quia hoc non ita perſpectum eſt cunctis medicis, quia dicunt malum eſſe euacuare ſanguinem melancholicum per vrinam. Vnde in melancholicis conſulo etiam diureticis vti, quia hæc ducunt ſerum quod mixtum eſt cum melancholia tum ipſos ſuccos craſſos colliquant attenuant, & per veſicam educunt. quod hoc ita ſit, videte Hipp. vbi docet curare lienoſos diureticis, imò Gal. ipſe vtitur diureticis ſcilicet quod huiuſmodi humor etſi craſſus ſit, habet tamen ſemper ſerum copioſiſſimũ ſecum, cuius merito ſit vt euacuetur per vrinam, & conſequenter humor melancholicus. Sed dicetis, cur Medici dicunt ſanguinem melancholicum eſſe craſſum? ſi poſtquam recedit humor melancholicus, & pars ſequeſtrata ab aqua comparetur reliquis ſuccis, certè multo craſſior eſt & terreſtrior reliquis.

Lib. de affect. 1. ad Glauc. c. de cur. quartana.

Ην δὲ τῶν κυναγχικῶν τὰ παθήματα τάδε. τῶ τραχήλω οἱ σπόνδυλοι, ἔσω ἔῤῥεπον. τοῖσι μὲν πλέον, τοῖσι δὲ πέλας, καὶ ἔξωθεν ἔνδηλος ὑγκοῖλον ἔχων ὁ τράχηλος. καὶ ἤλγει ταύτῃ ψαυόμενος.

Erant autem anguinoſorum affectiones hæ, colli ſpondilia intro vergebant his quidem plus his verò remotè, & intus manifeſtè cauitatem habens collum, atque tollebat hac parte tactum.

Qui attente expendit præſentia Hipp. verba, facile in hanc ſuſpicionem venire poteſt totam hanc dictionem nihil eſſe, quam fragmentum deſcriptionis conſtitutionis alicuius ab Hipp. enarratæ: in qua tametſi cõtingunt diuerſa morborũ genera, nihilominus de angina vagante duntaxat docet, vel quia cætera deſiderentur, vel quia exiſtimauit in hac cõſtitutione ſolas anginas fuiſſe adnotatu dignas. Et aduertite admirandam Hippoc. medicinam, ſolet ille fere ſemper breuiſſimus eſſe, in præſenti conſtitutione profuſiſſimus eſt: maxima prudentia, quia enim relaturus erat inauditum fere anginæ genus, aut rariſſimum operæpretium erat diligentiſſimè deſcribere, vt poſſet per ſymptomata ab aliis diſcerni. Ego autem totam hanc profuſiſſimam Hipp. dictionem ita ſingulatim ita perſpicuè enodabo, vt facilè intelligatis myſteria Hippoc. Et quia tota hæc tractatio de angina eſt, vtile fore exiſtimaui vt de angina dicam aliqua, quæ ſternant vobis viam ad complectendas diuinas Hippoc. cogitationes. Angina latinè, græcè appelletur συνάγχη barbari & populus vocant ſquinantiam. Sed circa hoc nomen duo adnotanda ſunt: vnum quod ſcribit Aret. 1. acut. c. 7. & Gal. 3. progn. com. 16. hoc nomen κυνάγχη eſſe commune nomen ad omnes inflammationes faucium. & hodiè quoq; populus ſolet appellare anginam ſeu ſquinanciam omnem faucium tumorem. Aliud adnotandum eſt apud Medicos non adhuc conſtare, quot veræ ſint differentiæ & ſpecies anginæ, quia alii quinq; alii ſex, alii plures effecerunt. Sed ratio vera hanc rem definiendi eſt, in angina vel affici caput ipſius laringis vel fauces: ſi afficitur larinx, aut interna pars afficitur aut externa: ſi interna appellatur a Græcis κυνάγχην, ſeu λυγκάγχην dicere poſſumus caninam ſeu lupinam ſtrangulationem, quia canes & lupi hac ægritudine maximè infeſtantur, vt dicit Aretæus, vel quia illi qui hac laborant, præ ſuffocatione exerunt linguam aut, ſecundum Aurelian. ſimiles voces & vlulatus emittunt, vt canes ac lupi. ſi pars exterior afficiatur appellatur παρασυνάγχη poſſumus

dice-

dicere spuriam synanchim. Si est in faucibus aut est in parte interna aut externa. Si interna κυνάγχη dicitur: possumus appellare suillam strangulationem, quia sues hac maxime laborant, & seruus quidam apud Plautum in Trinumo dum vellet alium infamare, dicebat ibi perire sues angina acerba indicans anginas ibi frequentes esse. Si exterior afficiatur appellatur παρασυνάγχη spuria angina. Adeò vt 4 tantum sint species anginæ, quam dum definiret Soranus apud Cœlium dicebat esse difficiliter deuorationem seu præfocationem ex tumore faucium, sed melius ego ita definiri puto: vt sit inflammatio seu tumor inflammatorius faucium vel laringis impediens deuorationem vel respirationem, vt hinc pateat locum affectum esse vel fauces vel laringem: morbum esse magnitudinem auctam, vias impeditas, nec non intemperiem calidam: atq; ab hoc morbo non alias actiones vitia riquàm deuorationem & respirationem. Cum igitur ita hic morbus sit constitutus, sciendum est anginam habere causas internas & immediatas, tum causas externas & mediatas. causæ internæ immediatæ sunt humores, qui efficiunt tumorem & inflammationem, quos siue appellemus causam materialem siue efficientem, non pertinet ad hanc nostram tractationem. Illud certissimum est eos humores qui faciunt anginam, vel paulatim colligi in loco affecto, vel aliunde & præsertim a capite ad locum affectum præcipitari. Sed quanquam res ita se habet nihilominus materia non colligitur ibi, sed de labitur a capite in laringem; adeò vt copiosa fiat collectio, frequentissima destillatione, & hoc habet Gal. vbi manifestè docet anginam frequentissimè fieri materia præcipitata in partes faucium vel laringis. Humores autem qui faciunt hunc affectum, sunt plærunquè sanguinei, hoc est commixti ipsi sanguini, nam contingit vt sanguis vel biliosus vel pituitosus vel purus sit. fit etiam interdum a pura pituita sed illud habet, vt quotiescunque fit a pituita, benignissima fit & celerrime curetur. sed hic duo oriuntur dubia, vnum cur non sicut fit ab alijs humoribus, ita etiam fiat a melancholia, alterum cur a pituita angina citius reliquis curatur? circa primum controuersia est, siquidem ex vna magnus Rhas. 3. contin. Constat. Africanus & pleriq; alij Arabum sectatores, putarunt nequaquã fieri posse quod angina, cum sit morbus acutissimus, ita vt plerunque tertio vel quarto die interimat ab humore melancholico fieri possit: nam humor melancholicus non potest facere morbum acutum, ergo nõ potest ab hoc fieri angina. quod autem a melencholia non fiat morbus acutus inde colligitur, quia melancholia tardè mouetur; angina citissimè. Ex alia parte est Auic. qui disputans contra Rhasim inquit fieri posse ab humore melancholico anginã, sed raró; & modus hic est, quando ex aliquo apostemate calido fit humor melancholicus qui de in in fauces vel laringem collectus hominem statim strangulat. Galen. haud quaquam explicitè hac de re loquutus est, veruntamen quia obseruaui, facere mentionem de alijs humoribus, tacuisse autem de melancholia, suspicatus sum ipsum cẽnsuisse nõ fieri ab humore melancholico. Dicendum est aliam esse anginam, quæ fit in faucibus, aliam quæ in laringe. angina quæ est in laringe certe ab humore melancholico fieri non potest, quæ verò fit in faucibus, potest, quia vasa laringis admodum tenuia sunt; faucium, ampliora laxiora, Itaq; sicuti in laringe non potest colligi crassus humor ob tenuitatem vasorum sic in faucib. potest colligi quia vasa sunt laxiora quare dum Rhases & reliqui negarunt fieri ab humore melancholico loquuti sunt de vera: vbi de illa quæ fit a melancholia loquuti sunt de ea quæ fit in faucibus. Circa aliam dubitationem non minor est controuersia quia Auic. scribit anginam quæ fit a pituita esse magis salutarem & velocius curari. huic videtur fauere Gal. vbi scribit quando fit angina a pituita, velocius curari. sed contra hanc sententiam est clarissima ratio, quia pituita suapte natura tarda est frigida, viscida, propterea si compararetur pituita bili, quis non videt eos morbos qui fiunt a bile debere citius finiri, quia bilis tenuior est & mobilior, pituita crassior, pigrior? hæc res non ita facilis est solutu: ego tamen dupliciter respondeo. vno modó, anginã posse dupliciter cõsiderari vel secundũ totũ ægritudinis cursum: vel secundum vehementiã ipsius. si considereiur secundũ totum cursum, certe angina a pituita tardius multo curatur quàm quolibet alio: & hoc cognouisse videtur Auic. quando scribit, anginam quandoq; produci vsq; ad 40. diem, sed si se-

4. de cau. puls. cap. 20.

4. de artic. c. 3. & 3. Aph. 16.

Lib. 3. fen. 9. tract. 1. cap. 8.

si secundum vehementiam ipsius consideretur, citiùs finitur quæ fit a pituita: quia cum hic humor sit benignus, aut nullam infert vim, aut si aliquã infert adeo exigua est, vt cito finiatur, & vix sentiatur, secus est de alijs. Aliter responderi potest, anginam fieri vel a crassiore, vel a tenuiore pituita, si a crassiore, diuturnior est, si a tenuiore breuior. sed placet mihi prior responsio. Causæ mediatæ & internæ plures sunt. Inter cæteras, est colli dispositio, vnde qui caput magnum habent, collum breue his maximè subijciuntur, præsertim quando caput est excrementitium, & sanguineum. Ex internis præcipua est luxatio, primæ, vel secundæ vertebræ colli de qua causa loquuturus est Hippoc. hic. Adeo vt Hipp. in tota hac futura dictione nihil aliud docere velit. quàm in ea constitutione factas fuisse anginas, propter luxationem secundæ vertebræ colli. sed cur Hippoc. in re adeo leui, fuit adeo diligentissimus? sciunt omnes qui luxantur ita, statim interire vt strangulati. Maximà ratione, dico: quod rarissimè contingit vt a causa interna huiusmodi morbus oriatur. cõtingit quidem a causa externa ab ictu, casu fieri; sed quod luxantur a causa interna adeo rarum est vt nil supra, & scitu dignissimum: & præsertim quando populo omni ferè hoc contingit in constitutione relata ab Hipp. in qua tot & tàm varia symptomata contigerunt, vt omnino res fit scitu dignissima. sed scire oportet non esse veram anginam luxationem, nisi quia tumor inflammatorius accedat: quia in definitione dictum est verum characterem esse tumorem. Vt autem possitis intelligere quæ sit Hippoc. sententia operæpretium est scire vniuersam vertebrarum constitutionem. Sententia Hippoc. in proposita dictione hæc est, anginosos huiusmodi affectionem passos esse, scilicet quod vertebræ colli initio vertebantur, quod cauitas in parte externa apparebat, quod locus ille affectus vbi contrectabatur, semper dolebat. Vt autem sigillatim penetremus quæ scribit Hipp. hæc explanabo, qua ratione vertebræ colli mouebantur è loco; qua ratione potius intro vertebantur, quàm extra; propter quid cauitas extrinsecus appareat: & postremò qua de causa locus contrectatus dolorem inferebat. Vt autem hoc cognoscere possitis operæpretium est breuiter anatomen percurramus vertebrarum ipsius colli: nam experientia quotidiana compertum est vniuersum dorsum constare ex triginta quatuor vertebris. Cuius constitutionis finis maximus fuit apud naturam: nam cum propter neruos deberet fabricare medullam congeneam ipsi cerebro, nisi obsepisset osse, futurum erat vt facile læderetur, & consequenter animalia interirent. propterea natura sagacissima hanc medullam diligentissimè communiuit ossibus, sed quia longa erat medulla, & propterea necesse erat, vt longa essent ossa, si hæc fuissent inter se continuata rigidus man sisset homo nec potuisset se antrorsum siue retrorsum flectere: propterea noluit natura ossa hæc continuare: atque ideo discreuit ita & conferruminauit, vt per articulationem sint ita iuncta, vt tueantur medullam & tamen possint animalia flecti. hæc est necessitas cur natura fecit huiusmodi vertebras. Cur autem non fecerit plures vel pauciores quàm 34. est curiosi nimis indagare penitius. diuiditur in quinq; partes: pars superior collum appellatur; postea est thorax; tum lumbi, de in os sacrum: vltimo coxę os. Collum constat ex septem vertebris; thorax ex 12. lumbi ex 5. os sacrum ex 6. os coxidis 4. sed aduertere debitis ossis sacri & coxendicis non esse veras vertebras, propterea complures Anatomici omittentes has adnumerant duntaxat 24. vertebras, sed illa potius pertinent ad anatomicos. Illud opus est scire ad præsentem contemplationem collum ex 7. vertebris esse constitutum, prima ἐπιστροφεὺς appellata est, nos versatorium possumus appellare secunda ὀδοὺς siue dens ab Hipp. appellatur, & vt Gal. Erotian. & Oribas habent propter processum denti formem quem habet. Et notate vehementer errasse Ruffum & Iulium Pollucem, qui existimarunt apud Hipp. non secundam vertebram, sed primam vocatam esse dentem. Appellatur etiam hæc a Gal. magnus articulus; quia maximè refert ad vitam & ad mortem (vt audiuistis) quanquam hoc nomen magni articuli est etiam commune alijs. 3. vocatur ἄτλας quia non solum sustinet superiores articulos, sed instar Atlantis sustinẽtis Mundum, videtur hæc sustinere ipsum caput: aliæ 4. vertebrę non habuerunt proprium nomen, sed vocantur a Græcis σπόνδυλοι. Hæc est vniuersa colli constitutio, & vertebrarum, Inueni in vsu harum vertebra-

4. de loc. aff. cap. 3.
In Onomast.
25 collect. c. 8
1. de artic.

tebrarum & colli ipsius, aliquam controuersiam inter Arist. & Gal. Arist. videtur censisse 3. de part. ani
collum factum esse tum propter fauces tum etiam propter œsophagum, hoc est propter mal. cap. 3.
viam cibi & potus. Addit Gal. suam sententiam, sed aliam; nullum vsum alium illius esse 8. de vsu par.
quam propter fauces & asperam arteriam. Sed facile possunt conciliari, siquidem primò cap. 1.
& principaliter collum factum est propter asperam arteriam. Et hinc est quod animalia quæ carent pulmone & consequenter aspera arteria sunt sine ceruice & collo, igitur principaliter collum factum est propter respirationem & asperam arteriam; secundario propter viam cibi & potus. Et hinc est quod si collum vehementer lędatur, non solum offenditur respiratio verum etiam vsus deuorationis tum cibi tum potus. Gal. respexit ad vsum primarium, Arist. ad 2. His itaque ita constitutis superest vt videamus quis fuerit locus affectus in hac constitutione anginosa. Locus affectus erat secunda vertebra, hoc est dens appellatus & de huiusmodi affectu & loco affecto nō solum Gal. 4. loc. aff. c. 3. loquitur sed etiam 3. de diff. resp. 11. & 2. pror. 3. Aph. & plerisque alijs in locis. Cum igitur afficeretur 2. hęc vertebra dens, & affectus erat dislocatio, necesse erat vt hoc fieret magna violentia. Si magna violentia necesse erat vt fieret vel per impulsionem vel tractionem. Hoc colligere possumus ex Arist. qui loquens de his quæ violenter mouētur, inquit huiusmodi motus violentos vel fieri per impulsionem, vel tractionem. Vt necesse sit cum vertebra secunda moueretur e loco, [illegible] ueretur per impulsionem vel tractionem. Non potuit per impulsionem, id fieri quia quæ impelluntur habent extrinsecum motorem, propterea necesse fuisset vt externa causa peperisset hanc dislocationem, sed hoc nequaquam fuit, quia Hippoc. non tacuisset eam; alia etiam de causa non potuit esse a causa externa, quia vt commemorat Auic. quoties secunda vertebra dislocatur atque intro vertitur, statim homines intereunt. Et propterea isti qui strangulant homines si rectè artem calleant debent semper apponere laqueum, primæ vel secundæ vertebræ quia statim homines intereunt. Vt necessarium fuerit, propterea in hac constitutione dislocatam fuisse secundam vertebram, quia trahebatur. Videamus modo quomodo trahi possit, Auic. loco nuper citato forsan melius omnibus explicuit hos omnes modos, nam quæcunque trahere possunt ossa intro vel sunt musculi vel nerui. Nulla alia sunt, quibus natura vtitur ad mouenda membra. Si musculi debent mouere articulos suo loco, non alia sane ratione, id fit, quam quia musculi augētur secundum latitudinem, vel abbreuiantur, abbreuiantur autem quoties tumorem aliquem patiuntur. Vt causa vna sit tumor musculorum, alioqui est in neruis, quando & hi abbreuiantur, vt ossa quibus alligantur, trahant intro. Iam nerui solent abbreuiari propter tres causas, quem affectum spasmum appellant, abbreuiantur aut cum replentur, aut cum inaniuntur, aut cum alia aliqua qual. expunguntur. Vt necessarium sit propterea secundam vertebram dislocatam peperisse anginas, vel quia nerui replebantur, inaniebantur, pungebantur, vel quia tumorem patiebantur musculi. Sed cum possint tot esse causæ, quæ nam fuit hic? Certe ex tumoribus potissimum musculorum factas esse has anginas facile ex sequentibus vnicuique constare potest, tum ex repletione neruorum, nam ea constitutione quæ maximè replebat capita, facile neruos repletos esse, & tumorem musculos incurrisse apertissimum omnibus esse existimo. Sequitur vt inquiramus cur cum dislocaretur secunda hæc vertebra & esset causa interna, potius intrò ferebatur, quam extra; vna fuit communis causa, altera particularis: communis, quia vt scribit Galenus quarto loc. affect. capite tertio, quotiescunque vna tantum vertebra 4 de loc. aff.
colli dislocatur, semper multo facilius intro mouetur quam extra. altera est, vbi spi- cap. 2.
na tota vel plures vertebræ simul dislocari consueuerunt, semper necesse est vt in partem externam vertantur, quia partes internæ non patiunturr: nam si verum est vninersam spinam factam esse instar carinæ nauium vt dicit Gal. necesse est sit paulatim arcuata, & propterea vbi multæ vertebræ dislocantur, facilius in pronam partem feruntur. secus est vbi vna duntaxat vertebra loco mouetur, quia tum fit dislocatio angularis, hæc fit facilius versus internas partes, quia figuræ totius spinæ est versus internas partes. Erat etiam causa particularis, quia cum destillatio præcipitaretur in musculos & neruos

interiores, æquum erat vt & tumores & repletiones neruorum fierent potius intro: vnde cum intus abbreuiarentur & traherent ad se ossa, necessariò fiebat potius dislocatio intro quàm extra. Quod cum ita sit necessariũ erat, vt cauitas appareret extra: quia si vertebra suo loco mota intro vergebat, locus cauus relinquebatur, sed cur Hip. hoc adnotauit, quia quis nõ videt hoc, vbi vertebra aliqua intro flectitur, vt appareat cauitas? vt demõstraret nõ solum fuisse dislocationẽ, sed insignẽ; quia nõ quælibet dislocatio facit cauitatẽ, sed insignis. Postremum est vt sciatis cur dolorem inferret contrectatus hic locus; sciunt omnes, fieri dolorẽ non vbi facta est solutio continui, sed vbi fit, quia dolor est solutio cõtinui habens esse in motu: igitur vbi cõtrectaretur ille locus, necessario fiebat solutio cõtinui in parte interna, quia huiusmodi vertebra est figuræ acutæ, vt cum hoc ita sit necessario fiat dolor & potissimum ad contrectationem, ad quam sequitur solutio cõtinui propter acutiem vertebrarum, & angularis dislocationis. hinc non fefellit nos Auic. inquiens primæ & secundæ vertebræ dislocationem esse periculosiorem, quàm aliarum dislocationes, quia proximior est illa capiti parti principi. Igitur cum prior & secunda vertebra sint proximiores capiti, multo sunt periculosiores quàm aliarum dislocationes.

Ην δὲ καὶ κατωτέρω τινὶ τοῦ ὀδόντος καλεομένου ὀστοῦ, ὃ οὐχ ὁμοίως ὀξύ ἐστιν, οἷσι καὶ πάνυ περιφερὲς, μείζονι περιφερείῃ, εἰ μὴ ξὺν τῷ ὀδόντι καλεομένῳ. Φάρυγξ οὐ φλεγμαίνουσα. κειμένη δὲ, τὰ ὑπὸ γνάθους ὀληρὰ, οὐ φλεγμαίνουσιν ἴκελα.

Erat autem & infra dentem vocatum os, quod non similiter acutum est, sed aliquibus multum rotundum, maiori circumferentia nisi eum dente vocato fauces non inflammatæ, sed iacentes quæ sub genis tumida, non inflammatis similia.

Prosequitur Hipp. connumerare complura symptomata quę in constitutione anginosa cõtingebant, & primo hæc dictio satis obscura est, tum quia variè inuenitur scripta, tum quia ab interpretib. est fere transformata. Ego autem puto, quod sicuti vox περιφερὴς, est de figura, ὀξὺ seu acuta intelligendum esse de figura ossis. Itaq; cum Hipp. in præcedenti dixisset luxatam esse secundam vertebram, aliquibus plus, aliquib. minus, subiungit aliquibus luxatam etiam esse tertiam vertebram, quippe quæ rotunda est nec adeo acuta, vt secunda, sed dicet quis, quæ est ratio propter quam Hipp. hæc subiungit? nulla est alia, quã vt doceret anginam factam ex luxatione tertiæ vertebræ, esse minus periculosam, & minus dolorificam quia (vt ex Auic. colligo) secunda vertebra acutior est & propterea vbi luxatur, magis impedit, & dolorem inducit. sequitur Hipp. fauces non inflammatæ sed iacentes. subiungit interpres, tametsi luxarentur vertebræ colli nihilhominus haudquaquã inflammatas fuisse fauces, sed iacentes, quid hoc significat fuisse fauces iacentes, aliqui existimarunt voluisse dicere fauces non fuisse compressas, alij non fuisse violatas, sed puto ipse nihil aliud significare quam fauces haudquaquam fuisse tumidas, sed depressas. & hoc tanquam mirum adnotauit, scilicet quod vertebræ colli luxatæ erant intro, & tamen fauces viderentur illæsæ, sed quæ fuit causa huius? hæc causa fuit, quia luxatio cum paulatim fieret, & esset in secunda & tertia vertebra, impediebat quidem deuorationem & respirationem, sed non cõmunicabatur malum faucib. quippe cum fauces sint partes remotæ a vertebris & articulis. alia etiam causa fuit, quia hæc mala cum orirentur a destillatione capitis satis graui, hæc ferebatur in partes subtus genas adeo vt genæ ossa illa quidem afficerentur, sed non communicaretur malum ipsis faucib. Erant quidem inquit Hipp. tumidæ partes subtus genas, sed non inflammatæ, imò non erant inflammatis similes, sed quomodo fieri potest vt quotiescunq; fit tumor, non coniuncta sit inflammatio genis hoc fit quotiescunq; tumor non est sanguineus sed pituitosus, cuiusmodi in hac constitutione anginosa puto fuisse complures scilicet in quibus fiebat quidem angina sed mitius, & quia nõ multos perdebat, nam ex ijs qui ægrotabant aliqui interempti sunt aliqui seruati, tum quia materia frigida existẽte, ac loco illo osseo, nec admodũ calido, haud poterat accendi.

οὐ δὲ βουβῶνες οὐδενὶ ᾤδησαν. ἀλλὰ φύσει μὲν,

Neq; bubones vlli intumescebant, sed secundum naturam.

Veteres bubones appellabant tumores omnium glandularum, faucium, subtus alas, & inguina videbitis ita frequenter vsurpatam esse hanc vocem ab omnibus veteribus: sed Hippoc. hoc loco nihil aliud intelligit quam ipsas glandulas quæ sunt in faucibus, quasi dicat non solùm fauces fuisse his fere illæsas, verum etiam glandulas nullum tumorem habuisse. sed dicet aliquis quomodo fieri potest, vt glandulæ partes aptissimæ ad recipiendam omnem fluxionem potuerint expertes esse tumoris? duo semper loca sibi ipsis contigua in faucibus sunt, est locus glandularum prædictarum, & est ductus ἰσθμὸς a Græcis appellatus ductus inter glandulas & œsophagũ, vbi intumescunt glãdulæ appellantur a græcis ἀντιάδες vt Gal. nostri appellant tonsillas; vbi autem inflammatur pars illa quæ appellatur ἰσθμὸς, quæ est proxima glandulis, appellatur ille affectus παρίσθμια. vult ergo dicere in hac constitutione glandulas non verè fuisse affectas, sed fuisse tumorem in partibus proximis istmo, quia partes deseruientes respirationi erant lesæ ab ipsa luxatione. 3. de symp. caus. cap. 4.

καὶ γλῶσσαν οὐ ῥηιδίως στρέφοντες. ἀλλὰ μείζων τε αὐτέοισιν ἐδόκει εἶναι, καὶ προπετεστέρη.

Linguam non facilè vertebant, sed & maior ipsis videbatur, & magis exerta.

Arist. tradens rationem cur lingua est exposita ægritudini quæ appellatur grando, respondet non aliter hoc contingere quam quod lingua spongiosa est, & crassa, & propterea capax omnium humiditatum; quæ humiditates cum retinentur in lingua euadit dura, vt veluti grandines videantur impactæ ipsi linguæ. In hac itaque constitutione cum materia deflueret a capite, aliquibus imbibebatur ipsi linguæ vnde fiebat vt lingua redderetur maior: præterea redderetur imbecilla, & hinc loqui non poterant. Erat etiam alia causa, quoniam cum luxarentur vertebræ prædictæ comprimebantur musculi & partes omnes in quibus lingua solebat ferri, vnde cum non pateret locus proprius ipsi linguæ, fiebat vt cogerentur linguam exerere instar canum. 33. sec. Probl. 4.

καὶ ὑπὸ γλώσσῃ φλέβες ἐμφανέες.

Et sub lingua venæ conspicuæ erant.

Dicit Hippoc. linguam adeo plenam fuisse vt non solum non posset verti, sed venæ sub ipsam essent admodum conspicuæ, hoc est tumidæ: hæ enim non solent admodum apparere, nisi cum tumeant. Erant repletæ sanguine pituitoso vtrum autem fieret βατράχιον, siue ranunculus, siue tumor subtus linguam, non explicat Hipp. puto solum tumidas fuisse venas subtus linguam quia vbi fit βατράχιον, est affectus adeo truculentus & grauis, vt Hippoc. non tacuisset, si factus fuisset.

καταπίνειν οὐκ ἐδυνέατο, ἢ πάνυ χαλεπῶς, ἀλλ' ἐς τὰς ῥῖνας ἔφευγεν εἰ πάνυ ἐβιάζοντο, καὶ διὰ τῶν ῥινῶν διελέγοντο.

Deglutire non poterant, vel valde difficulter, sed in nares refugiebat, si multum niterentur, & per nares loquebantur.

Dicit prædictos anginosos hoc quoque malum habuisse, vt deglutire non possent; & si quando deglutire vellent, & faciebant id maximo conatu, tum cibus in nares refugiebat.

Causa difficultatis respirationis & deuorationis nulla alia erat quàm luxatio, quia non solum comprimebatur aspera arteria, sed etiam deprimebatur œsophagus. Verum cur res deuoratæ in nares refugiebant? quoties cunque fit deuoratio, necessario fit per attractionem; vbi fit attractio, necessarium est vt fiat inspiratio: & propterea est vetus prouerbiū impossibile esse simul & sorbere & efflare. fiebat ergo magna inspiratio quoties cunq; deuorabant: sed quia magnam inspirationem necessario sequitur expiratio magna; hoc ijs contigit: qua expiratione magna cibus & potus qui non potuit deuorari impetu quodam propellebatur in palatum & consequenter in nares. Et per nares loquebantur; non solum reijciebantur res deuoratæ, sed &, per nares loquebantur. Vt autem causam

33. sec. Probl. 14. huius rei cognoscatis, videre oportet quæ scribit Aristotel. vbi quærens cur surdi per nares loquuntur inquit ideo esse, quod vitiatos habent pulmones: & idem ipsis contingere, quod anhelantibus difficulter: nam hi opus habent maxima aeris frigidi inspiratione, & ideirco conantur frequentissimè attrahere per inspirationem aerem frigidum, vbi fit magna aeris frigidi attractio, magna opus est experatione: vbi magna est expiratio non potest tota efflari per os, sed pars per nares: hinc fit quod surdi loquantur per nares. Idem contingebat in anginosis, in quib. & deglutitio & respiratio impediebatur, hinc vehementer cogebantur expirare, & in hac expiratione necessum erat vt vna ad nares ferreretur simul etiam sermo, vt loquuntur etiam illi qui ore clauso loqui conantur quos scribit Gal. in linguis, vocatos esse ἐγγαστριμύθους quasi ventriloquos, quanquam hæc vox non solum significat eos qui loquuntur ex naribus tanquam ex ventre vetumetiam eos qui velut diuinatores sunt, vt videre potestis apud Gal. & alios. Prosequitur Hippoc. enarrare ea symptomata quæ contingebant anginosis: inter quæ hoc etiam est quod respiratio ipsorum non erat admodum elata: hæc sunt verba eius.

πνεῦμα δὲ τουτέοισιν, οὐ πάνυ μετέωρον.

Spiritus autem his non admodum eleuatus.

2. Pror. com. 2. Videndum quid sit μετέωρον πνεῦμα. Gal. scribit μετέωρον, & πρόχειρον idem esse apud Hipp. hoc est eleuatum & perspicuum, quasi Hipp. nihil aliud dicere vellet nisi respirationem manifestam. nam dum homines sanitate fruuntur, spirant quidem, sed non videtur. vbi autem ægritudine aliqua detinentur vt respirare eos appereat, dicuntur habere spiritum

3. Ep. com. 2. elatum. Idem Gal. in casu mulieris illius anginosæ, nonnulla scripta reliquit magna diligentia digna: primum dubium fuisse inter Veteres quid significet propriè spiritus elatus, & citans Sabinum præceptorē inquit eius sententiam fuisse, spiritum elatum apud Hipp. nihil aliud significare, quam respirationem quæ efficitur summis narib. quid hoc sit, respiratio, quæ fit summis narib. non docuit Sabin. sed nihil aliud est inquit Gal. respirare summis narib. quā inter respirandum motitare alas nariū; id quod videmus facere iumenta & præsertim equos quando laborant anhelandi difficultate. Vt propterea Medici soleant incidere alas narium equis anhelantibus. Vult ergo Hippoc. spiritum elatum appellare a motu eleuato narium. Quomodo autem efficiatur hæc respiratio, non ita facile est intellectu: sed vt hoc sciatis quod est maximi momenti intelligendo Hippoc. scire debetis vbi homines valetudine fruuntur, sufficere motum septi transuersi, qui motus quoniam secretus est, hinc respiratio rectè valentium non est conspicua. vbi autem non ita valent, & præsertim secundum partes spirituales non solum famulatur respirationi septum transuersum sed etiam musculi dorsi: & tunc conspicua fit respiratio. cæterum si adhuc ita laborent pulmones, vt respirationis maior vrgeat necessitas, mouentur etiam alæ, & tunc respiratio admodum conspicua fit & apud Hipp. huiusmodi respiratio appellatur elata, quia & conspicua est, & fit elatis scapulis, hæc respiratio elata, fieri solet in anginosis, peripneumonicis & empicis & postremò in facultatem imbecillam habentibus. quomodo fiat in habentibus facultatem imbecillam non explicat Gal. ibi, neq; est huius loci explicare sed illud inqui-

quirendum est, cur in angina, peripneumonia & empyemate hæc respiratio fieri solet. Nō alia sane de causa hoc his euenit, quàm propter angustiam instrumenti respiratorij, quæ angustia fit a tumore, vel ab alia materia impacta aut in initio asperæ arteriæ, vel ipsis pulmonibus. fit autem ob hanc angustiam, vt cum aer nequeat attrahi frigidus ea copia qua conueniret, fit vt natura moueat omni conatu singulas thoracis partes, ad dilatandum instrumenta respirationis. Igitur in hac constitutione iure dicit fieri consueuisse spiritum non admodum elatū, si quidem fiebat elatus propter angustiam, quia angina laborabant, non erat autem elatus valde, quia cum angustia non esset insignis, sufficiebat motus thoracis, non erat necesse vt mouerentur spatulæ, & propterea erat spiritus elatus, sed non admodum.

Ἐστι δ᾽ οἷσι φλέβες αἱ ἐν κροτάφοισι, καὶ ἐν κεφαλῇσι, καὶ ἐπ᾽ αὐχένι ἐπῃρμέναι. βραχὺ δέ τι τουτέων τοῖσι παλιγκοτέουσι. κρόταφοι θερμοὶ, καὶ τ᾽ ἄλλα μὴ πυρεταίνειν. οὐ πνιγόμενοι οἱ πλεῖστοι, εἰ μὴ καταπίνειν προθυμέοιντο, ἢ πτύαλον, ἢ ἄλλο τι.

Aliquibus autem venæ in temporibus, & in collo tumidæ. breue autem quid horum recrudescentibus. tempora calida, etsi alioqui non febricitarent. non suffocabantur plurimi nisi deglutire vellent aut sputum, aut quid aliud.

Pausanias & Strabo, Scriptores celeberrimi, referunt Milonem Crotoniatum robustissimum athletam, inter alia quibus robur ostentare videbatur, hoc vnum habuisse, vt singula tempora arctissimè neruo stringeret, dein retento spiritu, conaretur frangere, sed qui fiebat vt sola retentione spiritus frangeret? Si hanc rem intelligetis, apparebit cur in istis venæ & arteriæ tumefierent. Vbi itaq; violenter retinetur spiritus, non solum prohibetur introitus aeris frigidi, verum etiam prohibetur egressus omnium halituum & fuliginum. fuligines & halitus non possunt sustineri a corde necesse est, vt cor a sese repellat semper, & hoc facit robustissima sua facultate. cum igitur retinentur halitus & fuligines nec possunt sustineri a corde necesse est vt Cor hæc a sese repellat, per arterias & venas huc & illuc, & potissimum in venas & arterias capitis propellat. Vnde quod maxima esset copia spirituum & retinerentur, fiebat impulsio copiosissima, in venas & arterias capitis, quę cum distendi non possent satis, frangebant ligamenta, haud secus cum venæ temporum tumidæ sunt in anginosis, cum angustia instrumenti respiratorij retinentur spiritus ferun tur in vasa temporalia, vnde iure videntur tempora tumere, & hæc quoq; ratio est cur illi qui strangulantur, semper id habent vt oculos exerant: & vnas frontis maximè tumentes habeant, quia propelluntur fuligines a corde robusto, & ad oculos maximè. Sed si hoc ita est, quid igitur Hippoc. narrans constitutionem quandam anginosam inquit inter anginosos grauius decubuisse eos, quibus tum idæ erant venæ frontis & temporum, salutarius illos, quibus duntaxat difficultas erat in deglutiendo, ratio hæc est, quia anginosi etsi tumidas venas & arterias habebant, non habebant tamen admodum calentes, quia erant sine febre, quo non erat adeo grauis hæc constitutio, quam illa quæ relata est sexto Epidem. in qua erat etiam febris. erat quidem angustia deuorationem impediens, sed non respirationem, sequitur Hippocrates, quod. *6. Epid. sect. 7 circa initium.*

οὐ δ᾽ οἱ ὀφθαλμοὶ ἐγκαθήμενοι.

Neque oculi intus subsidentes.

Arist. scribit ijs qui nimia venere vtuntur consumi oculos, & clunes, quod sanguis & spiritus exhauriuntur. Alexand. scribit, mœrentibus oculos subsidere, iratis prominentes fieri quia quo animus hominis fertur, eo semper & spiritus & sanguis. In anginosis nulla fiebat cōsumptio, & propterea oculi nō subsidebant: præterea potius prominebant. *4. sect Prob.* *2. Probl. 5.*

tum propter suffocationem tum maximè quia veluti irati incalescebant, & incādescebant & propterea spiritus & sanguis ferebantur in oculos. Sed nemo non videat laborantes angina, habere oculos preminentes, cur hoc vt ratum adnotauit? Puto hoc voluisse significare eum, quod etiamsi aliquas causas haberent consumptionis oculorum, nihilominus etiam vsque ad finem vitæ ijs oculi non subsidebant: hoc est rarissimum, quia fere omnes qui malè habent grauiter, aut morituri sunt, oculos habent cauos, non vana ergo dixit Hipp. inquiens oculos his nunquā subsidentes fuisse. Cuius rei hæc potissimum fuit ratio quia angina fiebat ex luxatione secundæ vertebræ, quæ non imminuebatur etiam vbi proximi essent morti neque sym ptomata etiam, quæ eadem erant, quæ prius.

Ὅσοι μὲν οὖν ἐς ὀρθὸν ἐξόγκωμα, μήτε ἑτερόῤῥοπον, οὗτοι οὔτε παραπληκτικοὶ ἐγένοντο. ἀπολλύμενον δὲ εἴ τινα εἶδον, ἀναμνήσομαι. οὓς δὲ οἶσα σῶ, περιεγένοντο. ἦν δὲ τὰ μὲν τάχιστα ῥηΐζοντα, τὰ δὲ πλεῖστα, καὶ ἐς τεσσεράκοντα ἡμέρας περιῄει. τοῦτο δὲ οἱ πλεῖστοι καὶ ἄπυροι. Πουλλοὶ δὲ καὶ πάνυ ἐπὶ πολὺν χρόνον ἔχοντές τι μέρος τοῦ ἐξογκώματος. καὶ κατάποσις. καὶ φωνὴ ἐσημαίνουσα, κίονές τε τηκόμενοι μινύθησί τινα παρεῖχον, πονηρὸν οὐδὲν δοκέοντες κακὸν ἔχειν.

Quibus igitur erat in rectum tumor, & non in alteram partem inclinans hi haudquaquam fiebant paraplectici. extinctum aliquem si vidi commemorabo. quos autem vidi hactenus seruati sunt. Erant autem partim celerrime alleuantia. plurima verò ad quadraginta dies deueniebant: & in hoc plerunq; etiam sine febre. Multi verò quoq; ad valde longum tempus partem aliquam tumoris habebant. & deglutitio & vox indicabat: & columellæ extenuatæ significationem quandam prauam exhibebant, quamuis nullum grauius malum habere videbantur.

Hactenus Hippocrat. notauit, quæ communiter anginosis contigerunt, nunc particularia refert; & quia anginæ fiebant luxatione secundæ vertebræ luxatio fieri solet aut secundum rectitudinem, aut obliquè secundum rectitudinem luxatis fit, cum vna vettebra aut plures recta exeunte a propria, sede vel intro vel extra. Obliquè autem, cum eędem vertebræ exeuntes a propria fede in vnam vel alteram partem à latere vertuntur. Quid contigerit in hac luxatione postea proponit Hippoc. breuiter & perspicuè, & primum quid ijs contingeret, quibus vertebra secunda colli intro luxabatur secundum rectum, quod autem dicit est, illis qui bus in rectum fiebat luxatio, parum mali contigisse, quia paraplectici non fiebant, & non febricitabant, & omnes sanabantur, addit omnes fuisse sanatos, quorū recordabatur, attamen si aliqui perierint, pollicetur se notaturum fuisse. Videamus ergo qua ratione Hipp. hæc adnotauerit de salute eorum qui angina laborabant, & qua ratione ij quibus fiebat luxatio in rectum, non euadebant paraplectici. Quod ad primum attinet. Erat Hippoc. diligentissimus, & non pudebat suæ memoriæ peccata detegere, erat senex quando hæc commentabatur; senes (vt scribit Plato) fere semper immemores sunt ob multitudinem imaginum, non erat ergo mirum quod Hippoc. in tanto rerum diluuio, obliuisceretur aliquorū, vt ita dixerit, omnes sanatos esse, quorum ille recor-
2. Ep. com. 7. dabatur & si qui perierint, se memoriæ mandaturum: sequitur vt videamus aliud, Gal. scri-
tex. 59 & 4. bit has duas voces ἡμιπληξία seu παραπληξία idem significare, & nihil esse nisi resolutionem a-
acut. tex. 27. licuius partis sequentem aut apoplexiam aut epilepsiam, & scribit paraplexiam idem ef-
1. Prar. com 3 se in vna aliqua parte, quod apoplexia est in tota quod sicuti apoplexia est resolutio to-
t. 26. tius corporis: pariter paraplexia est alicuius partis, fit autem resolutio quotiescunq; impeditur actio facultatis motricis & sensitricis. impeditur hæc vel ob materiam existentem præter naturam in ipsa parte, vel ob impedimentum principij. Iam verò nullum aderat impedimentum in parte, nullum etiam in principio & propterea iure non fiebat resolutio illis. Sed quomodo fieri poterat, vt non esset impedimentum neq; in parte, neq; in principio?

cipio? quia cum erat luxatio vnius vertebræ & per rectum, nerui a lateribus spinę collo-
cati sunt; vbi per obliquum fit luxatio, violantur necessario; vbi per rectum, minimè, &
ita nulla vis neq; parti neq; principio infertur. Sed cur Hippoc. hæc adnotauit? quia me-
diocria ingenia vix capere possunt, quomodo fieri potest luxatio secundę vel tertiæ verte-
bræ, & non violare partem vel principium, vt hic obseruauit. Sed quanquam omnes hu-
iusmodi anginosi seruarentur, varius tamen salutis euentus erat, variaq; symptomata; va
rius quidem euentus erat, quia aliqui statim curabantur, aliqui post quadraginta dies, qui
est dies criticus acutorum ex decidentia. aliqui longiori tempore, illud omnibus erat com
mune, quod non febricitabant, & luxatio fiebat per rectum. Varia illis erant symptoma-
ta, quia aliquibus deglutitio duntaxat vitiabatur, aliquibus loquendi facultas lædebatur.
aliquibus columellæ extenuatæ erant. Lædebatur deglutitio & locutio, quia ex luxatio-
ne facta initio per rectum, non modo aspera arteria, vnde fit sermo, verum etiam œsopha
gus vniuersus comprimebatur, ita vt neq; faciliter deuorabant, neque loquebantur. Sed
circa ea quæ diximus duo sunt examinanda, vnum est cur dixerit Galen. conuulsioni seu
epilepsiæ succedre παραπληξίας, aliud est quod Hipp. in his adnotauerit columellas fuisse
colliquatas. Circa primum est difficultas, vtrum verum sit conuulsioni succedere resolu- *4. de loc. aff.*
tionem, ex vna parte est Gal. vbi tradens differentiam inter apoplexiam & epilepsiam di *cap. 2.*
cit illam desinere in resolutionem hanc non. huic ratio adstipulatur, siquidem in epilepsia
fiunt vehementissimi motus, quibus longè repellitur materia noxia, ita vt in nulla parte
consistat, & propterea nihil impediat: imò verò vsu quotidiano compertissimum est, epi-
lepticos vbi euadunt a paroxismo perinde integros esse atq; ante paroxismum; vt mini-
mè verisimile sit, resolutionem conuulsioni succedere. Ex altera parte Galen. vbi inquit *4. acut. 27.*
epilepsiam succedere conuulsioni. Matthæus Cuttius cum vidisset vim huius contradi-
ctionis, existimauit textum Gal. 4 acut. mendosum esse: sed vidit quidem, at nesciuit cor
rigere errorem, est locus quidem mendosus, sed in eo est error quod cum Gal. dicit apo-
plexiam interdum desinere in resolutionem, legendum est epilepsiam, non apoplexiam,
adeo vt ex eo loco Gal. eliciatur manifestissimè, duas esse species epilepsiæ, alteram cum
conuulsione alteram sine ea. sed quod hoc est portentum, si epiplesia est conuulsio totius
corporis quomodo fieri potest vt detur species conuulsionis sine spasmo? Conuulsio in
epilepsia dupliciter esse solet, vel manfesta vel obscura, semper quidem fit cum conuul-
sione manifesta vel obscura, sed non semper cum manifesta. Celsus scribit interdum fie- *Lib. 3. cap 23.*
ri cum membrorum tentione, interdum sine. pariter Auic. inquit hanc interdum fieri cum *Lib. 3. fen. 1.*
conuulsione interdum sine, sed aduertite est mendosus contextus, quia vbi scribit multo- *tract. 5. cap. 8.*
ties fieri sine conuulsione legendum est aliquoties. alioqui falsissimus fuisset, quia verum
quidem est fieri interdum sine conuulsione, sed fit raro. Igitur quando Gal. scribit ἡμιπλη-
ξίας esse resolutionem consequenter apoplexiam dicere vult tunc appellari propriè apople
xiam, quando resolutio fit per apoplexiam idque fieri aliquando non semper, quando au-
tem scribit epilepsiam non desinere in resolutionem, loquitur de ea quæ fit cum conuul-
sione manifesta, quia vbi in epilepsia sunt conuulsiones ingentes & manifestæ, propterea
non potest hærere materia in aliqua partę sed longè depellitur; secus est in alia, in qua fi-
gitur in aliqua parte. Quod adnotauit, his columellas fuisse extenuatas summa cum ratio-
ne fecit, quia columella est in confinio colli, pars maximè laxa, & propterea apta ad susci-
piendas omnes iniurias. Itaq; cum vitium esset proximum ipsi columellæ æquum erat, vt
maximè tumeret, hoc autem cum non fieret, & præter rationem videretur adnotauit: &
maximè quia eæ luxationes in rectum non potuerint quidquam mali producere atq; erat
signum, haudquaquam vllum graue malum intus latere.

Οἱ δὲ ἑταρόῤῥοπα ἔχοντες, ἤτοι ὁπόθεν ἂν ἐγκλιθείησαν, οἱ σπόνδυλοι αὐτῇ παρελύοντο τὰ δ' ἐπὶ θάτερα εἵλκοντο.

Qui autem in alteram partem inclinantia habebant, quoniam inclinatæ erant vertebræ, ibi resoluebantur & ad altera trahebantur:

Hactenus proposuit nobis Hippoc. ea symptomata quæ sequebantur anginosos, luxatos scilicet in secunda ceruicis vertebra secundum rectum, nunc autem ea refert, quæ contingebant ex luxatione secundum obliquum. Et vt hanc rem intelligatis, scire oportet tribus modis luxari vertebras spinæ, aut secundum rectum, aut secundium obliquum: si secundum rectum, vel intro vel extra, vbi fit, luxatio intro, appellatur λόρδωσις curuationem dicere latinis licet, si fiat extra, appellatur κυρτωσις nostris gibberositas seu gibbositas. Si hæc luxatio fiat ad latera siue dextrorsũ siue sinistrorsum, appellatur σκολίωσις nos obliquitatem appellamus. Itaque hactenus Hippoc. de recta luxatione & pręsertim de curuatura egit, in dictione autem pręsenti de σκολιώσει agit, & dicit, hæc symptomata fuisse; quod quicunque hac luxatione capiebantur, ijs fiebant paralyses in parte in qua inclinabant vertebræ; partes aduersæ contrahebantur. Duo ergo circa pręsentia, & pulcherrima scitu, & vtilia, sunt consideranda: vnum est; qui fieret vt in luxatione obliqua vertebrarum, fieret resolutio; alterum quomodo partes illæ in quas inclinabant vertebræ, resoluebantur, partes aduersæ trahebantur. Vt primum rectè intelligatis, scire debetis quid sit resolutio & contractio, quæ παράλυσις a grecis & Hipp. hoc loco appellatur. Proprie, & communiter accipitur: proprie accepta, est priuatio alicuius partis motus & sensus, & appellatur resoluta propriè. quod si vel solo motu vel sẽsu priuatur, nõ verè appellatur παράλυσις sed cõmuniter non propriè. Iam vero hęc priuatio sensus & motus cum sit actio impedita, oportet vt sequatur aliquẽ affectũ, vt Gal. habet. Igitur necesse est vt vbi adest resolutio, adsit affectus aliquis hic autem esse potest vel in ipsa parte affecta, vel in principio: si in parte affecta, huiusmodi affectus aut est simplex relaxatio aut contractio. Siue igitur affectus relaxat partem, aut contrahit: dicitur relaxata pars cum præter amissionem sensus & motus adeo mollis est, vt non possit retineri: contracta autem, quũ breuior fit & rectitudinem propriam amittit. Tam contractio, quàm relaxatio est, ab vno eodẽq; affectu, nempe ab humiditate nimia: sed illud difficile & pulcherrimum scitu est, quomodo vna eademque humiditas modo laxet modo contrahat neruos. Audite si Deo placet, veram rationem huius contemplationis. Neruus qui est vehiculum sensus, & motus ad musculos, & consequẽter ad partes, aut propriè & essentialiter pati potest, aut propter passionem principij; sin propter passionem sui principij neruus & musculus manet in suo loco, & tantum expers sensus & motus, si propriè & essentialiter, aut patitur vt corpus similare aut organicum: sit vt similare, relaxatur, quia humectatur totus neruus: & ideo fit vt pars videatur resoluta & relaxata: si autem vt pars organica patiatur, tum neruus necessariò fit breuior, quia dum pori & meatus replentur peregrina materia, dilatatur, vbi dilatatur, necessario secundum longitudinem minuitur, & cum minuatur necessario se contrahit versus principium. Igitur si patitur propter impedimentum sui principij est pars in naturali rectitudine, quia nihil aliud habet quam priuationem sensus & motus, quæ non aufert figuram, vbi autem videbitis partem relaxatam esse aut contractam, est in parte affectus. Si partes sunt relaxatæ, afficiuntur vt membra similaria: si contractæ, vt organica esse affecta membra, iudicate; hoc est, humore peregrino repletos esse meatus. His constitutis videamus quæ dicit Hipp. in anginosis vbi vertebræ luxatæ in latera sunt, dicit fiebat paralysis, igitur fiebat priuatio sensus, sed quia dixi hanc priuationem fieri posse, aut affecto principio, aut parte colligitur ex Hippoc. partem fuisse affectam, quia pars affecta relaxabatur, aduersa contrahebatur. Affectus erat contractio meatuum ipsorum neruorum: nam vt Anatome docet vtrinq; a spina collocati sunt nerui qui deferunt sensum & motum parti-

De diff. symp. cap. 4.

bus

bus eſt: vbi autem vt membra ſimilaria, vel vt organica afficiuntur, nequaquam poſſunt eſſe vehiculum facultatis ſenſitricis & motricis. Afficiebatur ergo vt pars organica neruus, quia ex compreſſione vertebrarum adeo coarctabatur, vt non eſſet capax facultatis motricis & ſenſitricis. Igitur videre poteſtis, quam bene Hippocrates hæc adnotauit, de quibus etiam Galenus agit. Sequitur vt videamus, cur dicit Hippocrates: partem in quam inclinabant vertebræ priuatam fuiſſe ſenſu & motu, & relaxatam: aduerſam verò fuiſſe contractam. Hippocrates dixit: ſæpe contigere vt vulnerata vel contuſa aliqua parte capitis, aduerſa contrahatur, rationem plærique inueſtigarunt: inter veteres Caſſius, & Alexander in Problematibus Medicis; inter recentiores, omnes interpretes. Sed vſque adeo arduum fuit huiuſmodi problema, vt quot fuerunt Scriptores tot ſententiæ. Verum ſcire debetis, id quod ſæpe docuit Ariſtoteles: naturam iuſtiſſimam fuiſſe, atque vt corpus noſtrum recta figura maneret (ad quod homo proprie eſt factus, vt Plato inquit) adeo librauit, vt vbi aliquid in vna parte poſuit lateris, ſemper idem in oppoſito poſuerit: id videre licet in oculis, auribus, brachijs, cruribus. Si vnam partem fecit, eam ſemper in medio collocauit: quemadmodum linguam, pulmones, cor. Nec quidquam obſtat, quod natura interdum non videtur hunc ordinem ſeruaſſe, vt in liene & iecinore, quod (vt Ariſtoteles ſcribit) lien eſt quaſi ſiniſtrum iecur, vt ſemper in carentibus liene facit bipartitum iecur, teſte eodem Ariſtotele. Cum ergo hanc iuſtitiam ſeruauit, id multo magis fecit in neruis. Vnde vt erectus eſſet homo, ex vtraque parte ſunt nerui & muſculi, qui æqualiter ad ſe trahentes, erectum conſtituunt, hominem: vbi non æqualiter atrahunt, illi qui magis valent partem ad ſe flectunt. Quod cum ita ſit, iam videre licet qua ratione dicat Hippocrates: in his anginoſis partes affectas fuiſſe relaxatas, & aduerſas contractas: nam nerui compreſſi carentes facultate motrice, non poterant trahere: aduerſis trahentibus, & non obſiſtente parte affecta, iure pars aduerſa ſe contraxit, aliaq; relaxata eſt.

4. de loc. aff. cap. 2.

Lib. de vulneribus capitis.

3. de part. animal. cap. 7.

Ἦν δὲ ταῦτα ἐν προσώπῳ καταφανέα μάλιστα, καὶ τῷ στόματι, καὶ τῷ κατὰ γαργαρεῶνα διαφράγματι. ἀτὰρ καὶ γνάθοι αἱ κάτω, παρήλασσον κατὰ λόγον. Αἱ δὲ παραπληγαὶ, οὐ διὰ παντὸς τοῦ σώματος ἐγίνοντο. οἷον ἐξ ἄλλων, ἀλλὰ μέχρι χειρός. Τὰ ὑπὸ τοῦ κυναγχικοῦ. οὗτοι καὶ πέπονα ἀναπτύοντες, καὶ βραγχώδεες ἦσαν. Οἷσι δ' ἐς ὀρθὸν καὶ ἀπέπτυον.

Erant autem hæc in facie manifeſta maxime, & in ore, & in ſepto gargareonis, imò & buccæ infera mutabantur ſecundum proportionem, reſolutiones non in toto corpore fiebant, quemadmodum ex alijs, ſed vſque ad manum quæ ab anginoſa parte. hi & cocta expuentes, & rauci erant. quibus autem in rectum, & hi expuebant.

Addit Hippocrates huiuſmodi reſolutionem, & tractionem conſpicuam fuiſſe in facie, & ore, & ſepto gargareonis atque ipſis faucibus. ſed dubium hic non vulgare oritur, cur cum malum eſſet in ſpina, apparuerint hæc ſymptomata maximè in facie? ratio dubitationis eſt, quia vt Gal. teſtatur ea eſt lex perpetua, vt quotieſcunque læditur aliqua pars faciei in ſenſu & motu, læditur neceſſario principium neruorum, tanquam radix; hoc ſi verum eſt, quomodo fieri potuit in his anginoſis, vt hæc ſymptomata apparerent in facie, in quibus tantum ſpinalis medulla fuit affecta? (ſed de his audietis ipſum Hippocratem, qui ſcribit: reſolutionem non fuiſſe in toto corpore, ſed perueniſſe ad manum vſque duntaxat) Galenus vidit hanc difficultatem, ſed non ſatis explicuit: miror ſane ab alijs huiuſmodi nodum fuiſſe aut ignoratum, aut neglectum. Certum eſt, ſi expendamus conſtitutionem, & fabricā principij medullę, ibi muſculum eſſe inueniemus, qui circumquaq; diffuſus, etiam buccis vtilitatem præſtat. propterea (vt Gal. memoriæ proditum reliquit,

4. de loc. aff. cap. 2.

4. de locis aff. cap. 3.

libro quarto de locis affectis) necessarium est, vt patientibus musculis & neruis spinæ secundæ vertebræ paterentur, & buccæ. Sed cum non pateretur principium neruorum, mirum videri posset, quomodo vel conuulsio, vel paralisis esset facta: eapropter imaginatus sum Hipp. hæc verba dixisse, vt ex priuatione mali ipsius faciei, malum esse in alia parte, hoc est principio spinalis medullæ, clarum vnicuiq; foret: quasi dicat, hæc mala maximè conspicua fiebant ex facie, quia cum facies nihil pateretur, signum erat, non alibi esse malum, quam in initio spinalis medullæ. Sequitur Hippocrates enumerare quædam alia symptomata, quæ consequebantur hos anginosos. primum est; quod in his, in quibus in obliquum luxata erat vertebra, non fiebant resolutiones in totum, sed tantum ad manum vsque alterum quod contigebat his, erat, quod expuebant concocta, & tamen rauci erant. tertium quod illi, quibus in rectum tumor decumbebat, expuebant. Hæc quidem si superficietenus expendantur, non videntur Hippoc. grauitate digna esse, sed nullibi ille quidquam otiosum nobis relinquit, vt millies dixi. dicit Hippoc. in his paralysim seu resolutionem non fuisse per totum corpus, sed tantum vsq; ad manum. Quod non esset resolutio in totum, maximè erat rationi consentaneum, quia si totum læditur, principium affectum iri necesse est: in his non lædebatur cerebrum, & principium, sed tantum initium spinalis medullæ, & propterea iure fiebat vt non esset resolutio in totum, sed cur erat resolutio ad manum vsq; quia nerui qui deferunt sensum & motum ad manum, oriuntur a vertebra secunda, hoc est dente, & protenduntur ad manum, & propterea cum hi essent compressi, impediebatur illustratio facultatis, vt hinc totum illud membrum accipiens motum & sensum a secunda ceruicis vertebra, priuaretur sensu & motu. Sed cur hæc annotauit? vt doceret Medicos ne facile deciperentur, quia Medici vulgares dum vident aliquam partem esse sensu orbatam, existimant non principium neruorum eius affectum esse, sed partem ipsam. Videte Gal. vbi de Pausania agit. Cum igitur facilè sit, vt aliqui Medici in his rebus quæ sunt maximi momenti, fallantur, voluit docere, vt affecto principio spinalis medullæ partes, quæ ab illo sensum & motum habent, eo priuentur. Secundum symptoma erat, quod huiusmodi anginosi concocta expuebant, & tamen rauci erant, cur Hippoc. hanc rem adnotauit, quæ non ita magni momenti esse videtur? Erat sane admiratione dignum, quod in his anginosis sputa essent cocta, & tamen raucedo perseueraret, quia raucedo fieri solet vel propter immensam siccitatem, vel propter crudam humiditatem, vel propter aliquod tuberculum. si propter siccitatem, rationi consentaneum est, vt quoties cocta exspuuntur, curetur raucedo: siquidem cocta materia corrigitur: si propter crudam humiditatem æquum est, vt apparente coctione in sputo abeat, quia si cruda materia causa est raucedinis, vbi coctio est, causa abest: si a tuberculo, pariter se res habet, vbi coctio est. Itaq; apparente concoctione, videbatur rationi consentaneum, vt finiretur raucedo, non finiebatur tamen, quod Hippocrates tanquam mirum adnotauit. Sed cur igitur raucedo perseuerabat, cum concoctio apparebat. Raucedo in his oriebatur a luxatione, ex luxatione necessario comprimebatur larinx, quia impediebatur respiratio, deglutitio; ex huiusmodi compressione duo contigebant: vnum, quod exasperatus ille locus, non adeo clarum sonum edebat, vt conueniebat: sed propter asperitatem partis, aspera & rauca, quoque edebatur vox. Erat etiam alia causa, quia, tametsi tuberculum crudum, quod Galenus dicit in his contigisse, esset concoctum, & propterea concocta expuerentur. tamen a capite humor delabebatur, qui delapsus in laryngem vocis raucedini occasionem præbebat. tertium quod Hippocrates scribit est, quod illis quibus luxatio fiebat in rectum, expuebant. Galenus dum exponeret hunc locum, videtur voluisse sententiam Hippocratis eam fuisse, quod isti facillimè expuerent, quasi dicat illi quibus fiebat luxatio in rectum, facillimè expuebant: facilitatis expuitionis inquit Galenus causam fuisse, quia resolutio in hac parte nulla erat, quia nerui non comprimebantur. Ergo cum non fieret compressio, neque resolutio, liberè expuebant. Sed non puto Hippocratem hoc voluisse docere, quia ille non loquitur de facilitate, aut difficultate expirationis. Iuratem nihil aliud voluisse dicere, quam

3. de locis aff.

quam hos anginosos, tametsi nihil mali videbantur habere, habuisse tamen hoc, quod expuebant frequenter. sed omnes homines expuunt, ex præsertim tali constitutione, propterea narrat Xenoph. apud Persas ingnominiosos fuisse eos, qui frequenter expuerent. *In expeditio* Si ergo omnes expuunt, cur adnotauit hoc Hippoc. vult dicere ille hoc in loco, quod fre- *ne cyri.* quenter & copiosè expuebant, nam hæc vox ἀπέπτυον significat non aliquam, sed frequentem imò continuam expuitionem. Sed cur frequenter expuebant? quia fauces debiles inuitabant naturam ad excernenda excrementa cerebri, & propterea vbi esset insignis copia humiditatis, & præsertim illa constitutione, magna copia defluebat in fauces, vnde frequenter expuebant, & plurimum.

ὅσοι δὲ καὶ ξὺν πυρετῷ, οὗτοι πολλῷ μᾶλλον καὶ δύσπνοοι, καὶ διαλεγομένοισιν ἀλλοχόοι. καὶ φλέβες τουτέοισι μᾶλλον ἐπηρμέναι, καὶ πόδες. πάντων μὲν ψυχρότατοι, τούτων δὲ μάλιστα καὶ ὀρθοστατέειν ἥτοι ἀδυνατώτεροι, καὶ οἵ τινες μὴ αὐτίκα ἔθνησκον. οὓς δὲ ἐγὼ εἶδα, πάντες ἔθνησκον.

Quibus autem cum febre hi multo magis & anhelosi, & loquentes alienabantur, & venæ his mag s elatæ, & pedes quidem omnium frigidissimi, horum autem maximè & erecti stare hi impotentiores, & quidam non statim peribant, quos autem ego vidi, omnes interierunt.

Hactenus Hipp. retulit quæ contigerent ijs qui laborabant angina sine febre, nunc narrat quæ contigerunt anginosis febricitantib. fuerunt autem ij, primũ erat, quod qui febricitabant, difficilius respirabant, quam illi qui erant sine febre: alterũ quod magis saliuam effundebant ab ore, tertiũ venæ & arteriæ erant multo elatiores: quartũ frigidos pedes habebant, quintum impotentes erant. addit postremo loco Hipp. (& hanc sectionem concludit) quod omnes quot quot vid t, interierunt, & aliqui citissimè: hæc sunt omnia, quæ narrat Hippoc. contigisse anginosis febricitantibus. Circa quæ vt more nostro discurramus, indagare oportet, vtrum fieri possit, vt angina fit sine febre, primum habemus auctoritatem Hipp. qui manifestè hoc loco monstrat fieri sine febre, qui lib. de morbis, de angina agens idem docuit. Cœlius Aurelian. inquit: sese in alijs libris locutum fuisse de mor *Li. 4. de morb.* bis omnibus cum febre, in posteriori pollicetur se tractaturum de morbis sine febre, & sta *acut.* tim agit de angina quę est sine febre. Vnde clarissimè colligitur, fieri anginam sine febre. Sed ex altera parte videtur vix fieri posse angina sine febre, primo quia angina est tumor inflammatorius, vt audiuistis suo loco. fieri inflammationem in faucibus, & non febrem, videtur a ratione esse alienum. præterea Gal. inquit, morbos acutos semper coniunctos *1. Aph. 7 &* esse cum febre, sed angina est morbus non solum acutus, sed acutissimus, ergo necessarium *3. de diff. resp.* videtur vt huic semper sit iuncta febris. In hac difficultate dupliciter responderi potest, primo auctoritate & sententia Gal. quo in loco loquens Gal. de angina inquit: duplicem *4. Aph. 34.* esse febrem, aliam magnam, aliam paruam, si de magna loquamur, nõ est verum, sed si de parua omninò est necessarium, vt semper anginæ saltem copuletur febris parua, scilicet propter antedictam rationem. aliter responderi potest, duplicem esse anginam; aliam veram cui semper connexa est inflammatio, aliam spuriam, quę fit ab humore pituitoso, aut luxatione: si de vera intelligamus, semper huic connexa est magna febris, & hoc Gal. scri- *4. Aph. 34.* bit, si de spuria, certe necessarium non est vt huic connectatur semper febris magna. Vnde cum Hippocrates hic loquatur de omni angina; tam legittima, quam illegittima, minimè mirandum est, dixisse: modo fuisse sine febre, modo cum ea. Prosequamur verba Hippocratis: primum symptoma erat, maior respirandi difficultas; causam huius indagauit Galen. (si ipse est) in commentario, dicitque ideo euenisse, quia pituita in ipsis colliquata fundebatur in pulmones: quos repletos pituita, cum non possent deponere, sequebatur anhelandi difficultas. Non nego sanè hanc causam vnam fuisse difficultatis respirandi; sed sum huius sententiæ alias quoq; causas his accessisse, & primum eam, quod laborabant inflammatione partes instrumentis respirationi deseruientibus proximè: vnde

cum instrumenta respirationis essent angustiora reddita iure anhelitus difficultas orta est. Præterea febricitabant & vehementer febricitantes egere vehementi respiratione, quia magna refrigeratione opus habent, certissimum est: Sed hoc adnotandum est, nunquam ex sola febre fieri posse ingentem respirandi difficultatē, quia etsi causæ contingentes febres sunt, tamen potissima est latitudo & amplitudo instrumentorum respirationi deseruientium. propterea his anginosis non suffecisset etiam febris maxima ad difficultatem anhelitus pariendam, nisi fuisset vna angustia vasorum spiritualium, a tumore inflammatorio. Sed quæ est ratio quod febris ingens non faciat sola difficultatem anhelitus? manifesta est, quia respiratio fit per multos meatus, nares, os, & arterias distributas per vniuersum corpus, vt facilè sit tantum aeris attrahi, vt sufficiat corpori vniuerso, secus est vbi angustia est in vasis respirationi seruentibus. Quare iure adnotauit Hippoc. in his difficultatem anhelitus esse factam tum ob tumorem, tum ob febrem magnam. Secundum erat, quod copiosius ab ore profundebant saliuam, quam illi qui non febricitabant. Triplex lectio est in contextu græco in aliquibus σιοιλοχέοι in aliquibus ἀλλόχροοι, in aliquibus ἀλλόχοοι, quasi aliena loquentes, saliuam profundentes, tum alienum colorem habentes. De Caluo, alienum colorem habentes, non sum sollicitus, quia falsa lectio est. de alia; aliena loquentes, hanc lectionem etiam non vsq; adeo probo, sed hanc magis saliuam profundentes, quia grauitati Hippoc. magis conueniebat notare hoc de saliua tanquam rarum, quam alienationem mentis; propterea illud verè notatum est ab Hipp. huiusmodi anginosos inter loquendum consueuisse copiosam effundere saliuam: nam quod saliua inter loquendum ab hore effundatur, solet plarisq; contingere & præsertim senibus, vnde senex ille apud Plautum in milite glorioso gloriabatur se neque sputatorem, neq; screatorem esse: & causa est non solum copia humiditatis quæ eliquatur inter loquendum, & eliquata effunditur; sed sæpe solet esse causa inaduertentia & negligentia. Sed hoc loco duo occurrunt aliqua consideratione digna; vnum, qui fieri possit, vt cum huiusmodi anginosi vehementer febricitarent, tamen dicat eos copiosius saliuam effudisse, quam alij: quia vbi febris insignis est, solent vehementer exiccari ora, vt non possint expuere; attamen inquit ille vehementer febricitasse & expuisse. aliud est: cur Hippoc. inter symptomata anginosorum nullam fecerit mentionem erroris mentis, cum tamen verisimile sit magnopere delirasse. Gal. loquens de pulsu pleuriticorum inquit: signum esse certum, quod delirant: quia cum habent in pectore inflammationem ab eo necessario feruntur vapores in caput, qui cum sint acres & feruidi, necessario confundunt omnes operationes intellectus, si ergo in pleuriticis semper mens errat, magis debet hoc contingere in angina, quia fauces sunt proximiores cerebro. Ergo certissimum est debuisse hoc vnà adnotare Hippoc. Pro dissolutione prioris nodi, dicendum febrem: aliqua facere ex propria natura, aliqua ex consequentia, ex propria natura semper exiccat quia est intemperies calida & sicca, & Poetæ appellant febrem torridam. per accidens humectat, quia vbi aliqua pars corporis & præsertim caput humoribus repletum est, humores hi dissoluuntur, dein destribuuntur per corpus vniuersum, & potissimum in os & fauces, quare cum in his anginosis esset febris, & capita repleta multis humiditatibus dissolutæ sunt hæ humiditates & in fauces prolapsæ, & cum impidirentur quominus in pectus præcipitarentur, contingebat vt in os ferrentur, & expuerentur. & hinc illa saliuatio. quæ eo maximè inter loquendum accidit, quia vbi homines loquuntur, multo magis colliquatur humiditas cerebri, & magis colliquata effunditur in os. imò eo maxime, quia natura, ne homines loquentes nimium exiccarentur, fabrefecit glandulas vtrinq; in faucibus. Postremum dubitabatur cur Hippoc. non meminerit erroris mentis: respondeo, quod sæpe responsum est a me, nunquam cum vulgaria voluisse adnotare, sed rara duntaxat, vnde cum vulgatissimum esset vt laborantibus faucibus inflammatione mens semper confundatur hinc factum est vt noluerit adnotare. Id quod cum cognouisset Gal. siue alius quisquis est, inter alias causas saliuæ copiosissimæ addit quod propter errorē mentis obliuiscebantur ornatu corporis & elegantiæ, nam maximè pertinet ad hominē prudentē, vt semper inter loquē-

4. de cau. pul. cap. 8.

dum hoc vitium effugiat. Tertium symptoma quod comitabatur anginosos febrientes e-rat, quod arteri temporum magis attollebantur. Audiuistis rationem propter quam qui strangulantur solent habere arterias temporum eleuatas, quia cum prohibeatur exitus spirituum & fuliginum per asperam arteriam in pulmonib. fit, vt retineantur, ac distribuantur per arterias, & sursum naturaliter ferantur. Id quod certe anginosis accidit, tum quia suffocabantur, tum quia febricitabant, quibus duabus de causis cum generarentur multæ fuligines, nec exirent per asperam arteriam, retentæ ac sursum elatæ, tumores arteriarum faciebant. Sed dubitatur, cur potius venæ & arteriæ attollantur temporum, quam vllæ aliæ partes; siquidem vbiq; in capite sunt venæ & arteriæ. Arist. propterea tempora citissimè omnium canescere, quia locus humidissimus est, & consequenter aptissimus ad recipiendos flatus, & omnes iniurias alias. sic Alex. dicebat neminem caluescere circa tempora propter loci humiditatem. Vnde cum hoc ita sit, iure fit, vt venæ & arteriæ temporum magis attollantur, vt videmus interdum venas iugulares in ingentem tumorem attolli. Quartum symptoma erat, quod qui febricitabant semper frigidissimos pedes habebant. ratio propter quàm hoc fiebat nulla alia fuit, quàm quod ob ingentem æstum febrilem calor natiuus cogebatur introrsum, vel vt habet Gal. quia a calore ingenti febrili calor veluti extinguebatur natiuus, vnde postmodum partes extremæ refrigerebantur: nam Arist. quærens rationem propter quid trepidantes soleant secundum pedes sudare, inquit idcirco esse, quia pedes sunt partes debilissimæ; propter quod inquit in vsu positum est apud Medicos, vt semper curent pedes ægrotantium maximè tegi, eo quia a pedibus tanquam a partibus debilissimis & frigidissimis semper solet oriri ille rigor, qui antecedit febres. Quintum symptoma & postremum quod comitabatur anginosos febriētes inquit fuisse; quod qui ægrotabant erecti manere non poterant, sed cur est quod Hipp. hanc rem vulgatissimam adnotare voluerit, quis enim ignorat omnes fere anginosos & febrientes & grauiter laborantes non posse erectos manere? puto hoc iure fecisse, scilicet vt doceret, omnes hos lætalissimè decubuisse, siquidem in anginosis, in difficulter spirantibus, varia spes salutis posita est in erectione, quia nisi erecti maneant, spirare non possunt, vnde cum hi erecti manere non possent, voluit docere, hos lætalissimè decubuisse. Itaq; iure subiunxit Hipp. omnes, qui sic ægrotabant, perijsse, imo addit, aliquos etiam statim interijsse, & bene, quia cum respiratio vel momento intercipitur, statim animalia pereunt, vt iure dixerit Seneca, cum ipse laboraret anhelandi difficultate, huiusmodi ægritudinem nihil aliud esse, quam continuo perire. Sed quæret aliquis rationem propter quam erecti manere non poterant, ratio huius rei digna scitu proponitur a Gal. vbi appositissimè docet; erectionem corporis nostri fieri, quia musculi positi vtrinq; tonicè semper mouent, ita vt æquè semper dum erecti manemus musculi dextræ partis tendant ac sinistræ, & musculi antici semper tonicè moueantur, vt postici. vnde tantisper homines erecti manere possunt, donec huiusmodi motus fiat, donec musculi omnes tonicè moueantur, quoties ergo facultas motrix impeditur, quo minus ad musculos feratur, fit vt hi priuati eá, huiusmodi motum minimè ferant, & ægri minimè erecti possint esse. vnde cum in his impeditus erat excursus facultatis motricis a cerebro ad partes infernas, iure fiebat, vt musculi non possent mouere tonicè, & vt erecti non possent esse.

3 de hist. animal cap. 11.

5. de gen. animal. cap. 4. & lib. de coloribus hum.

Sec. 2. Probl. 11.

Sec. 2. Probl. 26.

Epist. 55.

2. de motu muscul. & 2. prog. tex. 6.

HIERONYMI
MERCVRIALIS FOROLIV.
IN SECVNDVM EPIDEM.
HIPPOCRATIS.

ΤΜΗΜΑ ΤΡΙΤΟΝ.
SECTIO TERTIA.

HIERONYMI
MERCVRIALIS FOROLIV.
IN SECVNDVM EPIDEM. HIPPOCRATIS.

ΤΜΗΜΑ ΤΡΙΤΟΝ.
SECTIO TERTIA.

VETVSTISSIMA consuetudo fuit, vt qui profitentur publicè, quotannis præfationem aliquam faciant; & non sine ratione; quia vbi aliquid noui tractandum est, vt rudia ingenia præparentur, vt intelligant, & memoria complectantur ea quæ dicuntur. Sed vbi velut inchoata tractatio est continuanda, secus est; quia iampridem præparata sunt ingenia. Et hoc est, quod Arist. scribit. vbi res tractanda vel parua est, vel iampridem manifesta & patens, non esse opus exordio. Itaq; cum hoc anno nihil noui sim tractaturus, sed librum iam inchoatum Secundum E idemiorum continuaturus, ab hoc officio præfandi liberum me esse existimo. Veruntamen vt facilius connectantur ea, quę deinceps dicam superioribus, nonnulla cum vtilissima, tùm iucundissima præmittam. primum illud est; me sæpe mirari solitum, qui fiat vt in scholis non legatur vnus Hippoc. Gal. & Auicennas? digni quidem sunt vt æterna memoria celebrentur, sed auctores sunt adeo fusi & clari, vt nulla interpretatione egeant. In Hippoc. secus est, qui multa breui sermone complectitur semper, & est obscurus: is fuit, qui nobis præcepta saluberrima reliquit, semina artis iecit, omnia inuenit. Itaq; maximè rationi consentaneum esse puto, vt Hippoc. præ cæteris legatur. Quod ideo dixi, vt intelligatis studium vestrum diligentiam, industriam, & labores in hoc versari debere, vt hunc assiduo lagatis, optimè intelligatis, & memoria teneatis. Aliud, quod in memoriam reuocandum est vobis, est; Hipp. id fecisse, quod alij præstantissimiq; in arte medica viri faciebant, peregrinatus est per varias regiones, vrbesq́. obseruauit omnia, & diligentissimè in aduersarijs referebat, vt dein ex obseruatis, præcepta colligeret, artẽq; rectè profiteri & tradere posset. ita fecisse Democritum præceptorem Hippoc. Suidas, & alij perhibent, apud quos habetur illum fecisse χρυτωτήρια, seu ἐπιχρυτικὸν, librum, vt latine loquar: selectorum, quem excerpsit ex suis aduersarijs. haud secus quoq; fecit Hippoc. qui vt sibi compararet artem medicam, eamq; posteris perfectam relinquere posset, patriam reliquit, & peregrinatus est: atq; nihil antiquius fuit, quam omnia adnotare obseruatione digna, in aduersarium & promptua-

ptuarium, referre: hinc libri Epidemiorum emanarunt: atq; ex his deniq; Aphorismorum Progn. & præsagiorum. Vnde tanto magis hanc doctrinam complecti debetis, quæ sit quasi totius medicinæ σύναψις quædam. Intra libros autem Epidemiorum, deliberaui anno præterito, secundum auspicari, quia ab aliquibus tractatus est, a paucissimis intellectus, a nemine tamen contemptus; in quo tanquam in promptuario mirabilia præcepta reliquit nobis Hipp. Itaq; iure explicatis iam prioribus duabus sectionibus secundi huius libri, sequitur vt tertiam aggrediamur, quæ partim historijs, partim de grauib. & sententijs referta est: quæ omnia ita tractabimus, quemadmodum anno preterito tractata sunt: primo sententias explicabimus, tum nodos dissoluemus, deniq; ad faciendam medicinam præcepta ac obseruationes trademus. & si quæ ante dixi vobis placuere, aut non displicuere, eodem studio aut (si fieri possit) maiore vtar. Ad Hippocratem veniamus.

Ἐς Πέρινθον περὶ ἡλίου τροπὰς ὀλίγον τὰς θερινὰς, ἤλθομεν. Ἐγεγόνει δὲ ὁ χειμὼν εὔδιος, νότιος. τὸ ἔαρ καὶ τὸ θέρος; πάνυ ἄνυδρον μέχρι πλειάδων δύσιος· εἰ γάρ τι καὶ ἐγένετο, ἦν ὅσον ψεκάς. καὶ ἐτησίαι οὐ κάρτα ἔπνευσαν, καὶ οἱ πνεύσαντες, διεσπασμένως.

In Perinthum circa fere solstitium æstiuale venimus. fuit autem hyems clemens, australis. ver & æstas admodum sine aquis vsq; ad pleiadum occasum, etenim si quid fiebat, erant veluti guttæ, & Etesiæ non valde spirarunt, & qui spirassent, dispersim.

Ex hoc loco, vt plærisq; alijs licet facile colligere, Hipp. nostrum, (vt nuper dicebam) peregrinatum esse, vt artem medicam, discere, & perfectam memoriam posteris relinquere posset. Et quoniam in scribendis ijs quæ obseruauit semper pro more habuit, vt temporum constitutiones proponeret, scire debetis, tres constitutiones descriptas nobis reliquisse: vnam quæ in Thaso contigit, explicatam primo libro Epidemiorum: quæ triplex est. alteram, quæ in Cranone contigit, quam anno præterito secundo libro Epidemiorum explicauimus. tertiam. Perynthi, quæ nobis hoc anno est diligenter examinanda & tractanda. Sed cur Hippoc. sæpe constitutiones temporum præponat alijs tractationibus, Gal. pluribus in locis hanc causam habet: quia, ex perspecta temporum constitutione, sagax medicus facile possit colligere morborum causam, naturam, & curandi rationem. vt qua solet breuitate paucis multa complectatur. Vt autem viuam anatomen huius faciamus, scire debetis trià proponere nobis præcipua hoc loco Hipp. locum, tempus, atq; modum. locus, est Perynthus. tempus, solstitium æstiuale: natura constitutionis, tota sicca. De loco, vbi fuit certum est fuisse celebratissimum. fuit enim Perynthus vrbs in Propõtide Thraciæ nobilissima, quæ hoc tempore vocatur Heraclea, ab Heracleo Constantino-

4. de gen. animal. c. 4. circa finem. politano Imperatore, huius pauca est facta apud scriptores mentio. Arist. commemorat vaccam quandam fuisse hic, quæ cum haberet anum occlusam, tamen vixerit. sed hæc, nihil ad nos. Vtrum autem aer fuerit salubris, an morbidus, & pestifer, controuersia esse potest, quia hac de re nihil certi habemus apud auctores. Ex vna parte rationi cõsentaneũ esse videtur, hanc vrbem habuisse cœlum satis clemens, & salubre, quia narrant omnes, Vespasianũ, Domitianũ, & Antoniũ Imperatores, extruxisse in ea insigna prætoria, ędes maximas, & præ cæteris amphiteatrum marmoreũ miraculum orbis a plurimis appellatũ. si enim aer non fuisset salubris, non debuissent hanc regionem ita nobiltare. Ex altera

15. Probl. probl. 3. parte est, quod Perynthus. vrbs fuit Thraciæ, de quibus populis. Arist. scribit gentem fuisse barbaram, hebetem, & immemorem; & adeo sane vt nescirent decem vsque numerare. Quod si verum est hoc Arist. & Platonis, quod optima ingenia ab aere clementi

14. Prob. probl. 1. in Timeo rudia, ab insalubri nascantur colligi facile potest, quia hebes gens erat, aerem fuisse insalubrem. Ego existimo cœlum diuersum fuisse, vt alicubi tarda, alicubi acria producerentur ingenia; nam Arist. non dixit hoc de tota Thracia, sed de parte eius. reliquà regio potuit fœlicior fuisse ingenijs animisq; & inter has Perynthus. Imo puto ego non sine summa ra-

ma ratione & iudicio adscripsisse nomen vrbis: vt doceret magnam, & aduersissimam fuisse, constitutionem; postquam cœlum alioqui benignissimum ita sæuijt. De tempore, scribit Hippocrates, fuisse fere circa solstitium æstiuale. Id quod non absque insigni prudentia voluit annotare. nam docuit in præclarissimo libro de aer. aq. & loc. debere Medicos magnopere obseruare omnes mutationes temporum, vt autumnum, ver, & præsertim vtraque solstitia: quod huiusmodi temporibus, (quas appellat magnas mutationes) magni solent fieri morbi, & facti extingui. Itaque iure etiam adnotauit solstitium æstiuale. Atq; vt mysteria huius dictionis recte comprehendatis, scire opus est, duo esse solstitia, (Græci τροπάς appellant,) alterum est a secundo die mensis Iunij, & appellatur solstitium æstiuale: alterum a secundo die Decembris: appellarunt Græci hoc tempus hyemale; Varro, Columell. puri omnes Latinæ linguæ Scriptores, brumam. tempore brumæ, multum abest vt fiant, & soluantur morbi, imo Plinius, celeberrimus auctor: dixit nunquam pestilentiam fieri tempore brumæ, obseruatum esse. secus est de æstiuali, quippe quod non solum Hippocrates libro de aere aquis, & locis; sed Aristoteles Hippocratem sequutus Sectione prima Problemat. vigesimo sexto dicebat, morbosissimum esse, ita vt (dixit Aristoteles) per quinquaginta dies circa solstitium maximè homines interire; vnde apud Plautum quidam ægrum desuadens inquiebat: morbo solstitiali in eo perire. hinc factum est, vt morbus solstitialis semper dictus sit pernitiosissimus: vt doceret præter accidentarias constitutiones siderum, adfuisse temporis ipsius; siquidem cum solstitium æstiuale suapte natura exitiosum est, tanto magis sanè euadit quanto naturali impuritati magis adiungitur nequitia aeris accidentarij. addit tertio naturam & qualitatem huius constitutionis, quam vt intelligatis optimè, scire debetis, quatuor huius constitutionis conditiones nobis proponi, prima est, hyemem totam fuisse clementem, sed australem. secunda ver & æstatem fuisse sicca. tertia tota æstate, nihil penè pluisse, sed gutras tantum decidisse è cœlo, & eas paucas. quarta non spirasse hoc anno ethesias, etsi spirarint, admodum remissè, & inordinatè. Et quia scribit Galenus Hippocratem ingenium maximè philosophicum habuisse, operæpretium est, vt videamus, quæ hic sit philosophia. primò scribit, hyemem fuisse clementem & australem. bone Deus, qui fieri potest, vt vbi austri perflant, hyems sit clemens. impetuosissimus est ventus: vnde Virgilius ait furentibus austris? Non est existimandum potuisse eum vos decipere. contigit quidem sæpe vt vbi austri perflant, aer valde turbatus sit, sed non inconuenit vt aliquando, perflent leuiter, & tepore suo mitigent frigus hyemale. accedit etiam, quod cum hyems ferax sit ventorum, vbi aer paulo clemenrior est, potest appellari clemens habita ratione suæ naturæ, quia solet inclemens esse. Sed dicet aliquis, cum hæc constitutio suam naturam adepta sit, ex statu sicco æstatis, cur cum insumpsit laborem Hippocrates, vt etiam veris & hyemis statum proponat? hoc non sine iudicio singulari fecit, quia vti idem habet sexto Epidemiorum, vbi expendendus est status temporis, non solum præsentia, sed etiam præcedentia & consequentia sunt diligenter consideranda, ex qualibus in qualia; quia ex illis sæpe consequentia originem ducunt. subiungit Hippocrates ver & æstatem sicca esse, nec quicquam penè pluisse, aut gutulas, duntaxat decidisse a Cœlo. In quibus non exigua philosophia latet. Aristoteles enim primo libro meteororum, agens de pluuiarum generatione, & narrans differentiam inter pluuias & gutullas, inquit: pluuias fieri ex multis partibus descendentibus aquis: guttulas ex paruis. & sicut pruina efficitur hyeme, ob frigus, a quo coguntur vapores in aquam concretam priusquam decidant in pluuiam: sic rorem fieri, ob vapores qui tepore aeris nō possunt in pluuiam concrescere; sed in rorem, torem autem æmulantur guttule. iure æstate sicca, & vere pluuiæ non fuerunt, sed guttulæ, quia vapores qui eleuebantur a terra, paucissimi erant, & cum aer tepidus esset, non poterant cogi in pluuiam, sed in guttulas colligebantur. Vt propterea dixit iure, fuisse guttas, non pluuiam: quia maximè spectat ad

In Trinummo.

8. meth. cap. 3

T cogni-

cognitionem & curationem morborũ huius constitutionis cognitio. Præterea constitutio Perynthi hæc fuit, quod æstate Ethesiæ venti, aut non spirarunt, aut spirarunt interpolatè, non continuò, nõ ordinate. quam sententiam, vt rectè complecti possitis, sciendum est, id quod Galenus scribit, tertio in tertium Epidemiorum commentario sexto, & septuagesimoquinto, quod etiam antea scripsit Plinius, libro secundo capite quadragesimonono, & libro decimo octauo capite decimoquarto, scilicet ethesias ventos vocatos, spirare sub canicula, & spirare quinquaginta diebus. Ante ethesias consueuerunt etiam spirare alij, qui πρόδρομοι vocati sunt: hos ventos appellarunt Latini & Græci sæpe Aquilones, Theodorus Gaza, ethesias anniuersarios conuertere solent. Aristoteles duas tribuit ethesijs conditiones adnotatione dignas, vna est, quod hi venti semper eodem tempore & modo perflant; quod intelligens Plinius dixit, nullos ventos reperiri magis statos ipsis ethesijs. Alia conditio tributa ethesijs ab Aristotele est, quod perflant duntaxat interdiu, nunquam noctu: vnde apud Senecam habetis scriptum: nauigantes consueuisse appellare hos ventos delicatos & somniculosos, quod nescirent mane surgere, sed duntaxat interdiu. Cur autem ethesiæ, non perflant noctu, sed duntaxat interdiu, disputatur apud Senecam loco citato. sed vera, & mihi magis probata opinio est, quam affert Aristoteles loco iam ante allato, quod in locis vnde oriuntur, colliquantur niues die, noctu condensantur & immotæ manent; quò fit, vt cum ex colliquatione niuium aer agitetur, fiat ventus, noctu, quia aer immotus manet, hi venti non fiunt tunc temporis: hæc vera est & Hippocrat. philosophia. sed cur Hippocrates non solum hic, sed in constitutione Thasi, tum alias sæpè meminit horum ventorum? Gal. & Plin. locis citatis dixerunt, aut certè significarunt, naturam prouidisse generi humano, ita vt eo tempore quo beneficio ardet aer horum ventorum non solum temperetur, sed etiam vt abstergatur status morborum humani corporis, atqui dicebat Galenus: tantam esse benignitatem huius venti, vt nisi perflet æstate, semper illa sit pessima. Cum ergo tanti referat hic ventus ad salubritatem humani corporis, iure inquit Hippocrates ad significandam prauitatem æstatis, non sperasse ethesias, quia ventus qui solet æstus caniculæ castigare, & morborum semina abstergere, nunquam spirauit aut parum. Ex his colligere facile potestis, totam hanc constitutionem Perynthi fuisse siccam & inclementem. Sed priusquam vlterius progrediamur duæ circa ea quæ diximus, offerunt se dubitationes, vna est, quia diximus, solstitium æstiuale morbosum esse: hyemale non ita. contra Aristoteles secutus Hippocratem scribit: vtrunque solstitium esse morbosum, propter excessus. scilicet, quoniam solstitio æstiuali (quod inchoat quando sol ingreditur cancrum) valde dominatur calor. In solstitio hyemali (quod fit quando ingreditur capricornum) ingentia frigora. Cum igitur sanitas corporis humani conseruetur aere temperato, iure fit, vt in vtroque solstitio, homines maximè periclitentur. Præterea, & Hippocrates, & Galenus plærisq; in locis, imo ipsa experientia testatur, autumnum esse maximè exitiale. quod si verum est, non videntur homines maximè circa solstitium æstiuale perire. Altera dubitatio est, cur dicatur status hic fuisse periculosus, quia admodum siccus erat, nam Hippocrates tertio Aphorismorum libro, Aphorismo decimoquinto scribit, siccitates temporum in vniuersum humidis esse salubriores; non itaque debuit constitutio illa esse adeo morbosa: quia fuit sicca. Ad primam dubitationem respondendum est, constitutionem cuiuslibet temporis posse dupliciter considerari, vel secundum sui naturam, vel secundum dispositionem corporum in quæ agunt: si secundum propriam constitutionem consideratur, certe vt Aristoteles habet, vtrunq; solstitium debet esse morbosum, & periculosum, quia natura eorum posita est in excessu & frigoris & caloris: si verò secundum dispositionem corporum in quę agunt, secus est, quia in solstitio ęstiuali multo minus resistunt corpora iniurijs aeris externi, quàm hybernali: & ratio est clarissima, quia solstitio æstiuali, calor natiuus maximè languidus est, eo quod corpora cum aperiantur, expirat facilè calor, natiuus qui

Sec. 26. Prob. 63.

5. quæst. nat. cap. 11.

3. Epid. com. 3. tex. 71.

3. Aph. 11.

Sec. Prob. 26. de aer. aq. & locis.

qui cum sit hebetatus, iure non possunt resistere corpora iniuriæ aeris. In hyeme non ita se res habet; quia cum ventres hyeme & verè natura calidissimi sunt (vt scripsit Hipp.) sane fortius resistunt iniurijs aeris, tunc temporis homines. Quod autem dicebatur de autumno, responderi etiam huic obiectioni potest, læsiones corporum considerari posse vel vt fiunt a causis internis, vel ab externis: ab internis, maiores sunt læsiones tempore autumni quam alias, quia tum prauis humoribus multo magis repleta sunt corpora: si nautem considerentur læsiones quæ a causa externa fiunt, in æstate: qua magis violantur ab aeris iniuria, quia calor natiuus magis iugulatur ab æstu summo. Ad secundam dubitationem responderi potest, Hippocratem loco citato, non simpliciter dicere, siccitates esse salubres, sed dicit in vniuersum præ imbribus multis, & illud est verum, quia si comparentur imbribus multis, sunt salubriores, quia beneficio aeris siccioris absumuntur excrementa fuliginosa & serosa; quamquam humores crassiores, qui abditi sunt in visceribus, non possunt consumi. veruntamen si simpliciter siccitas consideretur, nulla est qualitas elementorum magis inimica corpori humano; imò senectus & mors, nihil aliud sunt, quam siccitas. Quare constitutio sicca semper ex se est magis damnanda. Ex hoc facile colligere potestis, semper constitutiones temporum esse obseruandas, an calidæ, frigidæ, humidæ, siccæ, austrinæ, boreales sint, quia vt Galenus, & Hippocrates scribit fiunt quidem in omni tempore omnes morbi, sed alij magis in vno, alij in alio. Et propterea ad cognoscendas ideas morborum, instituendam victus rationem, & curationem optimè faciendam, magnopere conducit scire constitutiones temporum.

1. Aph. 15. 3. Aph. 3.

Τοῦ θέρεος καῦσοι ἐπεδήμησαν πολλοί.

Æstate febres ardentes vagatæ sunt multæ.

Hæc dictio continuari potest cum præcedentibus, vt effectus continuantur cum suis causis. In antecedente oratione Hippocrates paucissimis verbis multa nos docuit de constitutione Perynthi. in sequentibus incipit docere, quos effectus, & affectus parturiat huiusmodi constitutio. fuerunt autem hi, partim morbi, partim symptomata. Morbi, febres ardentes. Symptomata, aliqua pertinebant ad actiones læsas; alia ad excrementa mutata. & aduertite narrationem hanc, satis confusè proponi ab Hippocrate, quia obseruabat quotidiè & adnotabat: sed ita pro ingenijs vestris explicabo, vt facilè quisq; vestrum intelligere possit. Actiones animales lesæ hæ erant; quicunq; ægrotabant, valde in somnum inclinabant, fiebant comatosi (inquit Hippocrat.) in somno delirabant, expergefacti sapiebant, magis intelligebant, prudenter loquebantur. Quod ad vitales actiones attinet, pauci habebant spiritum elatum, & si qui habebant, non admodum elatus is erat. Quo ad excrementa mutata, inquit: quod nihil vomebant, & hoc notat, quia cum essent febres ardentes, videbatur rationi esse consentaneum, vt vomerent, aluus turbata erat; excrementa tenuia, aquosa, spumosa, & vbi seponebantur vel sub dio, vel alibi, ait quod semper aliquid subsistebat. addit vrinas fuisse aquosas, nec coloris expertes. Hæc fuit pars symptomatum, quæ in hac constitutione contigerunt: priusquam autem philosophari incipiamus circa ipsos morbos, dubitari posset, cur Hippocrates nullam mentionem fecit sitis aut incendij, cum Galenus tertio in tertium Epidemiorum trigesimo quarto dicat fieri non posse febres ardentes sine his; respondendum est Hippocratem non consueuisse adnotare vulgaria, sed duntaxat ea, quæ decent ingenia maxima: nam illud vulgatissimum est, in omnibus febribus ardentibus fieri sitim & incendium, & propterea iure ab eo omissum. possumus etiam dicere, has febres ardentes non fuisse

veras ardentes, sed spurias, vnde non est mirum si Hippoc. tacuerit propria symptomata variarum febrium ardentium. Iam verò cur in hac constitutione facta sint hæc febrium genera, duplex causa fuit, alia interna, alia externa: causa interna nulla alia fuit, quàm, (vt scribit Gal.) humor pituitosus commixtus cum ichore bilioso. qui partim putruerit in visceribus, partim in partibus corporis inferioribus, vt Gal. eo loci scriptum reliquit. Et propterea factum est, vt consequutę sint febres ardentes, sed non veræ: quia tota putredo non erat circa cor, sed in visceribus, & partibus inferioribus. causa externa (vt intellexistis) duplex fuit, vna quia hoc tempore non perflarint Etesiæ: quæ cum factæ sint a natura propter salutem hominum, ad demulcendam immanitatem & aspcritatem caniculæ, factum est, vt nō spirantibus illis fuerit factus aer inclementior, & siccior. vnde morbi illi geniti: quia Hippoc. scribit: quotiescunque tempore æstiuo, aere sicco venæ corporis exarescunt, eas arcfactas trahere succos: qui si sint biliosi, putrescunt, & veras febres ardentes pariunt: contra si humores aquosi & crudi abundent in corpore, fit vt hi attrahantur, & putrescant, & efficiant febres ardentes spurias, quod quidem hic contigisse Gal. dicit scribens in Perynthо exubcrasse succos pituitosus crudos, qui cum commixti erant cum biliosis & in venas attracti, & putrescentes in visceribus, & precipuè partibus inferioribus has febres pepererunt.

3. de diff. resp. cap. 11.

4. de vict. ac. tex. 3.

ἦσαν δὲ ἀνήμετοι, καὶ κοιλίαι ταραχώδεες, λεπτοῖσιν ὑδατώδεσιν ἀχόλοισιν, ἐπ' ἀφροῖσι πολλοῖσιν, ἴσχοντα ἔστιν ὅτε καὶ ὑπόστασιν τεθέντα. ἐξ οἵων δὴ, καὶ ἐξαιθριαζόμενον τὸ ἴκελον. ἴσα τῶ εἴδει διαχωρήματα διὰ παντὸς, κακόν. ἐν τουτέοισι, πολλοὶ κωματώδεες ἦσαν, καὶ περάφοροι. Οἱ δὲ ἐξ ὕπνων τοιοῦτοι ἐγίνοντο: ὅτε δ' ἐγερθείεν κατενόουν πάντα. πνεύματα μετέωρα οὐ μὴν πάνυ. οὖρα λεπτὰ μὲν τοῖσι πλείστοισι καὶ ὀλίγα, ἄλλως δὲ οὐκ ἄχροα.

Erant autem sine vomitu, & ventres turbati, tenuibus, aquosis, bilis expertibus in spumis multis, quæ alioquin deposita etiam subsidentiam habebant, ex quibus sanè etiam id quod sub dio noctu exponebatur, simile erat: æqualis specie alui secessus semper malum. in his multi soporosi erant, & mente moti: hi verò ex somnis tales fiebant. quum autem expergefacti essent, omnia intelligebant. spiritus sublimes, non tamen valde. vrinæ tenues quidem plurimis & paucæ, aliàs autem non decolores.

Quemadmddum vmbræ corpora sequuntur, sic dicebat Gal. symptomata semper proprios morbos sequi. Itaq; magis iure Hipp. postquam adnotauit morbos qui in ea constitutione vagabantur, cxistimabat etiam adnotanda esse symptomata. erant autem illa, partim ab actione læsa petita, partim excrementa mutata. Inter præcipuas actiones læsas, primum scribit Hippoc. ægros fuisse comatosos, ita vt in somnum perpetuo laberentur, sed dormientes delirabant, & cum expergefacti erant, intelligebant & maxime sapiebant, hæc symptomata vbi medicinam facietis, reperietis frequentissimè in febribus malignis, quia in his maxime læduntur cor, & cerebrum. quia febres magna ex parte ne dicam semper malignæ originem ducunt a caliditate, & humiditate, vnde fit putredo, cerebrum (vt Hippoc. scripsit,) est metropolis humidi: cor est sedes caloris: Pythagoricos ἑστίαν appellasse legimus. Igitur cum febres malignas fiant a putredine, & hæc ab humiditate, & calore: & humiditas sit in cerebro, calor in corde, magno iure fit vt cerebrum & cor maximè afficiantur. Sed circa hæc symptomata duo memoria digna sunt consideranda, vnum est, quis nam fuerit hic affectus propter quem ægri dormiebant, & in somno delirabant. Alterum quod examinandum est, quæ causa fuerit eius symptomatis. Aliqui existimarunt hunc affectum fuisse coma vigil; appellatur autem coma vigil is affectus, in quo simul vigiliæ & somnus iunguntur: sed cur hanc ego sententiam non sequar, duæ sunt rationes, prima est, quia vt Gal. scriptum reliquit, coma vigil est, quando ægri modò dor-

Lib. de comite cap. 2. & 1. Prorh. tex. 3.

dormiunt, modò vigilant. In hoc affectu inquit dormiebant,& in somno delirabant. Alia ratio est, quia coma vigil fit partim a pituita, partim a bile. in hac constitutione pituita duntaxat exuberabat. Itaq; fieri non potuit vt fieret huiusmodi affectus. Puto ego fuisse purum & verum coma, hoc est vt Auic. interpretatur soporem, vel somnum profundum. Sed qui fieri potest vt fuerit somnus profundus cum ægri delirauerint? delirium est operatio imaginationis, sed cum errore: somnus est ligamentum omnium sensuum, tam interiorum quàm exteriorum: igitur non videtur rationi consentaneum fuisse duntaxat somnum profundum, vel soporem; respondeo, quod dicit Arist. & Plutarch. duo esse genera ebrietatis, aliud in quo corpus & animus simul a vino obruuntur, vt nullus illorum operetur, aliud genus, in quo corpus quidem languet, & valde læsum est, animus autem aliquantisper operatur: & eos qui ita inebriantur, dicit Arist. & Plut. appellari ἀκροθώρακες quanq; Clemens Alexand. ait hoc nomen aliud significare. Hoc ita constituto, reperio duo similiter apud illos esse genera somni; aliud genus somni est, in quo & corpus & animus ita eneruantur, vt neutrum operetur. aliud, in quo licet corpus videatur ligatum, animus tamen adhuc operatur. Somnus puerorum est, in quo neq; animus, neq; corpus operatur. propterea dicebat Arist. pueros vsq; ad quintum annum nihil somniare. Aliud est genus somni in quo operatur animus, licet non operetur corpus. De hoc loquitur Arist. vbi scribit: dormientes interdum edere actiones vigilantium. noui ego, qui dormientes ambulant, vt etiam contigisse Gal. constat. In hac constitutione fuit mea sententia somnus, in quo corpus demersum erat, non animus, quia (vt Gal. scripsit) interpretans hanc dictionem in somnis delirabat) putrescebat pituita in partibus infernis, vnde vapores alij atq; alij eleuabantur, hi erant crassi, qui somnum inducebant: illi tenuiores & acres, qui eleuati in cerebrum, & percutientes illius membranas excitabant imaginationem: vt illa deinceps læsa, erraret, & faceret, quæ non decerent, nam vt videmus homines plærosq; in somno loqui, & multa alia facere: sic illi excitati & incitati a vaporibus, imaginationem mouebant, quæ deinceps linguam mouens, delirium & insaniam ostendebat. Aliud symptoma commemoratum ab Hipp. erat, quod spiritum non admodum elatum habebant. Anno præterito multa docui de spiritu elato, quæ iam non sunt repetenda: sat est nunc scire spiritum elatum vocari ab Hippoc. eam respirationem quæ ita violenter fit, vt necessario spatulæ eleuentur, & fit propter ingens incendium, & propter impedimentum instrumentorum respirationi destinatorum. In hac constitutione, vt Gal. notat loco commemorato, nullum aderat impedimentum in instrumentis respirationis, quia putredo erat in partibus infernis, aderat attamen necessitas ingens ratione incendij, propterea fiebat quidem respiratio elata, sed non multum, quia deerat impedimentum instrumenti respirationis. Symptomata pertinentia ad excrementa mutata complura hic proponuntur: nam scribit non vomuisse, aluos fuisse turbatas, & effluxisse excrementa tenuia, aquosa, non biliosa, spumosa, & similia. hæc excrementa, vt cum Gal. loquamur, sunt opera naturæ malè operantis & dicuntur symptomata secundaria, quia pendent a symptomatibus primarijs. primaria symptomata, sunt actiones læsæ. Cum ergo essent hæc symptomata secundaria, necesse est vt adessent primaria, hoc est actiones lesæ, lædebatur autem actio coctricis facultatis ventriculi, & retentricis intestinorum: ita duæ hæ facultates erant violatæ. Gal. scribit: facultates naturales lædi vel propter intemperiem, vel morbum instrumentalem, vel propter aliquod externum. In hac constitutione lædebantur, & ob læsam intemperiem, & ob vitium obiecti, vt Auic. loquitur, lædebantur ob intemperiem, quod calor natiuus totius corporis & præsertim ventriculi erat valde læsus. Et notate, in febribus malignis semper hoc est, vt calor natiuus iuguletur, ea propter læso calore natiuo ventriculi & intestinorum, cibi non coquebantur, vnde generebantur succi crudi & aquosi, qui cum deinceps non possent contineri a facultate retentrice intestinorum, aluum fluidam reddebant. Atq; etiam fœces, vbi exponebantur sub dio, vel alio in loco, semper subsidentiã aliquam faciebant; quia donec calor natiuus in ipsis erat, simul crassæ partes vnitæ manebant; vbi ille expirauit, subsidebant & aquosæ manebant, & propterea similes erant, vt

Sec. prob. 2. 3 quæst. symp. 8.

4. de Hist. animal. cap. 10. 5. de gen. animal. cap. 1. & de som. & vigil. cap. 3. 3. de diff. resp. cap. 11.

De diff. symp. cap. 4.

3. de sympt. caus. cap. 1.

quia

ait Hippoc. quia nunquam coctio fiebat, & quomodo poterat ea fieri cum calor natiuus esset penè iugulatus? Erat itaq; status hic excrementorum, mutatorum. Circa quæ tria occurrunt insigni contemplatione digna, primum est, cur dicat excrementa non fuisse biliosa, secundum cur essent spumosa, tertium an verum sit fœces quæ exeunt semper malas esse, si sint similes. Circa primum videtur Hippoc. discessisse a sua grauitate; nam ille (vt audiuistis) non solet nisi necessaria obseruare: dicere, quæ non contigerunt ægris est opus ingenij admodum luxuriantis, quia hæc sunt infinita. Hippoc. videtur proponere quæ contigebant. tum dicit excrementa fuisse tenuia, quis non videt, vbi aquosa sunt & tenuia, non posse esse biliosa? sed absit vt existimetis sapientissimum Senem vnquam potuisse vos fallere, aut falli. Ea quæ non contigunt ægris secundi generis sunt: aut aliqua contigere solent, sed non contigunt, aut sunt alia quæ nec contigunt, nec solent contingere. enarrare ea quæ nec contingunt, nec solent contingere, est opus impotentis ingenij: sed alia, solertissimi Medici opus est: quia vbi aliquid solet contingere & non contigit, semper aliquid egregium significat. Itaque iure dixit, nec vomuisse nec habuisse excrementa biliosa, quia febres ardentes hæc solent frequentet comitari. & hoc

3. de diff. resp. cap. 11. est, quod voluit dicere Galenus, quando dixit ἐμετώδην dixit fuisse hanc constitutionem, debebant enim vomere, sed non euomebant. signum erat aliquid magni latere, quod hæc symptomata auferret. Neq; valet, quod annotauit excrementa tenuia & aquosa, non dicit etiã biliosa, quia biliosa eiectio triplex est, quando pura bilis egeretur, vel iam pituita, iam bilis, vel simul mixta. Vt auctor doceret nullo modo fuisse biliosa hæc excrementa, additur, non biliosa. Secunda erat, quomodo excrementa fierent spumosa, nonnulla dixerunt propter austrum factum: quia cum sit humidus ille, & diu perflaret, commixtum existimant aquæ & peperisse spumam. sed nunquam maiorem infantiam audiui: imò (dicam & hoc) soleo ridere nonnullos inter quos fuit Varro, & Colum. & Plin. nam omnes

2. de re rustica cap. 1. Lib. 6. cap 27 Lib. 8. cap. 42 hi Script. eo deuenerunt, vt dixerint in Lusitania equas se exponere fauonio, & ore trahentes illum ventum, concipere: quasi non solum spumam in corpore ingressus faciat, sed possit etiam generare. sed meræ nugæ sunt. Videamus ergo ex natura rei, quæ fuerit causa spumantium excrementorum. spuma fit, quod flatui permiscetur humori aquoso & glutinoso, qui dum exitum quærit, nec permittitur a viscido humore, cleuat. flatus pluribus de causis fiunt, primum a calore natiuo debili, tum a motu & agitatione. nam vt videmus aquilones agitantes mare efficere spumam, sic in nobis agitantes humores, & eleuantes flatus, spumam inducunt. Et hoc in constitutione proposita accidit, in qua cum ventres essent turbati, cum calor debilis, flatus cohibitus, spumam fecit. Postremum

4. Aph. 21. erat quod in dubium vocatum est, an fœces semper similes sint malæ. quia idem Hippoc. scribit, omnes excretiones quanto magis variæ sunt, tanto esse deteriores. Adstipulatur etiam ratio, quia vbi varia sunt excrementa, signum est, plura genera prauorum humorum abundare. vbi vnum genus excrementi: vnum humoris genus, quod facilius a natura vincitur. Respondendum, particulam illam, semper, posse referri ad vocem præcedentem, vt dicat, semper similes: vel ad malum, vt dicat semper malum. si feratur ad antecedentem particulam, verissimum est. quia vbi semper fœces similes perdurant, malum: quia omnia excrementa debent reduci ad coctionem & ita, vt a principio ad augmentũ, & statum perueniant, in hoc transitu debent excrementa semper variare, vnde vbi semper similes sunt fœces, indicium est semper crudam esse materiam: adeò vt nunquam natura aggrediatur coctionem. Quod si referatur particula ad malum, falsissimum est, quasi fœ-

2. Aphor. 14. & 4. Aph. 21 ces similes semper essent malæ. Et hoc est quod Hippoc. scripsit varias fœces semper esse deterrimas: vbi fiunt variæ non secundum tempora, sed secundum varietatem excrementorum, & humorum. Inter excrementa mutata, sunt vrinæ, quas adnotauit Hippoc. hac constitutione, atq; ait; duas duntaxat nobis proponi conditiones: quarum altera est, quod modicæ erant: altera quod non essent expertes coloris. fuisse vrinas modicas, rationi consentaneum est, quia alui ægrorum fluebant: fieri non potest, aut difficulter saltem, vt aliquis simul & multas egestiones, & multas vrinas reddat. Quo iure Hippoc. adnotauit

uit fuisse modicas. Quod non essent caloris expertes rationi consentaneum erat, quia febres erant ardentes, sed duo hic consideranda sunt diligenter, vnum est cur Hippoc. hic potissimum annotauit tantum fœces & vrinas. Aliud est, cur cum vrinæ habeant plures conditiones, secundum ichorem, sedimenta, & odorem, nihilhominus duntaxat annotauit quantitatem & colorem. Circa primum, verissima ratio qua inductus Hippocrates annotauit solum egestiones & vrinas hæc est, quod hæc excrementa potissimum sunt argumemta coctionis humorum. Hanc veritatem non solum publicè confitentur. Medici omnes, sed & Aristot. qui loquens de coctione, inquit: vrinas & egestiones esse potissimum indicia coctionis. Quamobrem cum iudicium morborum collocatum sit in egestionibus & vrinis, summo iudicio videtur hæc sola annotasse. Cur autem solum proponat conditionem secundum quantitatem & calorem, summo etiam iuditio factum est, quod ad quantitatem attinet, vos experiemini, in febribus ardentibus semper copiosas fieri vrinas; primum, quia calore februm ardentium colliquantur omnes succi: præterea vrinas semper redduntur acres, & mordaces. Vnde fit vt non possint contineri in vesica, & propterea stimulentur ægri, ad frequentissimè mingendum. Quare cum dixisset fuisse febres ardentes, & videret acres vrinas & modicas, voluit id annotare, pariter Hipp. voluit annotare vrinas non fuisse coloris expertes; quia cum non essent copiosè erat necesse vt haberent colorem: & cum esset febris ardens debebant habere calorem aliquem. Et propterea dicit non fuisse vrinas expertes coloris. Hinc colligere debetis documentum æterna memoria dignum: ad Medicos valdè spectare vt diligenter intueantur & fæces & vrinas ægrotantium. Hippoc. medicus nobilissimus & ditissimus, non dedignabatur fœces intueri, & contemplari. Si Hippoc. hoc agere nequaquam erubuit, cur non & Medici iam hoc semper audeant & agant. Audite igitur Galen. scribit eos qui factionis Venetę & Prasinę studiosi sectatores erant, consueuisse odorare singulo mane excrementa equorum, vt cognoscerent an rectè concoquerent, nec ne. Quod si illi vsq; adeo studiosi erant valetudinis equorum, cur dedignentur Medici valetudinis hominum causa inspicere fœces humanas? Circa vrinarum practicam placuit mihi annotare, quod forsan a nemine propositum, nedum examinatum est. Aristot. scribit morem fuisse inter Medicos veteres, vt eurarent colligi vrinam mictu interrupto potius, quàm continuato, nos secus facimus, vt vna vice potius colligatur. quærens Arist. huius rei rationem, inquit: summo iure hoc factum esse, primum quia vbi colligitur mictu interrupto, semper pauca est. vbi autem continuato mictu semper multa est. in pauca vrina magis apparet color, & præsertim ruffus, qui est index coctionis: in multa non ita conspici inquit colores vrinarum, quòd in ipsa multæ sunt figuræ. Sed quæ est hæc philosophia, quia sunt multæ figuræ, quæ apparent in vrina? Præterea videtur fefellisse hac in re, quia inquit colorem ruffum esse indicium coctionis: nam Hipp. dicit colorem ruffum indicare morbum crudum. & notate tam Hippoc. quam Arist. eadem voce græca vti, scilicet πυῤῥὸν, vt sciatis, quemadmodum in latino scriptum legimus, ita etiam in græco haberi. Est ergo perspicua contradictio inter Hippoc. & Arist. quod ad primam attinet Arist. inquit paucum humidum esse semper aspectabile magis quam multum. quia in multo sunt figuræ, in pauco humido nulla est figura. affert exemplum lacrymarũ & guttarũ, quæ cum sint exiguæ diaphaneitas ipsarum magis videtur. in multo humido inquit esse diuersas partes, diuersas figuras, diuersitas figurarum impedit, quo minus possit apparere diaphaneitas. Igitur pura hæc est interpretatio eorum quæ sunt in problemate: scilicet vbi vrina pauca est, magis ipsius colorem videri: & propterea iure veteres amabant, vt potius intermisso mictu, quàm continuato vrinæ redderentur. Quod attinet ad contradictionem; Petrus Aponensis dixit, forsan in regionibus Arist. verũ fuisse, scilicet, quod vrina ruffa esset index coctionis. sed nugæ sunt, etiam Hippoc. & Gal. fuerunt græci, & ca non scribunt. Igitur inuenienda est alia responsio. Dupliciter respondere potest, quantum ego puto, problemata fuisse, aut acromatica, aut exoterica: in exotericis loquebatur secundum communem vsum in acromaticis ex philosophia. Igitur vbi dixit vrinam ruffam esse indicium coctionis, lo-

7. meth. cap. 6

Sec. 1. Probl. 53.

2. Progn. cõ. 20.

3. meteor. c. 3. de iride.

quebatur secundum vulgatum morem. illa est opinio apud omnes plærunq; vt albam vrinam existimant significare cruditatem;& ruffam,coctionem. hoc prodiderunt grauissimi
lib. 2. cap. 6. auctores, Cels. Gal. Plin. dixerunt optimam esse vrinam, quæ primo alba mingitur, dein
lib. 1. de crif. ruffa. & affert Cels.rationem,quia alba est indicium cruditatis. ruffa iam factæ coctionis,
cap. 12. vnde iure dixit Arist. vrinam ruffam significare coctionem. Alia responsio est, quod vri-
lib. 28. cap. 6. na ruffa duplex est, vna quæ coniungitur cum substantia tenui,alia quæ cum crassa. Russa vrina & tenuis indicat cruditatem. & de hac Hippoc. intelligit. ruffa & crassa coctionem indicat,& de hac Arist. Eapropter facta euidenti & rationali interpretatione & distinctione soluitur contradictio.

αἱμοῤῥαγίαι ἐκ ῥινῶν οὐκ ἐγένοντο, εἰ μὴ ὀλίγοισιν· οὐδὲ παρωτίδες. περὶ ὧν ὕστερον γράψω, οὐδὲ σπλῆνες ἐπήροντο οὐδὲ δεξιὸν ὑποχόνδριον, οὐδ' ἐπώδυνον κάρτα, οὐδ' ἐντεταμένον ἰσχυρῶς.

Sanguinis fluxus e naribus non fiebant, nisi paucis: neq; parotides de quibus postea scribam: neq; splenes attollebantur, neq; dextrum hypochondrium, neque dolorosum valde, neq; intentum fortiter.

Hipp. (vt audiuistis) proposuit sæpe non solum symptomata, quæ erant præsentia, sed etiam quæ aberant.& audiuistis alias rationem. In hoc contextu pergit etiam alia symptomata enarrare, quæ in hac constitutione non apparebant. sunt autem quatuor; sanguinis eruptiones e naribus (inquit) paucis fiebant. alterũ, quod parotides non erumpebant. tertium quod nullus tumor in liene videbatur. quartum dextrum hypochondrium neque tensum neq; dolorosum fuisse. hæc sunt quatuor symptomata quæ scribit Hipp. non esse visa, sed incipiamus paulisper circa vnumquodq; philosophari. Primo de sanguinis fluxionibus compertissimum est in febribus ardentibus fieri frequentes huiusmodi sanguinis fluxiones, aut parotidas: vnde cum non fierent in hac constitutione annotandum putauit. quod fiant in febribus ardentibus sanguinis effluxiones, duæ solent potissimum concurrere causæ: prior est; quoniam in febribus ardentibus flagrat tota sanguinis massa, & præsertim regio cordis & pulmonis: a quo redditur sanguis tenuis: qui facile suapte natura in locum superiorem fertur: vnde ratione ipsius caloris semper tenuis est. Quod autem potius ad faciem & nares feratur ratio est, quia facies est pars totius corporis calidissima: quia etiamsi detecta fertur in summis frigoribus, nunquam aut rarissime afficitur. Sed hæc
Sec. 11. Prob. 32. facile etiam recipit sanguinem: Arist. enim quærens rationem cur potissimum in pudore facies rubet, inquit: quod in pudore ebullitio fiat sanguinis circa cor; vnde facile ille feratur ad faciem, alioqui calidam vt eam tingat. Igitur hac ratione videtur potissimum ad faciem ferri sanguis. Præterea cur ad nares feratur sanguis causa est, quod in ijs sunt oscula vasorum quæ facilè reserantur, & replentur: vnde cum natura copia grauatur, quærit se exonerare, ad eas partes vnde facile effluit. Itaq; in febribus ardentibus facile fit vt sanguis è naribus effluat, atq; inquit paucissimis exiuisse, quia cũ fieret febris calida a pituita putrescente in partibus infernis, non autem circa cor, iure vapores qui efferebantur a pituita, non ita sæuiebant & lædebant. accedebat & aliud, quod cum ægri paterentur semper alui fluorem, fiebat veluti quædam diuersio & attractio, ita vt non fieret refluxus sanguinis. Sed est mirum, quod non fierent parotides, quia vbi sanguis impeditur vt exeat solet facile venire in partes proximas. Cur ergo parotides non fiebant? secunda ratio petitur ex Hipp. vbi scribit in surditatibus & opthalmijs si aluus fluat liberari. eapropter
4. Aph. 6 & 6. Aph. 17. cum hac constitutione alui copiosissimè, & frequenter fluerent, iure fiebat vt neq; secundum oculos, nares, aures, efferreretur. Sed cur Hippoc. annotauit non adfuisse tumores lienis, vel iecinoris? tumores lienis & hypochondrij dextri sunt morbi diuturni: febres ardentes, acuti, non erat ergo necesse, vt in acutis apparerent, quæ in diuturnis. nam, vt dicebamus nuper, Hipp. non annotauit nisi ea quæ debent adesse & non adsunt. Solet natura semper curare morbos acutos, si non per crisim saltem per abscessus. hoc Auicen. scri-

ptum

ptum reliquit nobis. Cum hoc ita fit, quando non fecit crisim, debuit saltem facere abscessum. Igitur iure inquit non fecisse tantum abscessus externos, sed neq; internos: quia hi solent fieri, potissimum in ea membra, quæ sunt debilissima: vt sunt iecur & lien, vnde debuissent in hæc deponi excrementa, sed causa fuit ea, cur hoc non accidit, quod humores crudi & impuri, excernebantur omnes per aluum.

Ἦν δέ τι ἐσημαῖνον, καὶ μάλιστα ἐκρίνετο πάντα τὰ πολλὰ περὶ τεσσαρεσκαίδεκα. ὀλίγα σὺν ἱδρῶτι. ὀλίγα σὺν ῥίγει, καὶ παρὰ ὀλίγοισιν ὑποστροφαὶ ἐγίνοντο.

Erat autem aliquid significans. Et maximè iudicabantur omnia vt plurimum circa decimam quartam. pauca cum sudore pauca cum rigore: & valde paucis recidiuæ fiebant.

Sententia Hippoc. in proposita dictione est (in hac constitutione, quæ Peryntbi constitutio celeberatiss. est) quod nunquam aliqua signa decretoria fiebant vera, & quod signum erat decretorium, id habebat semper, vt fieret die decimoquarto, ita tamen vt paucis fieret cum sudore vel rigore, paucissimis, (dicit Hipp.) recidiuæ fiebant. Et quia (vt sæpe dixi) Hippoc. hos libros tanquam aduersaria quædam composuit, minimè mirum est, si absq; ordine videtur omnia proponere. Veruntamen quia singula verba sunt veluti oracula, diligenter omnia expendenda sunt. Dicit itaq; primum, adfuisse aliquod signum decretoriū, vt doceret maximam partem eorum signorum quę fiebant fuisse symptomatica, ea propter inquit adfuisse aliquod significans. habebant id precipue, quod solent omnia signa decretoria, vt scilicet decimoquarto die apparerent veruntamen paucis (inquit) fiebant rigores atq; sudores, quia vt audiuistis omnes fere aegri aluı fluxum habebant crudum aquosum. Cum ergo humores serosi per aluū efferrerentur, non fiebant sudores pariter neq; fiebant rigores, nam vt Gal. scripsit hi fiunt vbi vel vapores vel succi acres velociter feruntur per musculos. In hac constitutione pituita putrescebat in partibus inferiis; & propterea non poterant ichores ad musculos efferri, & rigores excitare: sed dubitet quisquis cum signa essent maxima ex parte symptomatica, cur tamen paucissimis fierent recidiuæ: quia Hipp. inquit quæ relinquuntur in morbis, recidiuas facere solent? solent certe omnes excretiones symptomaticæ aut morbos finire, aut recidiuas facere. sed hoc experientia compertissimum est, si ęgri sustinent diuturnitatem symptomarum, sæpe mor bos finiri. Id quidem contingit plurimum vt vires labantur, sub excretionibus symptomaticis. In hac constitutione etsi fluxus omnes essent symptomatici, nihilominus vires non ita erant lapsæ, quin possent ferre diuturnitatem excretionis symptomaticæ: quare factum est, vt paucis recidiuæ fierent. Ex his hoc documentum colligere potestis, quod non statim terrere debetis in excretionibus symptomaticis, neq; esse solliciti in ijs firmandis. Sed firmandæ sunt vires diæta, vt possint ferre excretiones symptomaticas, quia tandem viribus firmatis vincuntur.

Ὑπὸ δὲ τὰς ψεκάδας τὰς γενομένας ἐν τῷ θέρει, ἐτρράνετο ἱδρώς. Ἐν τοῖσι πυρέτ]ουσι καί τινες αὐτίκα ἱδρῶτες ἐπ' ἀρχῆς ἐγίνοντο, οὐ μὴν κακοήθεες. καὶ τοῖσιν ὑπὸ τοῦτον τὸν χρόνον, καὶ ἐκρίθη σὺν ἱδρῶτι.

Sub roribus autem facti in æstate apparuit sudor in febricitantibus, & aliqui statim sudores a princ pio fiebant, non tamen maligno modo: & quibusdam sub hoc tempus iudicatio facta est cum sudore.

Obseruauerat paucis factas iudicationes esse per sudores, nunc docet quæ erant: & consueta diligētia vsus, inquit, quo tempore fierent, quib. & quomodo. Animaduertite mira bilem industriam senis, qui in rebus momentaneis vtebatur etiam habitu diligentiæ suæ. inquit factos esse sudores quando fierent guttulæ (ψεκάδας appellat Hipp.) audiuistis enim nihil pene pluisse, sed guttulas duntaxat decidisse, in quib. autē fierent, etiam explicat diligēter: scilicet in febricitātib. febrib. æstiuis, febres æstiuas appellat ardētes de quib. antea

Y est lo-

est locutus quia hoc tempore fiunt præcipue febres ardentes, & ego quandoque putaui apud Plinium nomine æstatis intelligi has febres. De modo inquit non factos esse maligno modo: aliquibus iudicatorio. Nunc vnumquodq; examinandum est, primo cur potissimum fierent sudores ijs diebus, quibus guttulæ decidebant: Teoph. & Galen. in hanc sententiam venerunt, sudorem eiusdem materiæ esse cum lachrymis & vrinis, de quo disputaui in tractatu meo de peste, & de maculis, tum lib. de excrementis: propterea non repetam. fit itaq; sudor ex ea materia, ex qua vrinæ fiunt & lacrymæ. quidam putarunt ex vaporibus fieri, quos Theophrastus sectatus est. sed vt vt sit sudor est magna ex parte mater a potulenta, hoc ex Arist. facile quisq; perspiciat, vbi cum quæreret cur æstate magis sudamus, quàm hyeme, dicit, quia magis tunc temporis potamus; quasi ipsissima materia sudoris sit potus. His ita breuiter constitutis, sudor non fit vel qui[illegible] est materia, vel quia impeditur quo minus exeat, vel quia consumitur aliqua causa. In hac constitutione deerat materia propter immensum alui effluuium & aeris siccitatem maximam. Arist. scribit: homines magis sudare cum induti exponuntur soli, quam cum nudi: quia vbi corpora nuda tanguntur a sole, humores qui debent conuerti in sudores, exiccantur. Qua ratione nos quoq; possumus existimare in hac constitutione non fuisse factos sudores, quia humores ab aere consumebantur: sed cur fiebant aliquibus quando pluuiolæ decidebant? quia aer velut mitigatus rore illo, minime vsq; adeo exiccabat, vt penitus consumeret humorem sudoriferum. Sed cur addidit factos esse sudores hos illis, qui febricitabant febribus æstiuis? quia ad hoc vt fiat sudor, non opus est solum vt adsit materia, sed impulsor, qui est spiritus, vt Arist. docet in febre ardenti, spiritus a calore mouebatur, qui materiam depellebat, & sudorem faciebat. Sudabant ergo hi initio: non sudore maligno. benigni sudores vt scribit Hipp. dicuntur illi, qui fiunt in fine paroxismi, vel morbi totius per totum corpus calidi, qui non fœtent, & qui iuuant. maligni in initio morbi fiunt, frigidi sunt, qui circa caput vel collum fiunt, qui fœtent, qui detrimentum afferunt, vel nihil boni. in hac constitutione sudores fiebant initio, sed per totum corpus fiebant calidi, iuuabant parum, quare dicit, in initio non habuisse tamen alias conditiones malignitatis; sed dicit factos esse quibusdam iudicatorios, vt qui præparatum habebant corpus.

Lib. de sudore & de sym. & c. de sudore.

Sec. 2. prob. 40

Sec. 2. Prob. 9

2 Prognost.

Ἐγένετο δὲ ἐν τοῖσι θερινοῖσι πυρετοῖσι, περὶ ζ' καὶ η' καὶ θ' τρηχίσματα ἐν τῷ χρῶτι κεγχρώδεα, τοῖσι ὑπὸ κωνώπων γινομένοις μάλιστα ἴκελα ἀναδήγμασιν, οὐ πάνυ κνησμώδεα. ταῦτα διετέλει μέχρι κρίσιος. ἄρσενι δὲ οὐδενὶ εἶδον τοιαῦτα ἐξανθήσαντα. γυνὴ δὲ οὐδεμία ἀπέθανεν, ᾗ ταῦτα ἐγένετο.

Fiebant autem in æstiuis febribus circa septimam, octauam, & nonam asperitates in cute miliaceæ, culicum morsibus maximè similes, non valde pruriginosæ, hæ permanebant vsq; ad iudicationem. Viro verò nulli noui hæc floruisse. Mulier autem nulla mortua est, cui hæc accidissent.

Quæso in hanc partem ingenium intendite, vt diligentiam ipsius Hippoc. videatis, dicit nonnullas etiam in cute contigisse asperitates: nec contentus hoc, addit magnitudinem, figuram, referentes puncturas culicum: præterea quo die apparebant, septimo, octauo, vel nono; subiunxit fuisse non admodum perniciosas, adhæc durasse vsque ad iudicationem. præterea non contigisse viris sed mulieribus. postremo mulieres nullas esse mortuas. Discite annotare omnes conditiones rerum, qui vobis paratis aduersaria, & cum multæ sint conditiones huius euentus, tria mihi videntur diligenti contemplatione digna esse, vnum est, cur apparerent hæ asperitates, & vnde fieret illa similitudo, forma, & figura, & cur his diebus. alterum est, cur non essent pruriginosæ, videtur enim esse a calore alienum fieri papulas asperas, & sine pruritu. cur potius fierent mulieribus, quam viris, & cur nullæ perierint ex illis. Circa primum, sciendum est naturam hanc nostram cutim fabricasse, vt esset velut cloaca & receptaculum omnium quisquiliarum nostri corporis. Id facit in plantis, in quibus ad corticem compellit, quicquid crudi inest ipsis.

ipsis. Et ob hoc fabricauit cutim foraminulentã, vt scilicet repellat per hanc crudos succos, quod insensibilis respiratio appellatur. Vbi crassiores sunt humores, depellit quidem natura eos ad cutim, sed quia foramina sunt angusta, impingunt in cutim, & ipsam attollunt, cum non possint efferri atq; pro varietate humorum, variæ quoq; oriuntur papulæ: & propterea vbi humores sunt sicciores, hi velut arenulæ faciunt copiosissimas & paruas, vt milij grana: si viscidi & crassi, faciunt crassiores, sed non ita frequentes, aut etiam nonnunquam frequentes. In hac constitutione erant humores aridiusculi, hinc impulsi ad cutim inducebant quidem tumores sed miliaceos & paruos. Sed dubitet aliquis, vtrum in his casibus possunt humores qui sunt circa viscera depelli ad cutim & posse interdum, nunquam diffitebor, sed maxima cum violentia, nam dicit Galen. in historia Simonis fieri nequaquam posse, vt ea quæ sunt circa cutim, aut in ea, vi medicamenti trahantur ad aluum. *In Phedro* sihoc est verum, quomodo ea quæ sunt in penetralibus corporis, possint depelli ad cutim: quia partibus intimis, vicinæ sunt cauitates maiores, intestina, & reliqua, quo fit, vt multo facilius fit naturæ euacuare humores per cauitates maiores, quam per cutim. Sed vnde erat hæc similitudo morsurarum pulicum? quia illa materia paulisper calida erat: & cum erat calida, non solum tumorem faciebat sed subrubeum. & aduertite Hipp. sæpe consueuisse vti hac similitudine morsuræ ac puncturæ pulicum, vt tertio in tertiũ Epid. interdũ vrticæ puncturis æquiparat; & κνιδώσιας vocat: sunt enim velut vrticæ vredines quædam, (vt Plinij verbis vtar) & punctutis ab vrtica affines de qua voce. Galen. etiam in linguis facit mentionem. fiebant autem potissimum 7. 8. 9. die huiusmodi morsuræ: quia materia non erat admodum pestifera, ita vt sollicitaret naturam ad sui expulsionem, & proptera tardabat ad eos dies, quibus solet mouere. Erat secundum cur non essent pruriginosæ huiusmodi asperitates, pruritus duplex est, alter blandus & potius cum delectatione, alter molestus, de blando loquebatur Socrates apud Platonem, quando se fricans post exemptos compedes nunquam maiorem voluptatem sensisse dicit, & quam testatur vitam scabiosam esse voluptuosam. Vterq; fit a pituita serosa salsa: differunt vero pro materia blandiore maiore, & pauciore, si acrior est materiam orbũ parit, in solutic ne continui, dolorem: si blandior blandiorem pruritum. Igitur pruritus erat blandus in hoc casu, & propterea dicit has asperitates nõ fuisse admodum pruriginosas, quia fiebant a pituita putrescente, non admodum sicca, acri & mordaci. Cum ergo asperitates relatæ ab Hipp. non essent admodum pruriginosæ perdurabant ad crisim. adeo vt minime quisquam dubitare posset, quin differentes fuerint a nostris particulis. Tertium erat cur mulieres dut.x.it laborauerant, non viri. cuius rei rationem vt recte percipiatis, oportet ad memoriam reuocare ea quæ scripta sunt alias, aerem agere in hæc corpora: sed debent esse disposita. id quod clarissime conspicitur in constitutionibus pestiferis: quia non omnes æque habent corpus dispositum, omnes non afficiuntur. In mulieribus ergo necesse est fuisse dispositiones, quæ reperiebantur in viris. Quæ autem hæc erat? in multis differunt sexus virilis & muliebris: viri calidiores sunt, sicciores & robustiores, mulieres imbecilliores, frigidiores, præsertim verò humidiores, & maximè secundum caput: quia mulieres nunquam caluescunt. Igitur cum hæc constitutio maximè læderet capita, atq; somnolentias induceret, iure factum est, vt mulieres quę capita habent humidiora & imbecilliora, magis tentarentur, & minus resisterent aeri. Sed dicet aliquis, debuisse saltem minus æstate tentari, quia calidiores tum sunt viris & robustiores. vt Aristotles scribit enim ibi ex sententia Hesiodi antiquissimi auctoris, mulieres æstate magis in libidinem excitari, quia calor ipsarum reuiuiscit a calore externo, vt calor virorum potius hebetatur, non secus atq; par uus ignis a maiore. Responderi potest tantum abesse vt hoc debuerit mulieres leuare, vt eas offenderet. siquidem perspectissimum est, quo tempore mulieres, imò & fœminæ brutorum efferantur in venerem, magis humores vitiosos & corpora turbari, & ita magis offendi. Ergo in hac constitutione iure mulieres magis vexabantur. Neq; tamen vlla mulier extinguebatur, quod constitutio grauis quidem sed non exitialis esset. *4. Prob. 26.*

Βαρυήκοοί τε ἦσαν, καὶ κωματώδεες. πρόσθεν δὲ οὐ κάρτα ἦσαν κωματώδεες ἧσιν ἔμελλε ταῦτα ἔσεσθαι, οὐ μὴν τὸ σύμπαν διετέλεον, κωματώδεες δὲ καὶ ὑπνώδεες, τὸ θέρος καὶ μέχρι πλειάδων δύσιος. ἔπειτα μὴν ἐγρυπνίαι μᾶλλον. ἀτὰρ οὐ δὲ τὸ σύμπαν ὑπὸ τῆς καταστάσιος ταύτας ἔθνησκον.

Graui erant auditu, & comatosæ. Prius autem non valde erant comatosæ, quibus futura erant. Non tamen in totum perseuerabant, comatosæ verò, & somnolentæ æstate, & vsq; ad pleiadum accasum. Deinde autem vigiliæ magis, sed neq; omnino sub hac constitutiune moriebantur.

Prosequitur Hipp. quædam alia obseruatione dignissima proponete: sunt autem duo potissimum symptomata ad sensus internos & externos pertinentia: vnum est, quod ægri omnes habebant auditum grauem: aliud quod omnes in profundum somnum inclinabant. & aduertite diuersum esse hoc symptoma ab eo quod nuper audiuistis: in illa delirabant, in hac constitutione nulla fit mentio delirij, sed comatosos fuisse ait. Addit duo alia, quod hæc promptitudo somni durauit vsq; ad occasum pleiadum, ad finem autumni. reliquo tempore dicit ægros vigilasse. Causa vna & eadem est, scilicet multitudo vaporum crassorum ex putrescente pituita elatorum; qui petentes caput, si deflectebantur in aures grauem auditum inducebant: si in cerebrum, & illud irrigabanr, fiebat somnus, & profundus: iam magis, iam minus pro vaporibus pluribus, aut paucioribus. Sed circa hæc duo occurrunt examine diligentiori digna: primum est, quomodo fieri possit, vt in somnum, nam Hippoc. scribit habitatores locorum palustrium & humidorum, somnolentos esse: qui sicca loca inhabitant in vigilias promptissimos esse. ergo sicut regiones siccæ inducunt vigilias, ita quoq; constitutiones facere æquum est, cum a pari causa fiant. Aliud est, qui fieri potuerit, vt transacto occasu pleiadum vigilarint, quia tum hyems succedit; quo tempore secus cõtingere videtur. Circa primum, aer quantum ex se inducit vigilias, sed per accidens potest etiam somnus profundus fieri constitutione sicca: quia vires dilabuntur: corpora delassara, & debilia, facile in somnos incidunt. præterea tempore sicco languente calore natiuo fiunt crudi succi, a quibus fit somnus. & certum est non aliter mures & glires ruere in somnos profundos, quam ob succos crudos. Et propterea non est mirum si etiam temporibus siccis ruebant in somnos inexcitabiles ob copiam crudorum humorum. Alia dubitatio hæc est, vtrum verum sit in hyeme fieri somnos maiores, quam vigilias. Hipp. scribit hyeme ventres esse calidissimos, & somnos longissimos, tum Aristot. hoc etiam asserit. accedit testimonium Plutarchi qui scribit, tempore autumni fieri somnos turbulentos & graues. tum propter crassitiem humorum, tum propter esum fructuum, adeo vt hyeme videantur fieri longi somni & profundissimi. Ex altera parte est. Alex. Aphrod. Gal. conterraneus, & peripateticus, qui probat duabus rationibus æstate fieri longissimos somnos. prior est, quia tempore hyemis calor natiuus circa cor & partes spirituales robustissimus est; & cum hoc ita sit, vapores crassi petentes cor depelluntur. præterea cum calor sit robustus, facile vapores consumit. tempore æstatis, calor circa cor debilior est, propterea non potest depellere faciliter vapores, & ligatus semel ab his, non potest nisi longo tempore eos superare. præterea tempore æstatis, corpora sunt debiliora & magis lassata, vnde facilius incidunt in somnum; & videri somnos breuiores æstate inquit, non quod ita sit, sed quia æstate noctes sunt breuiores, hyeme longiores. vnde errant facile homines metientes magnitudinem somni ex magnitudine noctuum. Certe cum diu hanc dubitationem considerassem, inueni nullam aliam rationem esse soluendi hunc nodum quam ex principijs diuersis. Alex. maximus peripatericus, qui sedem animæ cor esse dixit, putauit a corde somnum dependere. Medici secus putarunt, & in cerebro collocarunt. Vnde nos idem sentimus, quod somnus fiat in cerebro, non corde, & propterea possumus Alexand. responderi, propterea somnos fieri longiores, quia calor est robustior, adeo vt à calore maiori fiunt maiores & meliores coctiones, vnde euaporatio

[Margin notes: Li. de aer. aq. & locis. — 15. Aph li. 1. 12. sec. Prob. 8. symp. q. 10. — 8. q. nat c. 2C.]

blan-

blanda maior sequitur hyeme: & maximè quod vapores, cum debent a calore cerebri dissolui, iure fit vt non æque possint hyeme dissolui atq; æstate. hoc itaq; constituto, quod somnus maior hyeme fit, quam æstate, quia hic secus factum est, vt æstate fint facti comatosi, hyeme vigiles necesse est adfuerit alia causa merito cuius non potuerunt vigilare. Audite Hippocratem.

Κοιλίω μὲν οὖν οὐκ ἐνεδέχετο οὐ δὲ τοῖσι γεύμασι ἱςάναι, ἀλλὰ παρὰ λόγον ὤετο ἄν τις ἰήσασθαι ξυμφέρειν: καὶ τοι ὑπέρπολλα ἔςιν οἷσι τὰ δ' ἴονλα ἦν. τῷ ἐν ψύχει κεῖσθαι ὑποβεβλημένον: ὡς ἑλκοῖ μὲν τὸ ψυχρὸν θάλπει δὲ τὸ τοιοῦτον εἶδος ἐκ προσαγωγῆς ἐςὶ μᾶλλον. καὶ τὸ μηδὲν τῇ φύσει πάθει γίνεσθαι.

Ventrem igitur non dabatur neque ijs quæ gustantur sistere, sed præter rationem putaret aliquis medicationem conferre. Atqui per multa erant quæ quibusdam ibant, quod quis in frigore iaceret prostratus vt exulceret quidem frigus. Calefaceret autem hanc speciem ex appositione est potius, & nullam naturæ passionem fieri.

Dicit Hipp. his ægris non potuisse Medicos aluos sistere, neq; cũ accõmodatis edulijs, sed interdum coactos fuisse ad remedia irrationalia accedere, & quia videbat hanc rem du ram videri ingenijs, subiunxit factas esse multis alui fluxiones, quod iacebant in stratis fri gidis, vnde inquit satius erat paulisper adhibere remedia calida. Examinemus hæc vbi somnus non fit ægris, vel fit quia blandi vapores desunt, vel quia facultas percutitur ab ali quo. In hac constitutione si verba ipsius expendamus, causa cur ægri hyeme non dormirent, erat quod vapores alimentares dulces deerant, & dolor aderat. desiderabantur alimentares vapores, quia fluxus consumebat: tum præterierat constitutio comatosa, in qua erant consumpti vapores; vnde his consumptis, vigiliarum prouentus vberrimus emanauit. Aderat etiam dolor, quia quantum ego puto, hi fluxus erant fere dysenterici, dicit enim Hippoc. frigus exulcerat, quia cum alui fluxus fierent a frigore, & vlcera in intestinis, quis est qui non videt eos qui sunt dysenterici, non dormire posse. Sed oritur hoc loco non inutilis dubitatio, vtrum verum sit, aluos laxari & molliri a frigore, ita vt fiat fluxus. Ex vna parte est hic Hipppocr. quia dicit incurrere alui fluxus, quia iacebant super strata frigida, hoc experientia comprobatur etiam propter frigus pedum fieri. Ex altera parte est Hi poc. ψύξις τὰ κα]ὰ κοιλίω σκληρύνει. Si ergo refrigeratio ventrem adstringat, non videtur posse facere alui fluxum. præterea Gal. declarans ea quæ adstringunt, inquit, adstringentia esse frigida & terrea, si hoc ita est, non videtur fieri posse vt a frigore inducatur alui fluxus. accedit Gal. hoc commentario scribens aerem frigidum indurare ventrem non quia induret & refrigeret vt gelu externum, siquidem in corpore non potest esse tantum frigoris, sed quia retentricem facultatem admodum corroborat. Si hoc verum est, non debebant alui fluxu laborare. Hac de causa annotauit illud Hippocr. sed ratio hæc fuit quod cum abundarent corpora succis calidiusculis & acribus, ob frigus retinebantur hi in intestina & viscera, propter quod cum huiusmodi ichores retinebantur in ipsa intestina, iure fiebat, vt ipsa exulcerarentur, & ita alui fluxus fieret, & propterea iure dicit Hipp. consuluisse in hac constitutione adhibere calida moderata. ἐκ τῆς προσαγωγῆς. & adnotauit hoc, quod frigidis & astringentibus solebat curare omnes fluxus. Dicebat Hippoc. inter alia, cum contra alui fluxus non prodesset victus ratio, ad irrationalia remedia esse venien dum. Vnde colligatis pro facienda medicina, ante omnia victus rationem esse instituendam: siquidem Hipp. dicebat hanc partem medicinæ quæ tota est circa victus rationem, primum esse inuentam. quasi sit maximè naturalis. nam tempore illo quo omnia rudia erant, vbi quisq; ægrotabat, statim mutabant victus rationem: quasi hæc debeat esse præcipua curandi ratio, vt victus mutetur. Atq; hoc est, quod dicebat Auic. vbi non noueris morbum, subtilia regimen, quasi diceret semper victus rationem esse præ alijs instituendam. Sed quid in hac constitutione agendum fuisset? dicit irrationalibus debuisse vti, ergo

6. Edid com. 5. tex. 27.

4 & 5. simp med. fac.

lib. de prisc Med.

ergo etiam tali victu vtendum, minime. primum vult ad rationalia venire dum esse, tum si hæc non iuuant, ad irrationalia. ergo irrationabilibus licebit aliquando vti: hoc Cels. scripsit quos ratio non iuuat, temeritas sæpe restituit, & idem dicebat libro primo si quis forsan interdum secundis prasidijs non restituatur, contrarijs curatur. cuius rei lucu-

apud Suetoniū lentissimum habetis exemplum in Augusto, qui cum laboraret stomacho & iecinore Medici Romani vtebantur sæpe calidis, a quibus cum nihil vtilitatis perciperet, Antonius Musa cius Medicus, cum curauit vsu lactucę quasi cum aliud non iuuaret, contrarium illius posset esse optimum remedium. hoc existimo ego contigisse in hac constitutione, in qua cum alui fluxu a frigore laborabant, vtebantur remedijs refrigerantibus & astringentibus, qui cum nō iuuarent inquit Hipp. debuisse medicos ad calida confugere. id quod & vobis sem piternum documentum erit, vt vbi alui fluxus a frigore oriuntur, neglecto symptomate, ad causas superandas accedatis. Veruntamen scire etiam debitis ea quæ iuuant, fieri non posse vt absq; ratione id agant, sed vel ratio ignoratur, vel nō e directo, sed obliq; apparet.

ἐφ' οἷσι τε καὶ ὁκοῖα τὰ σημεῖα, καὶ πλέω ἢ μείω γινόμενα, χάσμη, βήξ, πταρμὸς σκορδίνημα, ἐρυξις, φῦσα, πάντα τὰ τοιαῦτα διαφθείρεσιν.

In quibus & qualia signa & plura vel minora facta oscitatio, tussis, sternutamentum pandiculatio, eructatio flatus. omnia huiusmodi corrumpuntur.

Sunt qui existimant, Hippoc. in hac dictione docuisse, quomodo alui fluxus ex frigore fit cognoscendus. Ego vero puto, totam hanc sententiam esse velut ap horismum, & quid separatum, nec vllam cum superioribus habere connexionem. Sensus hic est debere Medicos diligenter attendere, in quibus, & qualia signa fiant; cuiusmodi est oscitatio, tussis, sternutatio, pandiculatio, eructatio, & flatus. Sed dicet aliquis quid impulit Hippoc. vt, cum docere vellet signa diligenter esse examinanda, exempla attulit hæc, quæ tota sunt flatuum soboles, & leuissima? Audite iudicium nobilissimi Medici. voluit hic Hippoc. docere Medicum debere vsq; adeo diligentem esse, in omnibus signis inquirendis, vt etiā minima non contemnat, hæc telata ab Hipp. signa omnia recenset a Gal. initio libri de causis symptomatum, vbi monstrat omnia esse motus præter naturam, sed admodum leues. si igitur, inquit Hippoc. debet Medicus hæc leuissima signa examinare, sane grauiora quam maxime teneat, necesse est. Hoc loco voluit docere illud quod sexto Epid. dicit μηδὲν εἰκῆ, μηδὲν ὑπερορᾶν. nihil temere, nihil spernendum. Vt intelligatis, quem vsum habent hæc signa in medicina, singula percurremus, si prius illud pro comperto habeatis, hęc signa etiamsi videntur esse leuia, tamen maxime referre ad cognitionem affectuum: tum, quia ipsi interdum affectus morbosi sunt: χάσμη a grecis, oscitatio a latinis appellatā, nihil aliud est, quam efflatio vaporum per os: qui vapores si a ventriculo emittantur per os (de quo loquimur) ructus faciunt: si per labra & musculos, oscitationem. hæc solet plærunque in febribus esse signum accessionis, quia vbi facultas expultrix a venis nititur humores expellere, in ea agitatione humores ab vniuerso corpore delati, huiusmodi affectum pariunt. adeo vt vtilis sit cognitio illius & observatio ad significandas & prænoscendas accessiones febrium. Vtilis etiam est aliquando sui ratione, quia est affectus præternaturā, vt Hippoc. docuit, dicens vbi frequentes sunt oscitationes, remedium est magna spiratio.

6 Epid. com. 2 tex 10 lib. 4 cap 20. Et vt hoc etiam obiter dicam scriptum est apud Gellium cum quidam cotam iudice oscitasset, damnatum fuisse, quasi, contemneret: qui pro eo stabant oscedine laborare aiebant. quare non modo est signum, sed etiam affectus præter naturam indigens curatione; est præterea tussis ab Hipp. telata, quam etiam, significare sæpe accessiones febrium qui praxim quottidie faciunt facile animaduertunt: quia in depulsione humorum a venis, vapores vt interdum per labia exeunt, ita nonnunquam petentes pectus tussim excitant. habet etiā hoc tussis, vt sit morbus. nam Gal. lib. de liquid. motibus. (qui non extat) vt citat Rab. Moyses recenset quoq; tussim inter motus præter naturam, quia hæc ita aliquan-

de

do augeatur & lædat, vt morbus fiat. Atq; de hac Rab. Moy. agit, vbi dicit, nonnullos esse motus leuissimos, qui non aliter curantur, quam si prohibeatur ipsorum motus. Numeratur decimo loco sternutatio, quæ etiam non est tantum signum ægritudinis, sed ipsa ęgritudo. Arist. dicebat esse vniuersi flatus eruptionem, atq; signum augurale & maxime sacrum, quomodo autem sit signum sacrum explicauit idem, vbi quærens rationem, cur veteres sternutamentum tanquam Deum adorabant, inquit: propterea hoc fecisse, quia est signum bonæ valetudinis cerebri, partis maximè sanctæ. Propterea debent quoq; Medici maximè hanc animaduertere, non tantum quia lædat ipsa, sed quia signum est bene & male valere cerebrum. Scequitur pandiculatio græce σκορδίνημα dicta. de qua voce Gal. scribit & Pollux, est autem hæc vt festus dicebat extensio totius corporis cum oscitatione; solet sæpe antecedere morbos, non tantū lassitudines, & febres, sed etiā grauissimas ęgritudines: est deinde ructus, quem etiā Hipp. vult diligenter considerari, quia hic duo semper significare solet, vel saltem alterum duorum, aut ventriculi immensam frigiditatem, qua fit vt cum cibi nequeant concoqui, in flatum conuertantur: aut plærunq; intemperantiam hominum: qui cum in qualitate, vel quantitate ciborum errant, solent in hunc affectum incidere. Vnde Xenophon Cyri dicit apud Persas ignominiosum fuisse eructare, quod argumentum fit eos qui id faciunt nec corpora exercere, nec recto victu vti, docet autem Galen. curari eructationes huiusmodi frequentes potatione ex vase oris angusti, sed cur Aristoteles dixit: ructus & crepitus indicare robur coloris natiui, cum Galen. docuerit potius esse partus frigiditatis? responderi potest, ructus atque huiusmodi alios flatus, dupliciter considerari posse, vel vt effectus facultatis coctricis, vel vt effectus expultricis; si vt coctricis, certe illud verissimum est vbi ructus fiunt, calorem esse infimum, aut errorem in victu præcessisse: si consideretur vt effectus facultatis expultricis, significat robur illius, adeo vt merito etiam commendetur. Postremo inquit Hippoc. considerandos esse flatus, sed quod iudicium est Hippoc. supra posuit, signa quæ sunt puri effectus flatuum, postea addit flatus? dupliciter potest explicari consilium Hippoc. primo vt intellixerit pro flatu crepitum alui, ita enim Veteres consueuisse appellare non solum Arist. loco citato scripsit sed etiam Gal. Alio modo explicari potest consilium Hipp. quasi dicere voluerit, non solum prædicta esse consideranda, sed etiam, quæcunque fiant a flatu, quasi nihil prorsus sit contemnendum, vt & minima signa sint perpendenda. Aliter explicari potest, vt dicamus nihil aliud voluisse docere nomine flatus, quam huiusmodi signa magni momenti esse ad intelligendum statum totius corporis, & præsertim ventris inferioris. Quomodo ex sono, odore, & substantia possint his tanquam signis vti docuit Gal. loco citato. Addit omnia hæc corrumpi. nihil aliud significare volens, quàm hæc omnia indicia a flatibus, esse signa corruptionis, quia cum hæc fiunt a frigore, & frigus auctor sit corruptionis, iure dicuntur corruptionis esse signa. Sed puto etiam significare voluisse, quod hęc omnia non solum faciunt minus fecundam valetudinem, sed etiam morbosas alterationes. quasi dicat debere Medicum non solum hæc omnia cognoscere, quia signa sunt, sed quia morbosa.

Lib. de Hist. anim. cap. 11.
Sec. 33 Prob. 7. & 9.
De ling. Lib. 5.
Lib. 1. de exp. Cyri.
loco citato.
li. 2. de symp. causis.
2. de sym cau. cap. 2.

Ἥσιν ἐν πυρετοῖσιν ἀσώδεσι, φρικώδεσιν, ἐρεύθονται πρόσωπα. κοπιώδεες.

Quibus in febribus anxiosis horridis rubescunt facies laboriosę degunt.

Tota hæc dictio, & fere omnes sequentes exiguam inter sese connexionem habent, sed sunt separatæ quædam sententiæ, & velut aphorismi, vtilissimi tamen ad iudicium constituendum, & medicinam faciendam. Et omnes regulæ quas proponit Hippoc. sunt quidem collectæ & factæ ab Hippoc. ex obseruatione constitutionis Perinthi. Imò vero puto hunc admirabilem senem dum obseruaret quæcunq; contigerent in ea constitutione, ea quæ frequenter cōtigebant collegisse in regulas, & velut aphorismos: sic enim dicebat Arist. artes omnes fieri ex multis experimentis. Sententia verò Hipp. ea est, in febribus anxiosis eos laboriosè degere, qui rubētes facies habent, quę sententia quia est vtilissima, *li. 1. Metaph.*

in ar-

In arte medica, necesse est vt diligenter videamus, quæ sint apud Hippoc. febres anxiosæ, cur in his rubeant facies, & cur in his labores fiant, & qui sint illi; quibus perspectis atque cognitis, non dubito quin maximam vtilitatem ex hac Hippoc. sententia capiatis. epiales igitur febres siue horrificæ, vt interpretatur Galen. sunt propriè illæ febres in quibus rigores & horrores perdurant vsq; ad magnam partem paroxismi, & licet in plærisq; alijs febribus fiant rigores & horrores, nihilominus magna est differentia illarum febrium & harum: siquidem in alijs perdurant rigores & horrores vsque ad augumentum, in horrificis verò extenduntur vsq; ad magnam partem paroxismi, ita vt in his fere semper ægri modò rigeant, modò caleant: has (ni fallor) appellarunt antiqui vt festus, Plautus, Luculus: quercueras, a rigore & tremore. Sed Apule. in Apol. & Aul. Gell. dixerunt querceras, quas dicebat Arnobius curasse Christum. Sunt autem illæ hemitritei: quod nomen licet non sit apud Latinos, appellantur tamen communiter semitertianæ febres, vnde autem horrigeres: ideo extensi sint, audite. fiunt rigores & horrores (vt Gal. dicit quotiescunq; humores frigidi seu acres & tenues extra venas feruntur per corpus & eius musculos vellicant, vnde membra deferuntur a calore, & ita horrent. prout igitur humores illi sunt plures aut pauciores & crassiores, ita plus vel minus. durat horror & rigor. In febribus igitur anxiosis durant hæc, quod ab humore pituitoso & bilioso simul putrescentibus fiant, quia cum crassi sunt & copiosi, fit vt calor multo magis suffocetur & rigor perduret. hæc igitur de anxiosis febrib. dicta sint. Sed quid de rubore faciei dicemus? rubor faciei fere semper comitari solet eas febres quæ sunt cum rigore, quia vbi fit rigor, calor natiuus circa cor a materia morbosa cogitur, vbi coactus augetur; auctus, vehementer insurgit aduersus materiam morbificam, in quo conflictu plurimi vapores attolluntur in faciem, qui cum ferrent calefaciunt faciem, & ruborem pariunt. sic Arist. scribit, fieri ruborem in pudibundis, quod calor circa cor mouetur, & consequenter in caput attollitur. sed si verum est ruborem faciei consequi omnes febres cum rigore, cur hic dicit febres anxiosas esse laboriosas si fiant cum rubore, quasi reperiantur aliquæ febres anxiosæ sine rubore? dicere debemus, hæc eum scripsisse, quia obseruauit hanc rem ita esse, scilicet qui habent in his febribus faciem rubentem peius habere: maximè quia obseruaret quosdam, qui sine rubore febre anxiosa correpti essent, & melius sese haberet: quia vbi febres sunt anxiosa rigores perdurant: & certe necesse est donec durat rigor, vt omnis rubor absit a facie: quod calor natiuus collectus circa cor nunquam se expandit, & in caput fertur: sed cur fit quod huiusmodi febricitantes laboriosè degant, euidentissima ratio est & perspectissima, quam iam in medium afferam, vt intelligatis nihil sine summa ratione docere, in his febribus quotiescunq; facies rubet duo semper necessaria mala sunt, vnum est, circa cor maximum incendium reperiri, ita vt locus putredinis semper sit circa partes spirituales, quia cum in his febribus semper copia insignis sit humorum crassorum & frigidorum, nisi putrescant circa cor, fieri non potest, vt faciliter vapores in caput mittant: vnde signum est, focum putredinis latere circa cor, quod cum habet insignem consensum cum capite, iure fit vt communicatis vaporibus cerebro, rubor in facie excitetur. Altera ratio est ex loco patiente, nã vbi facies rubet, certissimum est caput & præsertim cerebrum affici, vbi hoc afficitur (inquit Hipp.) fiunt graues & exitialissimi morbi. Et hoc voluit Plato, inquiens morbum medullæ esse periculosissimum, nam robur & vis, vt Hippocr. docet, totius corporis dependet ab ossibus: ossa vero cum oriantur a cerebro, cerebro affecto, necesse est vt ossa cõpatiantur, & ita vis totius corporis ruat. Sed qui sunt illi labores in febrib. anxiosis? certè plures sunt, & qui intelligunt naturã hemitriteorũ, sciunt semper grauiss. symptomata comitari; dolores, grauitates corporis, sopores, deliria, & animi deliquia. & certe si aliqua febris est grauis, est hæc quã etiã poetæ oẽs. infammarunt. Ex hoc colligere potestis, quod vbi hę vobis occurrent, quotiescunq; rubor faciei apparebit, semper timendũ esse: sed ita vt etiã malis futuris prospiciatur. vnde soleo ego in similibus casib. antequam ingrauescat morb. cõtendere aduersus accidentia futura, scilicet reuocare impetum materiæ a supernis ad inferna frictionibus ligaturis, cucurbitulis, & si in vllo casu conueniunt hæc præsidia, sane in hoc conueniunt.

quæ

1. Epid. com. 1 tex. 23 & 2. de diff. feb. cap. 8.

In Probl.

Lib. vlt. cap. 1

In lib. de uer. gent.

li. de trem & palp. cap 6.

Sec. 11. prob. 13.

lib. de morbo sacro.

lib. de ossium nat.

Ὀμμάτων ὀδυνώδεες. καρηβαρίαι. παραπληγίαι, καὶ γυναικεῖα ἢν ἐπιφαίνηται, μάλιστα δὲ ἦσι πρῶτον, ἀτὰρ καὶ παρθένοισι, καὶ γυναιξὶν, ἦσι διὰ χρόνου ἀτὰρ καὶ ἦσι μὴ ἐν ᾧ εἴθισται χρόνῳ, ἢ ὡς δεῖ ἐπιφαινόνται ἔπειτα ἔξωχροι γίνονται.

Dolores oculorum, capitis grauitates, paraplexiæ, & muliebria si apparuerint: maximè autem quibus primum, sed & virginibus & mulieribus, quibus ex multo tempore, sed & quibus non quo consuetum est tempore, aut vt oportet, apparent, deinde pallidæ fiunt.

Hæc quoq; dictio,& vtilissima est & breuissima, prosequitur Hippoc. in proponendis nonnullis quæ obseruauit,& tanquam regulas & præcepta sempiterna annotauit. Sensus est; oculorum dolores, grauitates capitis, & resolutiones fieri in mulieribus, nisi vt decet purgentur. Quomodo autem fiant & quæ,in his exponit,scilicet fieri huiusmodi affectus vitio menstruorum, si erumpant, & præsertim quando primum erumpunt, vt in virginibus, tum similiter in mulieribus quæ prius purgabantur iterum purgari incipiant, demum si debito tempore non purgentur,& si plus aut minus,quam par est. Vtrum autem Hipp. hæc crederat tanquam contigerint in hac constitutione,nihil refert scire;illud certum est,potuisse quidem obseruasse in hac constitutione, & ex his præcepta collegisse. Sed quicquid sit, operæ pretium est inuestigemus, quomodo hi affectus fiant a menstruis. Et vt hoc intelligatis, sciendum est,naturam studiosissimam fœtus humani prolisque propagationis, cum videret fœtum in vtero nutriendum esse sanguine matris, effecisse vt in mulieribus abundaret magis sanguis, quam viris pro fœtu nutriendo. Itaque quamdiu conceptus est in vtero fruitur illo fœtus. Vt propterea non est necesse vt natura expellat: imò si forte fortuna fit vt exeat,male habent inquit Hippoc. vbi autem conceptus non est in vtero, cum videret natura sanguinem redundantem illi fore incommodo, machinata est huic exitum,& hic est verus finis mensium; vt exeat sanguis superuacaneus: alioqui fœtui nutriendo aptissimus vnde male sentiunt quidam,sanguinem hunc esse deturpatum fœdumquè, hoc patet ex colore, substantia. Voluit ergo natura, nè sit incommodo exire; neque casu sed lege, & ordine,& propterea voluit vt singulo mense exiret, ne si diutius retineretur, noceret: si minus diu sollicitudinem nimiam incuteret mulieribus, quare non possum satis mirari Arist. alioqui sollertissimum,qui dixit: mulieres non purgati nisi tertio mense,& certe nunquam potui existimare, eum adeo fuisse infantem, vt hoc non obseruauerit aliter se habere nisi voluerit dicere aliquas tertio mēse purgari magis nō quod voluerit singulis mensibus non purgari. Debent esse menstrua initio crassiora dein tenuiora floridaq; quantitas debet esse viginti vnciarum, duarum aut trium cotylarum atticarum inquit Hippocrates,& debet duobus vel tribus diebus purgari, atque sine molestia, sine dolore. Si igitur aliquis error fuerit,vt non prodeant singulis mensibus,aut plus aut minus,aut pluribus diebus, fiunt morbi, quos hic connumerat, dolores oculorum, grauitates corporis, resolutiones membrorum; sed cum hoc non est satis scire,videndum quomodo fiant dolores oculorum vitio menstruorum. Hæc sanè est causa, nam fluxus menstruorum fit ab vniuerso corpore ita vt quotiescunque mulieres purgantur, semper sanguis ab vniuerso corpore præcipitatur. In hac perturbatione & agitatione humorum necesse est vapores ferri in oculos, qui ob hoc maximè læduntur. Sed cur magis in oculos ferrātur, tres causæ sunt,quia cum oculi humidissimi sunt & pleni copiosissimis venis, iure fit vt facile a toto corpore recipiant vapores, & turbentur, hoc præclarè scripsit Aristoteles libro de insomnijs capite secundo, quærens rationem cur specula inficiant, quia (inquit)cum ipsi oculi fiat aptissimi ad recipiendos vapores tetros,facile ea inficiunt.hinc mulieres quæ menstruum fluxum habent, liuores habent in oculis, non alia sane ratione quam quod recipiunt prauos vapores. Alia ratio est, quoniam cum menstrua respondeant proportione ipsi semini: sicut semen, vt ait Hippoc. libro de aere aquis & locis, & Arist.

7. de Hist. animal. cap. 2.

Sec.4.Prob.2 Aristoteles magna ex parte proficiscitur a capite & oculis: ita quoque fit, vt maxime exeuntibus menfibus turbentur oculi, vt exeunte femine, & hoc eft quod Ariftoteles dicebat, oculos homines in coitu conniuere, propter decifionem feminis & fanguinis ab ipfis, quia (vt habemus apud Hippocratem, & Galenum, oculorum ftatus index eft totius corporis: quod propter copiam fpirituum ipfi maxime toti corpori compatiuntur, propterea cum in menftruis totum corpus fit maximè turbatum, turbari oculos non eft mirum: iure ergo hoc annotauit Hippocrates. Id quod tametfi perfpectiffimum fit in omnibus, attamen inquit hoc maxime apparere, in ijs qui primo incipiunt purgari, vt in virginibus. Sed quæ eft ratio? (& inuenietis fi morbos incurrant hoc tempore effe exitialiffimos, vt iure merito Hippocrates libellum proprium dicauerit) vna eft, quod cum venæ virginum funt adhuc anguftæ, cum non fint lubricæ factæ, neceffe eft magno cum labore recipiant fanguinem a toto corpore(de venis loquor vteri, & ijs quæ funt circa vterum) Ergo fit neceffario vt magni dolores fiant: vt fi fanguis reftagnans maximè oculos & caput tentet. Altera ratio eft, quia (vt ait Hippocrates) vteri virginum funt arctiffimi cum nondum conceperint, vnde ægre illum fufcipiunt: vel fi fufcipiunt, magnopere læduntur. Et quia magnus eft confenfus vteri cum anteriori parte capitis, hinc fit vt caput afficiatur, & præfertim pars anterior. Audiuiftis qua ratione mulieres, cum primum purgari incipiunt, varijs affectionibus tentantur, & præfertim virgines. Reliquum eft vt videamus cur mulieres & maximè virgines interdum tentantur membrorum refolutione. Non defuerunt qui exiftimarunt propterea fieri, quod in ipfis femen retinetur; & retentum corrumpitur, atque venenum euadit: adeo vt vires virginum euertat. Sed an verum fit, quod femen retentum in venenum conuertatur, paulo poft difputabimus. Vera autem caufa cur virgines his affectibus tentantur eft, quod vafa (venæ fcilicet & arteriæ) repleta funt fanguine, & fubtus venas & arterias pofiti funt nerui: quare vbi repleta illa funt, nerui comprimuntur, vt facultas a cerebro, prohibeatur ad membra ferri, & propterea fine motu funt, & fenfu. Hæc igitur eft vera caufa, propter quam in mulieribus & præfertim virginibus fiant neruorum refolutiones. Addit Hippocrates etiam illas mulieres prædictis affectibus, tentari quibus dico intermiferunt menfes & redeunt fæpe fit (quemadmodum fciunt Medici) vt mulieres aliquot menfes, menfes non habeant: qui vbi reuertuntur, multis morbis folent tentari. Erafiftratus apud A. Gellium, explicans rationem, cur illi, qui fex aut feptem diebus ieiunarunt, extinguantur, inquit fieri, quod cum inteftina diu fine cibis manferint, mirum in modum conniuent, vnde fi poft feptem dies quifquam edere incipiat, dicit mori, quod inteftina iam conniuentia non admittunt cibum. Et hoc voluit Plinius dicens(citans Hippocratem) ieiunantium exta citius fenefcere. haud fecus puto contingere mulieribus quæ diu fuppreffos habuerunt menfes, quibus venæ conniuent, & fanguis exhauftus eft: vnde cum alius accedit fanguis, mirum in modum diftenduntur vafa: ex quo affectus capitis & oculorum fiant. fcilicet ob maximum confenfum inter vterum & caput. Addit poftremo Hippocrates hos affectus fimiliter contingere mulieribus, quotiefcunq; debito tempore non purgantur, & deinceps funt pallidæ. non purgari debito tempore certiffimum eft maximas noxas afferre: quia fagaciffima natura voluit tantum fingulis menfibus purgari, quia fi plus nimis offenduntur, fi tardius nimis augeretur fanguis. fed fi ita eft, quid hoc eft Hippocratis fi deinceps funt pallidæ, debere præter purgationem tempeftiuam effe fatis bene coloratæ? forfan obferuauerat in ea conftitutione mulieres etiamfi non purgarentur fere tamen non fenfiffe offenfionem. vbi enim erant pallidæ, inquit hos affectus habuiffe. An hæc pro regula memoriæ pofteris reliquit Hippocrates. Ita fanæ, quia etiamfi mulieres debito tempore non purgentur, nihilominus non tentantur his affectibus nifi funt pallidæ: quia interdum reperietis aliquas quæ ob victum aut ætatem non purgantur, aut alia de caufa, tamen non offenduntur. fed femper hæ funt coloratæ. Vbi autem offenduntur, neceffe eft etiam habeant colorem fœdum, quia retinetur, nec confumitur fanguis. Iam ergo fatis vnumquemque conftare arbitror,

Hippo-

Marginal notes: 6 Ep. com 4. in vniuscom. — lib. 16. cap 3. — lib. 16. cap. 3. — lib 28. cap. 5.

Hippocratem docuisse quomodo etiam fluentibus mensibus fiunt mala in mulieribus, scilicet quando primum incipiunt fluere vt in virginibus: tum quando aliquo tempore fuerunt supressi, & iterum fluunt, tertio quando purgatur minus, aut parum. Vulgatissimum est apud omnes, vbi mulieres non purgantur fieri non solum hos affectus, sed etiam multo maiores: at non ita perspectum est fieri etiamsi fluant menses. Dixi paulo ante me disputaturum esse, nacta occasione, an verum sit, semen corruptum conuerti in venenum: tum quia Hipp. de virginibus hic agit, tum quia non solum ad Medicos pertinet hæc disputatio, sed etiam ad bonos mores, iam proponam: animum aduertite. In hac quæstione fere res videtur esse constituta: vt hodie etiam vulgares Medici opinantur: & hac ratione non desunt impuri animi omnia scelera commitentes. Clarissima est Galen. [6. de loc. aff. c. 5.] sententia qui multis rationibus & exemplis non solum retentum semen corrumpi, sed in læthalissimi veneni naturam conuerti asserit eo loco: & affert nonnulla, quæ certe mihi semper scandalum pepererunt. Auic. eum sequutus, eandem sententiam habet, vbi semen diutius retinetur quam par est, non tantum corrumpi, sed veneni naturam induere. [2. 3. fen. 21. tr act 4 cap. 16.] Halij Rota Arabs eruditissimus in commentarijs artis paruæ Gal. scribit: non solum in venenum conuerti, sed & sæpe extinguere homines. [cap. 35.] Adeo vt non defuerunt scriptores, qui præbuerunt occasionem libidini humanæ. Hos auctores sequuti sunt iuniores: sed qui fauent his etiam aliquas rationes afferunt: quia vt Aristot. scribit, semen est excrementũ: [1. de gen. animal. cap. 18.] excrementum excerni debet, eapropter si non excernatur, necesse est corrumpatur, præterea semen in vasis seminarijs ad summam perfectionem est deductum, & cum res humanę sint in continua alteratione, cum non possit in melius verti, necesse est vt in deterius labatur. qua de causa Solon (vt Plutarchus scribit in eius vita) legem tulit, vt quisq; ter in mense cum vxore etiam sterili rem haberet. Hæ sunt auctoritates & rationes, pro hac opinione. Ex altera parte neq; Hippoc. neque Plato, neq; Arist. vnquam de hac re quidquam dixerunt; locutus est sæpe Hippoc. pluribus in locis de semine retento, sed conuerti in venenum nunquam, nec somniauit quidem. Atq; non desunt auctoritates contrariæ, [lib. de morb. mulier.] Plutar. citans Hippoc. vbi ait, ἄσκησις ὑγίης ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων. hoc est excercitatio sanitatis est, non satiari cibis, & ad labores impigrum esse, addit conseruationem seminis: tanquam præter illa duo hęc vnà ad sanitatem conseruandam maximè conferret. [lib. de præ ep. sanitatis. l. 6. Ep. sect. 4] videre etiam Aristotelem, qui loco citato & alibi semper ex vsu veneris virum debilitatem oriri scribit. [1. de gen animal. cap. 18.] Quare tantum abest vt commendetur venus, vt potius prohibeatur, pro conseruandis viribus, tum si naturam seminis contemplamur, est benignissima: sin extra corpus citissime aut insensibiliter consumitur, & euanescit. Et puto esse rem adeo pręciosam vt natura voluerit hoc esse expers omnis malæ qualitatis. Nec valet quod videatur interdum corrumpi, & putrescere, vt in gonorrhea; quia hæc est ratio, nunquam posse euadere venenum: quia si vnquam corrumpitur, hoc fit in gonorrhoea, sed hic præter acredinem & mordacitatem nihil habet mali. præterea si semen in gonorrhoea corruptum euadit, non propterea asserendum est huiusmodi substantiam euadere venenum, siquidem id potius efficitur propter admixtionẽ, peregrinæ materiæ cum semine, quàm ipsum semem. Addo etiam aliàs duas rationes: vna est, quia bruta eo sunt firmiora & robustiora, quo magis conseruant semen, vt ex hoc colligere potestis facillimè maximum bonum generis humani esse & nunquam abire in venenum. Præterea quot sunt Sacerdotes & virgines, quibus semen retinetur nec accidentia illa eueniunt. Sed dicet aliquis, nonne necesse est, si semen retinetur interdum, mirum in modum crescere? & quemadmodum videmus sanguinem excedentem, aliosq; humores, corrumpi, pariter de semine censendum est, si plus excedat quàm par sit? non mehercle, quia natura vt seruaret homines ab hoc malo, produxit corruptionis affectum, quo carent bruta. Arist. quærens rationem cur bruta per somnum non tentantur corruptione? inquit, quia non dormiunt supina. vera ratio est, quia in illis non ita excedit semen, veruntamen ne possit offendere copia monstrauit hunc affectum, vt interdum spontè efflueret. Quid igitur hic dicendum est in dubio tanti momenti? Ego certè fui eius sententię semper, omnes fefellisse, & hoc verissimum non esse quod

ſemen retentum poſſit conuerti in venenum. Sed quid dicendum eſt aduerſus auctores illos grauiſſimos? dico, ſemen retentum poſſe conſiderari dupliciter, vel vt perfectum eſt, vel ſecundum materiam antecedentem, ſi conſideremus ſecundum materiam antecedentem, procul dubio poteſt nocere, non tamen conuerti in venenum: quia cum (vt dicebam) ex multo ſanguine fiat plurimum ſeminis, vbi repleta ſunt vaſa, ſanguis exuberans poteſt corrumpi, & ita maxima mala inducere. aduerſus quæ vtilitatis nõ parum afferunt venæ ſectio, purgatio, ieiunium, & alia ſimilia. Si conſideremus vt eſt corpus perfectum, puto nunquam euadere venenum, propter rationes allatas nuper, ſed quid dicemus ad Gal. & alios? ſolent plærunq; illi proponere exempla mulierum & virorum, qui ob retentionem ſeminis innumera male incurrerunt. De mulieribus dico, & potiſſimum virginibus propter duas cauſas abſtinentiam a concubitu nocere, vna eſt propoſita ab Hipp. vbi ſcribit: virginibus abſtinentibus a conſuetudine viri contigere mala, quod menſtrua ipſis ſæpe retineãtur, retenta menſtrua magnas noxas afferre exploratiſſimum eſt. Vt propter hoc non ſit mirum ſi ipſis maxima accidentia fiant. Sed eſt & alia ratio, cur ita lædantur, propoſita ab Hipp. eodem libro iam citato, ſcilicet vbi abſtinent ab vſu viri, vteros ipſarum exiccari: qui exiccati huc atq; illuc feruntur, quia debitam figuram & ſitum ſeruare non poſſunt: hinc turbatio & innumera mala. Quod ſi virgines fruantur viro, liberantur, ſæpiſſime, quod vteri exiccati ſemine, quo naturaliter delectantur, vt Gal. ſcribit, irrigantur, & ita ad propriam figuram ſitumq; redeunt. atq; hoc eſt, quod Plato dicit, vterum inſtar animalis ferri per corpus, quam certe ſententiam aut male intellexit Gal. aut inique damnauit. nam conatus eſt illum damnare, quod ſcripſerit vterum inſtar animalis moueri, non puto ita parum iudicij habuiſſe vt hoc exiſtimarit. Sed exiccatum, figuram ſitumque amittere, & huc illuc ferri. Igitur habetis clariſſime hanc opinionem falſam eſſe, quod ſperma retentum conuerti poſſit in venenum. Et hinc hoc præceptum deriuare poteſtis pro medicina facienda, debere in curandis mulieribus & virginibus vos omnino euitare hanc opinionem, de ſemine conuerſo in venenum, ſed potius omne ſtudium conferre ad menſes ipſos prouocandos. quia vt Hippoc. refert hic & in Aphor. ex menſtruis intempeſtiuis, ſiue non fiant debito tempore, ſeu debita quantitate dolores capitis & oculorum fieri ſolent, & membrorum reſolutiones: quæ vitantur ſanè vbi recte fluunt.

Lib. 1. de morb. mulier.

Lib. de sem.

In Timæo.

μέγα δ' ἐν ἅπασι, τὸ καὶ ἑξῆς, καὶ ἐν ᾧ χρόνῳ, καὶ ἐφ' οἷσι, τῖσι πάνυ χολώδεσιν ἐν πυρετοῖσι μάλιστα· ὅλως οἷσιν ἐπὶ σκέλεα ἡ κάθαρσις.

Magnum autem in omnibus & quod deinceps, & in tempore & in quibus præcipuè in febribus valde biliosis vniuerſim quibus ad crura purgatio.

Ego quoq; ſum in eadem ſententia, totam hanc ſequentem dictionem, pertinere ad eam medicinæ partem, quæ practica nuncupatur. Imò verò ſi quidquam eſt in hac parte maximi momenti, hæc oratio Hippoc. eſt: vt iure dixit, magnum eſſe: ſed an ad σημειωτικὴν medicinæ partem pertineat, an vero ad curatoriam, dubitatum eſt. Ego, vt liberè dicam quod ſentiam, non poſſum ijs adhærere qui dicunt ad σημειωτικὴν pertinere, ſed potius ad curatoriam. Curatio, vt Gal. ſcribit apud veteres triplex fuit: altera quæ fiebat per experientiam ſolam, vnde ſecta Empiricorum orta eſt, quæ ante Hippocr. tempora, & poſt ea floruit; & præclariſſimos auctores habuit: altera per rationem, in qua medici perſcrutantes rerum naturas, ex ijs inuentis, acquirebant veram curandi rationem, & propterea Rationales ſunt dicti, quorum princeps fuit Hippoc. altera, per anologiſmum, nam hi vtebantur ſimilitudine remediorum, & partium affectarum ſine ratione, & experientia. Itaq; vera ſecta fuit Rationalium, qui vt rectè curarent, non ſola experientia, ſed diſcurſu vtebantur, atq; cum faciebant ex inſpecta rerum & corporum natura. Sed quia hæc omnia, aliud tempus exigunt, illud ſaltem hoc tempore eſt neceſſarium, vt ſciatis, curationem Rationalium, quæ nihil aliud erat, quàm πρόσθεσις καὶ ἀφαίρεσις vt Hipp. verbis vtar,

Lib. de sect. & ad Transyb.

Lib. de flatib.

hoc

hoc est adiectio & subtractio, sicut omnes alias operationes, ratione ipsa dirigi. dico, vt omnes aliæ operationes, quia in omnibus sanè opus est, quinq; considerare, vt Aristot. memoriæ proditū reliquit. primum, quid sit agendum, secundo quantum, tertio quomodo, quarto quo tempore, quinto quibus instrumentis. hæc enim est ratio quasi a natura insita omnibus artificibus. Atq; hoc est quod voluit dicere Aristot. vbi scribit prudentiam esse veluti salem omnium virtutum, pro prudentia intelligens hanc rectè operandi rationē, quæ in his quinq; consistit. Noster ergo Hippoc. prudentissimus, qui nouit hæc maximè esse necessaria scitu hoc loco voluit monere Medicos, vt potissimum hac ratione insisterent. & propterea inquit, quod sit deinceps, hoc est spectare diligenter oportere, quo ordine res sint faciendæ. Sed oritur hic dubitatio; si illa omnia sunt perpendenda & ponderanda, vbi nam sunt in hac dictione; nam primum non videtur Hippoc. proponere, quid sit agendum, neq; de quantitate verbum facere. Audite sodes, Hipp. breuitatis fuit amantissimus & semper delectatus est multa paucissimis verbis complecti; Itaq; cum dicit, debere Medicos spectare in quibus febribus biliosis, & reliqua, nihil aliud docet, quam vt spectet quid agere debeat. & hoc indicatur ex ipsa idea morbi, vt Gal. & omnibus fere libris testatur, quia Medicus huic vni studet, vt morbos ipsos superet: hoc facere non potest, nisi naturas optime perspectas cognitasq; habeat. Sed quid de quantitate dicemus? neq; huius videtur mentionem vllam facere. Hanc etiam hoc in loco docuit. Non metiri eam quisquam potest, nisi a magnitudine affectus. ea propter cum quantitas sit natura coniuncta ipsi affectui, necesse est, vt qui spectat ideam morbi, spectet etiam quantitatem illius. & propterea facile hanc vnā inuenit Medicus. Quantitas morborum triplex est, in excessu & recessu a naturali statu, in vehementia morbi, in copia vel inopia ipsius materiæ quæ est auctor morbi. Adeo vt quicunq; vult rectè quantitatem metiri, opus est vt perpendat, quot gradus recesserit corpus a naturali statu; si vult frigidum remedium dare in affectu calido; si hic duos gradus excesserit, remediū vnā excedat necessè est ad duos gradus, frigiditatis, præterea cōparatur etiam quantitas ex vehementia morbi, quia si est vehemens morbus, & magna habeat symptomata, opus est etiam magna remedia adhibere, & hoc est, quod dicit Hipp. extremis morbis extrema remedia exquisitè conueniunt. Tertio quantitas etiam sumitur ex copia vel inopia materiæ morbificæ, quia si materia copiosa sit quæ purgari debet, opus est remedio maiori, si exigua, minori. Igitur iure Hippoc. cum videret quantum referat in medendo incedere hac ratione, proposuit nobis quę spectare debeat Medicus: & præsertim circa essentiam morbi & quantitatem. Dicit magni interesse vt animaduertatur quid deinceps, hoc est quo ordine & modo debeat operari, sed vnde ordinem modumq; accipit? hanc indicationem puto non aliunde comparari, quā ex ordine affectuū prҽter naturam. cum enim Medico semper certandum sit aduersus affectus pter naturā, & cum hi tres sunt nēpe causæ, affectus, & symptomata, prout huius modi res præternaturā se habent: ita quoq; debet Medicus instituere suas actiones. Symptomata sunt, quæ Medicus initio nititur sedare: nam nisi homines dolerent, nisi haberent alia symptomata, nunquam accerserent Medicos. Cæterum quia symptomata sequuntur morbos & dependent semper a morbis, ea propter fieri nequit vt tollantur ante affectus ipsos. Affectus autem cum sunt res permanentes, habent quoq; suas causas continentes, & propterea dicebat Gal. non posse fieri, vt affectus tollatur ante causas. Hoc ordine inuento, facilè Medicus ordinem inueniet remediorum, quia causam prius amputabit, tum affectum, dein symptomata: etsi hæc interdum habent rationem causæ, & debet primò attendere ipsis. De tempore agendi par iudicium est, debere hoc maximè æstimare Medicum, quia vt Hippoc. scribit ὁ καίρος ὀξύς occasio præceps, & hac dicebat Plato res omnes gubernari. sic dicebat Hipp: interdum mane, interdum vespere alendos, alia æstas, quàm hyems postulat. Ea de causa monet quoq; diligentissimè, quo tempore debeat Medicus operari. Sed quia dixi Hippoc. hic nobis insinuare vt spectemus naturas affectuum, posset aliquis sciscitari, cum alij sunt acuti, alij vero diuturni, quomodo nobis explicauit hanc differentiam morborum, vt velit aliter in his quàm illis esse medendum.?

lib. 1. & 7. meth.

1. Aph. 6.

lib. 1. Aph. 1.

lib. 1. de mor.

hoc

hoc docet Hippoc. explicatissimè dicit Medicum debere considerare, in quibus febribus biliosis, & ijs quibus infra crura purgationes. Verba hæc si superficietenus considerentur parum vtilia sunt, sed si ad trutinam ferantur certum est nihil aliud voluisse, quàm vt Medicus ideam morborum contempletur, an sint acuti, an verò diuturni. Et vt hoc intelligatis, illud sciendum est, Gal. omnes morbos acutos necessariò fieri cum febribus. cum verò febres omnes acute, fiant a bile putrescente: itaq; vbi morbus est febris, & biliosa, necesse est semper esse acutum. & hoc tradidit nobis Gal. nimirum morbos acutos semper a bile oriri, sed quod etiam Veterum sit opinio audite Hippoc. dicit eo in loco omnes morbos acutos fieri a bile, imò omnes morbos. Est etiam Anaxagoræ sententia relata ab Arist. quod a felle omnes morbi acuti oriuntur. Non possum hoc ferre, quod imponat illi, vt putarit vesicam illam, esse causam morborum acutorum: voluit docere bilem esse causam omnium morborum acutorum. Et pro hac re, ad memoriam vobis reuocate, quod scribit Hippoc. in epistola ad Damagetum in Abderis, vbi cum inuenisset summum illum philosophum in sanum habitum versari circa sectionem animalium, interrogauit eum Hippoc. quid rerum ageret, respondit: se quærere veram causam insaniæ hominum, quæ est a bile: quasi voluerit non solum morbos acutos, sed etiam insaniam a bile oriri. Plinius idem scriptum reliquit. Quare hæc omnia dicta sunt vt intelligatis causam omnium morborum acutorũ esse bilem, & propterea sub nomine febrium biliosarum voluisse complecti omnes morbos acutos. Sed quid vult Hippoc. inquiens. & quibus ad crura purgatio, quomodo hic significat nobis morbos diuturnos, id certe non habent hac verba? ratio est hæc, quod in omnibus morbis longissimis, necessariò facultates naturales & præsertim coctrices labefactantur: vnde humores crudi graues & crassi fiunt, qui partim suo pondere in partes infernas ferruntur, partim facile reiciuntur ab his propter earum frigiditatem, & infirmitatem. Præterea necesse est, vt propter otium fiant humores crudi, crassi, qui agitati a calore debili in flatus conuertantur, hi si inuoluantur partibus neruosis, faciunt conuulsiones illas flatuosas gramphos a populo vocatas: quæ in morbis longis sæpe apparent, sicut etiam tumores, cum huiusmodi flatus retenti sunt in musculis. & propterea in morbis longis pedes intumescunt. Vnde cum dicit spectandas esse purgationes per inferna, dicit: hos affectus esse considerandos, qui comitãtur semper morbos illos. Et hos potius retulit, quàm alios, quia in morbis longis solent symptomata potius appatere in partibus infernis, imo tanti momenti est huiusmodi signum, vt semper colligere possitis, vbi in morbis tument pedes, semper eos esse longos. quasi hic sit velut proprius character morborum diuturniorum. Idem voluit Aristotel. quærens rationem, propter quam tument illi pedes, qui vtitur vitioso alimento, aut diutina fame quis laborat coliquantur corpora, vnde excrementa facile feruntur in inferna, quod quoq; fit in illis qui vitioso alimento vtuntur, quia hi cum crudos & graues generant humores hi facile suo pondere feruntur ad inferna. Et vt hoc etiam obiter dicam, propter famem sæpe intumescere pedes Hesiodus indicauit, lib. ἔργων καὶ ἡμερῶν. vbi scribit: aliquib. tempore famis in hyeme intumescere pedes. quem locum interpretans Proclus, de lege Ephesiorũ dicebat, non licere exponere filios propter famem parentibus, nisi illis intumescerent pedes. tumor pedum in morbis diuturnis semper fit; & propter famem fit. Itaque nomine biliosorum febrium morbos acutos intelligit: nomine purgationis per inferna, tumores pedum diuturnos.

Aph. 11. et 8. de diff. resp. et 2. de nat. hu.

4. de part. ani mal. cap. 2.

φαρμάκων τε τρόπους ἴσμεν, ἐξ ὧν γίνεται ὁποῖα ὅσσα· οὐ γὰρ πάντες ἀλλ' ἄλλοι ἄλλως εὖ κεῖνται. καὶ ἀλλόθι πρωιαίτερον, ἢ ὀψίτερον, ληφθέντα διαχειρισμοῖσιν, οἷον ἢ ξηράναι, ἢ κόψαι, ἢ ἑψῆσαι. καὶ τὰ τοιαῦτα. ἐῶ τὰ πλεῖστα, ὁκόσα ἑκάστῳ, ἐφ' οἷσι νοσήμασι, καὶ ὁπότε τοῦ νοσήματος, ἡλικίην, εἶδέαν, δίαιταν, ὁποίῃ ὥρῃ ἔτεος, καὶ ἥτις καὶ ὁκοίως ἀγομένη, καὶ τὰ τοιαῦτα.

Medicamentorum autem modos ſcimus, ex quibus fiunt, qualia, & quæ. Non enim omnes, ſed alij al ter bene ſe habent, & alibi citius aut tardius accipienda manuum tractationibus, velut ſiccare, aut tundere, aut coquere, & alia huiuſmodi. Mitto multa, quæcunq; vnicuiq; conducunt, & in quibus morbis, & quo morbi tempore, ætatem, ſpeciem, victum, quale tempus anni, & quod & qualiter procedat, & huiuſmodi.

Præter quatuor illa quæ dixit Hipp. Medicis eſſe ſpectanda eſt quoq; quintum, neq; minoris momenti: quia non ſatis eſt ſcire quid ſit agendum, quantum, quomodo, & quo tempore, niſi quoq; intelligatur cum quibus inſtrumentis. ſunt autem inſtrumentorum genera tria in arte medica; genus chirurgicum, pharmaceuticum, & diatæticum. Habent verò hæc genera ſuas materias, quas Gal. appellare conſueuit materias remediorum; ad chirurgicum genus referuntur, ferrum, ignis, ligamenta, & quicquid ab Hippoc. conſideratur. pars διαιτητική complectitur ſex res non naturales, vt ærem, potum, motum, quietem ſomnum & vigiliam, exernenda & retinenda animi quietem. Hanc partem dixit Plato, Prodicum inueniſſe. Strabo, Mar. Varr. & Plin. dicunt, hanc partem excoluiſſe Hipp. quando combuſto templo Æſculapij, ſurripuit tabellas illas, ex quibus, inquiunt illi, totam hanc partem hauſit. Sed meræ nugæ ſunt, vt alias dixi φαρμακευτικῆς materia, in pluribus eſt, plantis, animalibus aquatilibus terreſtribus aereis ſubterraneis. Hippoc. breuitatis ſtudioſiſſimus, relicto genere διαιτητικῆς & chirurgica parte, proponit tantum genus φαρμακευτικὸν. Sed inquiſitione dignum eſt, cur Hippoc. prætericrit alia duo genera, & tantum tradiderit nobis theorica generis pharmaceutici. Si conſideremus genus chirurgicũ, operatio chirurgica fit remedijs externis; in his errare non eſt ita facilè: etſi errores committuntur, non ſunt vſq; adeo lætales. Genus etiam διαιτητικὸν facile eſt intellectu & obſeruatu, nec errores qui fiunt in victu ſunt adeo praui φαρμακευτικὸν, eſt maximi momenti, quia vſu horum inopportuno non ſolum inſignia detrimenta ſequuntur, ſed etiam mortes. quare de hoc genere regulas proponit, cùm quia maximi reſer; tum quia ex his poteſt ſibi medicus comparari regulas aliorum. Videamus quid de hoc genere demonſtret: quod tametſi obſcuriſſimum eſt, nihilominus maxima laude dignum eſt, & Gal. valde prædicat. Nos autem pro captu faciliori ingeniorum veſtrorum, totam hancartem in ſua capita & cancellos redigemus. Habet ſanè, vt omnes actiones hoc, vt operæ pretium ſit conſiderare quibus medicamentis ſit vtendum, quanta menſura, quomodo. Et inquit quæ medicamenta ſunt Medico vſurpanda comparatur ex natura ipſorum affectuũ, nam cum quatuor ſunt genera medicamentorum apud omnes gentes lenientia, alterantia, expurgantia, & corroborantia: quo ex his vti debemus non aliunde diſcimus quam ex perſpecta natura ipſorum affectuum. ſi affectus ſunt leuiores & materia effectrix horum ſit in inteſtinis, vtimur lenientibus. ſi affectus ſit pura intemperies, alterantibus: Si grauiores ſunt, & materia ſit in toto corporis ambitu; purgantibus. ſi viſcera deniq; labefactata ſunt, corroborantibus. Adeò vt tota doctrina medicamentorum comparatur ex idea morborum. Qui finxit commentaria ſub nomine Gal. ſuper hunc librum, & locum; exiſtimauit Hippoc. duntaxat hic loqui de medicamentis purgantibus, ſed ſi videatis Gal. loco citato, vbi examinat hanc dictionem, eius ſententiæ fuit vt dicat eum loqui hoc loco de omnibus: quia ſi vult nos docere modos vniuerſales medicamentorum, opus eſt vt de omnibus medicamentis loquatur. Quantitas adeo magni momenti eſt in medicina facien-

lib. de officina med.

3. de Repub.

lib. ad Thraſyb. cap. 4.

cien-

lib. de curat. rat. per sang. missio.

cienda, vt Gal. dixerit, hanc solam facere artem coniecturalem, siquidem cum quantitas medicamentorum comparatur a magnitudine & quantitate effectus, difficillimum est perfecte intelligere gradus morborum. Et enim quantitatem expendere oportet in omni genere medicamentorum, valde necesse est hanc examinemus in purgantium exhibitione, quia interdum pusilla copia purgant, interdum vix magna. hinc fit vt summa solertia egeat Medicus in huiusmodi quantitate eligenda. De tempore etiam remediorum exhibendorum non debet Medicus minorem curam gerere. quia si primò spectemus tempora anni, alio modo vtendum est illis æstate, alio hyeme; æstate molestæ sunt purgationes, inquit Hippoc. hyeme facile tolerantur; præterea hyeme pituita, æstate bilis: autumno melancholia abundat. sic etiam expendere oportet tempus motus: quia alia in principio conueniunt, alia in augumento, alia in statu, alia in declinatione. Idem de constitutionibus anni dicendum. In summo æstatis dicit Gal. non esse mittendum sanguinem, etiamsi robustæ sunt vires. Similiter de regionibus dicendum, quia has diligenter Medicus considerare debet. Iberi facile ferunt sanguinis missionem, nostri non ita: apud Ætiopas aliud genus remedij requiritur, quàm apud Europęos. Quarto modus curationis expendatur, non solum in componendis medicamentis, sed vtendis. In componendis, modo attritione, nonnunquam incisione & omnibus alijs, quę referuntur ab Hipp. Modus etiam vtendi semper debet Medico ante oculos esse. quapropter interdum præstat lambendo dare, interdum deuorando. Postremò circa medicamenta, debet Medicus considerare quibus vti debeat: siquidem si partes corporis examinemus, brachio aliud remedium conuenit; aliud oculo, aliud hypochondrijs. Si corpora ipsa examinemus, considerare oportet temperamenta; quia vt hæc variant, ita diuersas postulant curationes: tum ætatem, quia aliter puer, quàm senex tractandus est: habitum corporis, quia rustici & vrbani alia remedia postulant. Est etiam consuetudo, quia assueti, inquit Hippocrates facilius ferunt medicamenta, quàm inassueti. Sunt etiam qui propter assuetudinem magis delectantur vno vel altero remedio. Præter hæc consideranda est exercitatio: otiosis conuenit aliud genus remedij, aliud artificibus. fabrorum prandia betæ, inquit Martialis. Ita exercitantibus sese aliud conuenit, quàm non exercitio vtentibus præterea victus hominum est considerandus. qui temperatè viuunt parcè sumunt remedia, contra, qui intemperanter. postremò consideratur in quibus morbis, an biliosis an pituitosis.

✣

Ζωΐλῳ τῷ παρὰ τὸ τεῖχος, ἐκ βηχὸς πεπείρης, πυρετὸς ὀξὺς, καὶ προσώπου ἔρευθος, καὶ κοιλίη ἀπολελαμμένη πλὴν πρὸς ἀνάγκην. πλευρῆς ὀδύνη ἀριστερῆς καὶ οὖς κατ' ἴξιν ὀδυνῶδες πάνυ. καὶ κεφαλῆς οὐ τοσοῦτο. πτύων διὰ παντὸς ὑπόπυον ἐνόσει. ἀλλ' ἔτι τὰ ἄλλα ἐκρίθη. καὶ κατὰ οὖς ἐρράγη πύον πολὺ, περὶ ὀγδόην ἢ ἐνάτην. Αἱ δ' ἀρχαὶ τῆς ἐνάτης, ὀδύνης. Οὐκ οἶδ' ὅπως ἄνευ ῥίγεος ἡ κρίσις ἵδρωσε κεφαλὴν κάρτα. καὶ ὠτὸς ἐμπεδότιμη ξύγκαυσις καὶ ἀριστερῆς πλευρῆς ὠτός. ρῦ. ἄνω ἅμα ὠτὶ, ἀνωδυνίη μάλιστα κατ' ὠμοπλάτην. Ατὰρ καὶ ἔμπροσθεν πτύαλα πολλὰ, κατ' ἀρχὰς πτυόντα ἀνθηρὰ, καὶ ἀμφὶ ἑβδόμην ἢ ὀγδόην, ἔπειτα ἐπίπονα. Κοιλίη ἔστηκε μέχρις ἀμφὶ ἐνάτην καὶ δεκάτην, ἡ ὀδύνη ἀπέσβη. οἴδημα ἀνίει, καὶ ἱδρώτια ἐγένετο οὐ μὴν ἔκρινε. Δῆλα δὲ ἦν καὶ ἄλλοισι, καὶ τῇ ἐξόδῳ. περὶ γὰρ ἀρχομένην τὸν τοῦ ὠτὸς ὀδύνην καὶ ἡ γαστὴρ ἐπεταράχθη. Ἐρράγη δὲ ἐκ τοῦ ὠτὸς ἐνάτῃ, καὶ ἐκρίθη τεσσαρεσκαιδεκάτῃ ἄνευ ῥίγεος ἡ νοῦσος τῇ αὐτῇ ἡμέρῃ. Ατὰρ καὶ καὶ τὸ πτύαλον λαυρότερον ᾔει, ἐπεὶ τὸ οὖς ἐρράγη, καὶ πεπειρότερον. Ἱδρῶτες δὲ καὶ ἕρπητα, ἐπὶ πολὺ χρόνον τῆς κεφαλῆς ἐγίνοντο. Ἐξηραίνθε ὡς τρίτη.

Zoilo iuxta murum ex tussi concocta, febris acuta, & faciei rubor, & aluus intercepta nisi ad necessitatem. Lateris dolor sinistri, & auris e regione olens valde, & caput non adeo. Spuens semper suppurulentum ægrotabat. Sed alia iudicata sunt. Et secundum aures pus multum effluxit, circa octauam, aut nonam diem. Principia autem nonæ diei doloris auris. Nescio quomodo sine rigore iuditium. Sudauit caput valde, aurisq; & lateris sinistri stabilis erat quidam ardor. Sursum simul cum aure secundum scapulam præcipuè leuatus est dolor. Sed & prius sputa multa, quæ secundum principia spuebantur florida, & circa septimam aut octauam. Deinde concocta. Venter restitit vsq; ad nonam & decimam. Dolor euanuit. Tumor remittebat, & sudores exigui fiebant, non tamen iudicabant. Manifesta autem erant & alijs & secessu. Cum enim inciperet dolor auris, etiam venter turbatus est. Effluxit autem ex aure nona die & iudicatus est decima quarta sine rigore morbus eadem die. Cæterum sputum largius ibat & magis concoctum postquam ex aure effluxit. Sudores verò & herpetes in capite in multum tempus fiebant. Arescentes tertio quoq; die.

Dixit alias Veteres hanc consuetudinem seruasse vt semper in medicina docenda speculationẽ coniungerent cum practica, eo quod illa vera est medicina, quæ semper practicã cõmitatur. sed præ cæteris obseruauit hoc Hipp. qui continuò obseruationes speculationum copulauit cum praxi. Et hinc fit quod in Epid. 5.6.& 15. historias etiam annotarit, præter regulas præcepta in arte medica, quasi ex relatis hist. possit Medicus solers totam artem perdiscere, & præsertim partem διαγνωστικὴν, & curatoriam. Monstrauit hoc in præsenti oratione, in qua narrat hist. Zoili cuiusdam, & summo studio, illud tamen habet, quod admodum confusa est. Nos autem vt possint ingenia vestra hanc doctrinam facilius complecti, ita ordinatè & perspicuè proponemus ante oculos vestros, vt omnia ni fallor, intelligere possitis. Sed priusquã rem aggrediamur, explicandum nobis est, cur interdum hist. nobis proponit breuissimis verbis, nonnunquam longissima oratione. puto ego consilium illius in scribenda hac historia duplex fuisse, vnum, vt duntaxat digna cõsideratione ante oculos proponeret: vnde cum ea pauca essent, ea paucissimis verbis complexus est, aliquã do diligẽtiã suã voluit monstrare & docere modũ vtendi arte medica. accedit qđ interdũ fecerit, quod plærisq; hodie: si quando enim ægri nobis sunt carissimi, solemus omnia accuratissimè & diligentissime annotare, vbi autem illi quos curamus, nobis non sunt ita noti, solemus paulò negligentiores esse. Vnde quando Hipp. longior est, existimandũ est, eũ carissimũ sibi fuisse, quod huiusmodi diligẽtia sit vsus, Cel. dicebat Medicũ verũ vix posse vnũ aut alterũ ægrũ rectè curare: & dicebat Medicũ si verus sit artifex debere semper ægro assistere, qđ tamẽ inquit, ille, nõ faciunt hi qui q̃stũ quærunt. Casus ergo Zoili hic fuit, laborauit primis dieb. tussi, post tentatus est duob grauib. affectib. dolore auris sinistræ & lateris sinistri: hos affect⁹ graues secuta sunt cõplura symptomata, cõfuse & sine ordine ab Hipp. enarrata. Primum quod ad actiones læsas pertinet, dicit hunc laborasse dolore capitis sed exiguo; tussi concocta. Alias actiones læsas non narrat; & credendum est nullas fuisse. Quod attinet ad excrementa mutata, inquit: qua die cœpit Zoilo auris dolere, cœ- *lib. 3. cap. 4.*

pit & aluus fluere: quæ tamen paulo post restricta est, & durauit vsq; ad octauum aut nonum diem. decima die inquit factam esse aluum molliorem. Sputa vsq; ad octauum diem fuerunt florida, post octauum apparuerunt concocta, semper tamen purulenta. sudor in capite copiosus, feruidus, & firmus, qui tamen diminutus est circa octauum diem, necq; iudicauit: octauo, & nono die pus ex aure effluxit, & post pus exiuerunt sputa copiosa, & concocta. Quod ad accidentia mutata spectat, scribit laborasse febre acuta, & faciem rubentem habuisse. Tandem decimoquarto die iudicatus est sine rigore tamen, & cum sputo copioso, post iudicationẽ adhuc aliquot diebus perdurauit sudor, & herpetes in capite, qui tertia quaq; die exiccabãtur. Hæc fuit historia proposita ab Hipp. sed (vt videtis) cõtinuè satis, nam cum cutsim hæc annotaret in aduersarijs, non potuit eum ordinem seruare, quem deberet. Vt autem theoriam, & praxim huius historiæ habeatis, tria sunt maximè explicanda: primum, qui fuerint affectus, tum quæ causæ eorum morborum quib. Zoilus tentabatur. Secundo, vnde orta sunt tot symptomata. Tertio, quænam fuerit curatio. etsi enim Hipp. nullam mentionem facere videatur curationis, non est tamen credibile hunc non fuisse curatum: quia vsq; adeo diligenter ipsius historiam persecutus est Hipp. Circa primum; Virum hunc laborasse duplici inflammatione auris sinistræ & lateris sinistri, quæ appellatur pleuritis vnicuiq; satis perspectum est. Dolor auris vt Gal. scribit, appellatur à Græcis ὠταλγία. Vt iure Hipp. sub nomine doloris auris intelligat hanc inflammationem auris. Vtrum autem fuerit dolor ingens, nec ne, etsi non explicatur ab Hipp. tamen rationi consentaneum est, dolorem auris fuisse ingentem, quia vt Gal. dolor auris (quod pars ea neruis acutissimi sensus sit constructa) semper maior est, quolibet dolore capitis. Vnde cum fuerit affectus dolore auris, existimandum est cum fuisse acerrimum: fuisse autem inflãmationem manifeste docet pus, quod exijt, 9. die. Dolor autem lateris nihil aliud fuit, quàm vera & puta pleuritis: id autem indicauit & febris, & tussis, atq; etiam sputa florida vt minimè de hoc sit dubitandũ. sed cur non & censetur etiã febris inter morbos, quia vbi sunt inflammationes, febres nũquã sunt principales morbi, sed symptomata. videre Gal. vbi narrat, Veteres in more habuisse febres copulatas inflammationib. nunquã appellasse febres, vt febres in phren. Hepat. pleuritide, sed Hepatitĩ, phrenisim pleuritim, quasi nũquam sint proprij & principales morbi, sed pura accidentia. Iam de causis agamus. Cum hæ sint & externæ, & internæ, de externis nihil videtur dixisse Hipp. Veruntamen puto ego non absq; summo iudicio annotasse Zoilum hunc habitasse prope murum: quia puto habitationẽ hanc circa murum ciuitatis fuisse causam. sciunt omnes in vsu, imò verò pro lege habuisse Veteres, vt semper inter ædificia & murum relinquerent maximum spatium in quod conseruare solent homines quisquilias vrbis: adeo vt locus hic sit infamis, insaluber. Quare cum hic habitaret iuxta murum, ex quisquilijs ventisq; factum est, vt caput ipsius maximè repletum sit, propter quod deinceps orta est tussis, a qua orti sunt morbi. Itaq; magno iure annotat Hipp. habitasse iuxta murum, vt doceret scilicet causã externã. Interna verò nulla alia fuit, quã pituita capitis commixta ipsi sanguini. hæc autẽ pituita cum in capite redundaret, factum est vt natura copia huius humoris onerata, conata est ipsum depellere. Vnde partim in aurem sinistram, partim in latus sinistrum depulit. Cur in aurem sinistram potius quam dextram, cõmunis causa potest afferri, quod partes sinistræ sẽper sunt infirmiores, tum humidiores, & pſertim secundũ aurẽ. Hic ergo humor depulsus in aurẽ, ibiq; collectus, putrescere incœpit: ex quo flatus eleuati distendentes neruos illos, pepererunt dolorẽ & inflãmationẽ. Porrò cur pars huius humoris sit delata in latus sinistrum fuit etiã euidens causa, scilicet tusis præcedens; quia cum hæc in signiter concutit corpus, inuitat naturã ad depellendum humorẽ ad pectus & latera. Et hinc fit vt plerunq; pleuritides sequantur tusses. Pituita itaq; sanguini permixta, & depulsa est in latus sinistrũ: vbi calore loci cœpit putrescere. & cũ esset extra locũ ꝓpriũ, factũ est, vt cõsequuta sit inflãmatio & pleuritis. Sed priusquã vlterius ꝓgrediamur, circa hanc partẽ tres dubitationes, inquisitione dignę occurrunt: prior est, qua ratione factũ sit, vt cũ Zoilus laboraret inflãmat. auris sinistrę nõ fuerit tẽtatus delirio, quia vt docuit Arist. & Pl. ante eum transner-

Marginal notes: 1. de diff. mor. & 3. Prog 13 — lib. de comp. med 5. l. c. 1. — 6. Epid. com. 3. tex. 29. — 3. de partibus animal. c. 10. 1a T. tex.

uersum si quandoq; inflammetur facit delirium:& dicebant Veteres, ac præsertim Arist. hanc partem esse appellatam φρένας, non quod ibi sapientia fiat, quia hoc Hipp. in fine libri de sacro morbo refutauit, sed quia ea parte inflãmata sapientiæ fit iniuria, & homines insaniunt. Plin. scribit esse etiam aliquem morbum, quo homines sapientia pereunt. Neq; uoluit aliud intelligere, quàm hanc desipientiam, quando scilicet propter inflammationẽ φρενῶν homines intereunt. Alia causa dubitationis huius est, quia Hippoc. scribit, dolorem aurium si fit, aut fuerit cum febre acuta, difficilem esse, & quod inducit deliria & mortes, quem locum cum interpretaretur Gal. dicebat: aurem externã, si inflammetur parũ detrimenti afferre, quia est pars ea ignobilis, sed si interna rem esse exitiosissimã: quia propter viciniam cerebri fiunt mortes subito, ita vt Hipp. dicat, propter dolores aurium sæpe homines interire. Et semper fui in hac sententia, pueros qui frequenter & subito pereunt, propter hunc affectum perire, quod pus exiens deinde significat; sed in ea ætate, quæ sui ipsius nescia est, neq; possunt deliria, neque affectus referre, neque Medici facile colligere. Ego in his soleo auribus infundere, quod possit lenire dolorem. Altera dubitatio est, quomodo Hipp. dicat hunc Zoilum fuisse iudicatum, hoc est sanatum, nam pleuritis fuit in parte sinistra? Auicen. autem loquens de pleuritide, inquit: inter Veteres dissensionem fuisse, quę nam pleuritis sit lethalior sinistri, an verò dextri lateris, & tandem concludit sinistri lateris esse peiorem, quia est proximior cordi, quod cum est pars nobilissima, æquum est, vt ob viciniam morbi in hac parte lateris sint grauiores. Tertia dubitatio est, quomodo dicat, qua die cœperit auris dolor, cœpisse etiam alui fluxum, quia idem scribit in Aphorismis, si surditatem sequatur alui fluxus, soluere auris affectum, verum non solum non cessauit sed perdurauit vsq; ad quartum diem. Ad primam dubitationem respondendum est, inflammationem quidem auris fuisse, sed benignam; benigna enim fuit, quia erat a sanguine pituitoso. sanguis pituitosus vbi putrescit, solet vapores omniũ blandissimos excitare, vnde factum est vt hi non ita percusserint membranas cerebri, & non fecerint dolorem magnũ, sed exiguũ. Ergo summa ratione non tangit deliria, & alias actiones læsas cerebri, quia cum esset inflammatio benigna nõ multũ læsit cerebrũ. Ad 2. dubitationẽ respondeo, ad eam inquam, quod sit seruatus, cum tamen laboraret pleuritide sinistri lateris, cũ ipso Auic. si pleuritis ea suapte natura sit praua citius interficere propter viciniã cuspidis cordis. si autẽ sit salubris suapte natura, facilius curari, quia cum sit calidior pars, materiã citius suppurat, & resoluit; Zoilus quoniam laborauit pleuritide benigna & pituitosa, propterea non fuit lethalis, & seruatus est 14. die. Ad 3. dubiũ dicendum est, ad hoc vt alui fluxus affectus aurium persanet, opus esse duab. conditionib. vna est, vt prius fiat morb. in aure, dein superueniat fluxus alui: alia, vt fluxus alui non sit momentaneus, sed diu perduret, quod vnus vel alter dies quo fluat aluus non potest neq; reuellere materiam, vt par est, neq; reuulsam dissipare. Cum igitur in hoc casu fluxus eadem die factus est, qua dolor auris, cum etiã non perdurauit, sed statim aluus sit reddita adstricta, mirum est, si hic fluxus non abstulit affectum auris. Cur verò Zoilo factus sit alui fluxus in tam graui ægritudine, & cur etiã sit aluus adstricta, hęc potissimũ fuit ratio, quia propter habitationem illam iuxta murũ, caput sibi magnopere repletum est, quæ cum natura repelleret, pars in latus sinistrum abijt, pars in stomachum & intestina, vnde dysenteria, fluxus alui. Hoc Hippoc. nos docuit vbi scribit: sæpe vsu venire vt dum materia a capite in stomachũ ruat, alui fluxum inducat. Sed cur adstricta fuit paulo post? hæc fuit causa, quia cum cœpit inflammatio auris progredi, pituitæ impetus cõuersus est ad aures: & natura sollicita ipsius partis, & lateris cœpit humores in alias partes deducere. accessit aliud, quia sequuta est febris acuta: febres omnes, & pſertim acutæ quantũ sit ex sese, solent mitũ in modũ aluũ exiccare & adstringere, vt ꝑpter hoc Zoilo post dolorẽ & fluxũ, aluus sit adstricta, quæ tamẽ mollior sit facta 10. die quia 9. inflãmatio auris fuit finita, nã cum natura nõ amplius intenderet auri, cœpit materiã in intestina detrudere. & hinc aluus iterũ mollis est reddita. Sputa primis dieb. florida, 8. die cocta fuerunt; florida primis diebus erant, quia materia cruda erat: cum enim pleuritis erat a sanguine iure debebant rubea, & san-

Lib. 7. cap. 50.

3. progn. 13.

6. epid. com. 4.

3 fen. 10. tract. 4. cap. 1.

Lib. de aff. inter.

& sanguinea apparere. Sed concocta fuerunt octauo die, quia cum benigna esset materia facile fuit vt calore partis sinistræ concoqueretur. Cessauit autem dolor nona die, quia
2. Aph. 47. vt Gal. & Hipp. scripserunt, dum pus conficitur dolores ac febres fiunt magis, quam pure iam confecto. Adhæc habuit sudorem circa caput qui sudor copiosus fuit, quia cum hic vir habitabat propter murum, habuit maximè caput repletum humoribus, & dicebat Hippoc. qua parte sudor est, ibi semper est morbus, nono die effluxit huic etiam pus, indicium magnæ inflammationis & apostematis auris. Sed cur inflammatio auris citius suppurata est, quàm lateris, si latus sinistrum est calidius, debuisset citius finiri apostema eius partis. Natura semper sollicita est in depellendis morbis a visceribus illis, in quibus collocata est vita; huiusmodi sunt cor & cerebrum; propterea dicebat Arist. voluisse naturam, vt
4. depart. ani mal. cap. 2. bilis nunquam cordi appropinquaret. Pariter natura semper studiosissima est, vt cerebrū defendatur ab omni iniuria, & materia morbifica. Propterea cum instrumentum auris sit propinquum cerebro, natura citissime eius morbos curat. Hinc cito etiam finiuntur; id quod
6. Ep. 6. et 3. Progn. 13. habet Hippoc. & Gal. vbi dicebat: ex auribus perire homines tertio die. vbi etiam scribit locum aurium esse fallacissimū, quia locus ille valde est abditus; & proximus cerebro: quo fit vt nisi Medici valde intendant omne ingenium facile fallantur. Dicit etiam expuisse sputa florida & copiosa a pectore; signum apostematis sedati. Sed mirabitur aliquis qui factum sit, vt Zoilo morbus protractus sit vsq; ad decimumquartum diem, siquidem Hip
1. Aph. 12. poc. scribit, vbi initio apparent sputa, finiri statim pleuritidem: vbi morantur diutius, diu turniorem fieri morbum. In Zoilo prima die sputa erant, imò inquit tussis fuit concocta æquum ergo erat vt hic morbus non pertransiret septimanam. Dicendum est aliud esse symptoma lateris, aliud tussis; tussis quæ inchoauerat ante, potuit concocta esse primis diebus, sed apostema lateris, neutiquam. & hoc est quod dicebat Hippoc. apparuisse sputa, florida, sed cruda initio. Habuit febrem acutam, quia si vna inflammatio facit febrem acutam, multo magis vbi duo sunt. Accedit etiam quod morbus erat valde proximus cordi: & propterea necesse erat, vt flagraret valde cor, & febris excitaretur. Habuit etiam faciem rubeam, summo iure, quia cum esset inflammatio in latere sinistro, & aure sinistra, iure vapores ferebantur in faciem, qui colore illo eam tingebant. Habetis apud
De Triaca auctores signum pulmonis inflammati esse genas rubentes. Nicander etiam inter signa icti a veneno leporis marini, & vlcerati pulmonis, refert genas rubeas. Tandem dicit iudicatum fuisse decimoquarto die, quia scribit Hippoc. terminum morborum acutorum
2. Aph. 23. & perinde pleuritidis esse decimū quartum diem, itaut si hanc pertransierit, semper esse periculosam. Sed ad quod addit, iudicatum esse absq; rigore, quia si videatis eum secundo & tertio Prognost. vbi signa suppurationis recenset, ait: vix fieri suppurationem sine rigore; vnde cum hic facta sit sine rigore. quasi aliquid admirationis habeat, hoc adnotauit. Sed quæ fuit eius rei causa? quia, cum sanguis inflammationis esset pituitosus, & blandus, vapores etiam erant blandi: qui cum non percuterent partes neruosas ferirentque, non factus est rigor. Post iudicationem quid factum est? aliquæ iudicationes ita auferunt morbum vt nullum prorsus vestigium relinquatur: & hoc est, quando iudicat per insignes excretiones, aut sanguinis fluorem e naribus, per aluum; vrinas. secus est, quando sine his: quia cum non potest totam materiam euacuare remanent reliquiæ & vestigia morbi. Id factum est in hoc Zoilo in quo cum per exitum puris, & sputi iudicatio sit facta, non potuit omnis materia morbifica euacuari. & propterea dicit, post crisim perdurâsse sudores, & herpetes in caput. Sed qua de causa? Quod ad sudores attinet, duæ sunt causæ, vna naturalis, altera accidentalis: naturalis, quia caput laborabat, & cum labora-
2. prob. 10. & 17. bat caput erat rationi consentaneum vt sudaret, vt Arist. approbat, vbi quærens rationem cur homines maxime sudent secundum hanc partem, dicit idcirco esse, quia habent caput laxum & imbecillum, & humidum, vnde sudores & fluxus humiditatum ab hac parte potissimum fiunt. & hac de causa Zoilo etiam facti sunt sudores circa caput. Accessit etiam aduentitia causa, quia cum facta esset purgatio ex auribus, ex his solet exigua materia manare: vnde remanet facile aliqua pars. Idcirco non est mirum, si remanserit, pars renuior & craſ-

& crassior, illa per sudores emanauit, hæc retenta intra ossa & cutim putredinem acquisiuit: vnde vlcuscula & herpetes exoriebantur, quæ exarescebant tertio die, quia vt scribit Gal. materias efficientes paroxismorum semper euacuari singulis paroxismis, & vt est natura humoris semper augeri oriri & finiri: ita quod faciunt humores in febribus solent etiam facere in alijs. Vnde cum hi essent a bile, crassior pars remanserat quæ 3. quoq; die pariebat postulas, & 3. quoq; die exarescebant. Hic fuit status Zoili. Sed vt pro medicina facienda aliquid vtilitatis vobis comparare possitis, videre debemus, quid faciendum fuisset in hoc homine. Hippoc. enim non habuit scopum proponere in hoc libro curationes, nisi forent rarissimæ. Et quia Medici Rationales sumus, & horum operatio tota comparatur per indicationes ex natura morbi perspecta, statim Medicus debet vbi accessit ad ægrum spectare diligenter naturam morbi, et ea inuenta, indicationes haurire. Morbi duo erant, inflammatio auris & lateris. Inflammatio omnis est tumor præter naturam a sanguine vel bile ortum trahens. Propterea cum sit morbus partim in intemperie, partim in magnitudine aucta, & partim fit, & partim factus est, duplex oritur indicatio, ratione calidæ intemperiei, refrigerandi: ratione tumoris, amputandi. Non potest autem tolli magnitudo, nisi auferatur materia præter naturam, quæ facit illam. Hæc autem partim est influxa, partim in fluxu. Itaque ratione materiæ efficientis hunc morbum duæ oriuntur indicationes, vna; prohibendi influentem: altera influxam dissipandi & euacuandi. quæ euacuari non potest, nisi præparetur. Ergo præparanda erit prius. His tribus satisfacere potest Medicus, diæta, chirurgia & pharmacia. Primum instrumentum est diæta, t q; necesse fuisset statim prospicere vt esset in aere moderato, non admodum calido propter inflammationem, non etiam admodum frigido. conciliandus somnus, aluus lubrica: & abstinentia vini, præscribendo loco eius aquã hordei, vel aquam coctam. victu tenui vtendum, propter morbum acutum. Veteres melicrato detinebant ægros ad septimum diem. nobis non ita est faciendum, propter ignominiam, & detrimentum. Igitur ptisana hordeacea panatella aqua cocta, lac amygdalarum dulcium seu succus illarum cum pane statim præscribenda fuissent. Quid deinde faciendum est? Hippocr. videtur hoc præceptum reliquisse nobis, vt statim incumbamus lenitioni, doloris propterea statim fomenta adhibet: quod vtrum fecerit Hippoc. vt tentaret naturam morbi, an potius vt leniret dolorem & causam auferret, longa quæstio est, ego tamen sæpe existimaui, Hippoc. non eguisse vnquam huiusmodi tentaminibus, cum oculatissimus esset, sed fecisse hoc vt leniret dolorem, & flatus discuteret: sed vt cumq; sit quia longior est huiusmodi disputatio, puto in Zoilo debuisse studere, vt dolor auris potissimum leniretur: sed quid de communi Medicorum præcepto dicemus, vt nunquam localia remedia adhibeantur, priusquã vniuerso corpori prospectum sit? medicamenta localia trium generum sunt, quæ in initio adhibere possunt, vel repellentia, vel discutientia vel dolorem lenientia: illis nunquam vtendum est ante euacuationem totius corporis, quia a repellentibus imminet periculum ne materia in viscus aliquod nobile feratur. Neq; discutientibus vtendum est, quia periculum est, ne existente corpore pleno, maiori impetu materia ad partem affectam trahatur, sed medicamentis lenientibus vti possumus non purgato etiam corpore. Et propterea Hippoc. vtitur lacte in doloribus aurium, quia hoc neq; attrahit, neq; repellit, sed dolorem duntaxat placat: sic soleo ego etiam adhibere initio in doloribus aurium ὑδρολαῖον. quod quidem dolorem placat, nec repellit aut discutit. Et quod de dolore aurium dico, etiam dico de lateris: sed magis hoc est agendum in doloribus aurium, quia solent esse acerbissimi & exitialissimi. Post hæc debuisset statim cogitare de vniuersali corporis euacuatione. vnde cum fluxus alui esset cohibita, & aluus adricta credibile est adhibuisse statim clysterem vel glandem, & post cogitasse statim de sanguinis missione. Sed in hac cogitatione inuenio scopulos & non exiguos: ex vna parte videtur necessarium fuisse vt fieret venę sectio, quia morbus erat magnus: vbi vires constant & morbus est magnus sem per vena secanda est, præterea erat morbus inflammatio ex sanguine: ergo natura ipsius morbi indicabat venę sectionem Ex altera parte non videbatur esse ita tutum, quia morbus

Marginal notes: 2. de diff. feb. — lib. 2. de vict. — 1. Ep. sec. 6.

6. epid. sec 6. & lib. de humoribus bus nō postulabat, Hipp. dicit: in pleuritide sanguinis sputum prohibere sanguinis missionem, & Gal. inquit in eius loci explicatione, quia significat morbum esse mitissimum: & huic non conueniunt remedia magna. In Zoilo nostro erant sputa rubea, erat facta pleuritis a sanguine pituitoso, itaque non videbatur postulare hoc remedium. Si autem ætatem spectemus, iurarem fuisse senem hac coniectura, quia Hippoc. ait; dolores aurium in
3. Progn. 14 ternarum in iuuenibus esse valde periculosos, in senibus esse magis salubres: hic non fuit admodum acerbè tractatus, quo verisimile est fuisse senem, si senex erat, non postulabat venæ sectionem. Ego tamen modò vires constitissent statim venam secassem: quas etiam adfuisse conijcio, quia solutus decimoquarto die. Ad auctoritates dico, quod tametsi forte ratione plenitudinis non fuit necesse mittere sanguinem, postulabat tamen morbi magnitudine aurium inflammatio, & partis dignitate. sed qua partè mittendus erat sanguis fuit diu quæstio, an ab eodem latere, an ab opposito: maior pars secuit venam lateris affecti. ea propter ipse quoq; a brachio sinistro venam secari iussissem, & presertim quia Hipp. dicebat, quod dolor lateris pertingebat ad scapulas. misissem ad eam quantitatem, quam vires sustinere poterant. Quod si morbus perexisset, preter sanguinis missionem
13. meth. cap. 19. ex vena, cucurbitulas adibuissem scapulis. Ita Gal. præcipit, vt vbi caput vel partes ipsius laborant, primò vena secetur deinde cucurbitulæ applicentur scapulis. Tum maturationi studuissem lacte, hydrelaeo, ex lacte pane trito, & pomo cocto. Lateri adhibuissem vel diealthetam, vel succum brassicæ, butyrum & axungiam porcinam. Intus, syrup. de liquirit, de capillis ven. & similia. Nonnulli exponentes hunc locum, videntes aliquam obscuritatem in littera Hippocratis, imaginati sunt Hipp. decimo die fecisse causticum in latere, quia Hipp. solet sæpe precipere, vt in hydropicis cito secetur, in pleuriticis cito vtatur, sed ego nunquam adduci possum vt credam Hippoc. statim voluisse ad hoc auxilium esse deueniendum. Videbat morbum suapte natura mitem, & finiturum decimo quarto die, certe nimis audax fuisset, si ita temere auspicatus fuisset hoc auxilio vti, quia
7. Aph. 88. ille inquit, prius medicamentis tum ferro, deinde igne agendum.

Οπόσα ἀσήμως ἀφανίζεται δύσκριτα: καὶ οἷον τῇ τοῦ Πολεμάρχου παιδίσκῃ ἐρύσιπελας.

Quæcunque sine signo euanescunt, difficilis iudicij, & velut Polemarchi ancillæ erysipelas.

In tota Hipp. disciplina nulla penè sententia est magis trita ea, quā præ manibus habemus, scilicet omnes abscessus, qui sine signo statim occultantur, esse difficilis iudicij: & puto Hippoc. hanc sententiam plærisque in locis scriptam reliquissè, quod in medicina faciendа nihil est tanti momenti, quam vt videat Medicus, quomodo abscessus euanescant, & occultantur. Et vt huius sententiæ veritatem penetrare possitis, singula verba examinabimus, diligenti consideratione digna. Primum ergo dicitur, ὁπόσα ἀφανίζονται, idest quæcunque disparent. hæc vox deducta est a luce; quia vt lux modò apparet, modò subito oculis aufertur: sic in corpore nostro fit. Dicit deinde ἀσήμως plærique existimarunt nihil aliud significare hanc vocem, quam sine ratione, sine coctione, quasi ea quæ euanescunt sine signis coctionis sint δύσκριτα. Hęc quidem sententia vera est, sed puto etiam aliquid aliud voluisse annotare. quia explicatissima, & nobilissima Gal. sententia est, vbi
2. Prorr 58. videtur demonstrare nobis, huiusmodi vocem vsurpatam sæpe ab Hipp. nihil aliud significare, quam sine auxilio vel artis, vel naturę; quasi hæc vox ἀσήμως propono, sit sine signo facto vel ab arte, vel a natura. & certe hæc sententia uobis multum placere debet, quia est verissima, & rationi maxime consentanea, quod quotiescunq; aliquis fit motus a natura, & hic retrocedit sine auxilio vel artis, vel naturæ, sempet infida est huiusmodi euanescentia. Qua propter illud verissimum est, quod scribit Hippoc. huiusmodi absessus solutos sine artis, vel naturæ auxilio, esse difficilis iudicij, δύσκριτα, hoc etiam verbum est maximi momenti apud Hippoc. quia esse aliquam rem difficilis iudicij dupliciter intelligi potest,

vel quod difficile sit Medico de ea iudicare, vel quod sit mali euentus. Vtroq; modo hęc vox apud Hippocr. debet intelligi, primò verum est vbi euanescunt abscessus sine signo, difficile esse vt Medicus iudicet: ratio est euidentissima, quia quæ euanescunt sine signo, fit vel quia materia dissoluatur, vel quia retrocedat. Vtrum factum sit, quia materia dissoluta est, aut quia retrocessit, difficile est iudicare sine signo. Ea propter iure dicit Hipp. huiusmodi abscessus citò disparentes difficilis esse iudicij. Potest etiam alio pacto intelligi, quia vbicunq; abscessus aliquis citò euanescit, rationi consentaneum est hoc esse, quia materia prius retrocedit in viscera nobiliora, quam soluatur, & propterea dixit esse difficilis iudicij. quin imò videte Galeo in loco loquens de huiusmodi abscessibus qui euanescunt, inquit: non solum hos abscessus disparentes malos esse, sed multò deteriores esse, quàm si nunquam natura hanc materiam propelleret: quia vbi natura nihil propellit, signum est materiam crudam esse, nondum naturam aggredi, non tamen signum est, materiam concoquere non posse. sed vbi incipit expellere, indicat non solum lædi a materia, sed imbecillam esse. Atq; hoc proportione quadam respondet stillæ sanguinis, quæ stilla est abscessus, & fit quia natura inchoat expulsionem, & non potest perficere, & propterea est signum exitialissimum: vt omnes perierint, quibuscunque stilla sanguinis accidit vnquam in morbis acutis, & qui relati sint ab Hipp. Sequitur Hipp. velut Polemar. ancillæ. 1. Prorr. tex. 2.

Non cõtentus hanc pclarã sententiã nobis reliquisse, voluit etiam ipsam magis cõfirmatã tradere exemplo. Id quod faciunt magni viri, quorũ auctoritas etsi maxima est, tamen rationibus & exemplis sua confirmant. Sed cum non habeamus hanc historiam, videndum quæ nam fuerit ea. secundo cur potius hanc proponat, quàm aliam; tertio cur potius sumpsit exemplum de erysipelate. audietis etiam in minimis maxima mysteria latere apud Hippoc. silicet in rebus dubijs atq; obscuris aliquid diuinare; putarem apud aliquem militiæ ducẽ (appellatũ Πολεμαρχον græce) habitasse. Et vt colligere quisq; vestrũ potest in Eu terpe ex Her. & Plin. solent victitare ancillæ, allio, cœpis, porro, & similib. atq; cũ hęc his vesceretur, factum est, vt magnam bilis copiam colligeret, vnde sibi erupit erysipellas. In qua parte autem, non possum colligere, sed etsi haberet erysipelas, attamen neglecta fuit, & non fuit curata. solent enim militiæ vacantes, plærunq; negligere suas seruas. Hinc factum est, vt intro recurreret, atq; ex hoc recursu bilis restagnans in viscera, & pręcipuè cerebrum, dolorem, delirium, & mortem sibi induxerit. Hanc puto historiam fuisse ipsius ancille Polemarchi. Sed cur potius hoc exemplum adduxit difficile est colligere, puto tamen ego hoc fecisse, quia casus erat nobilissimus propter domini nobilitatem, erat enim militiæ dux: vel quo tempore hæc conscribebat, hic euentus contigit: vnde cum referret euenrus in promptuarium, iure & hunc casum retulit: sed hæc scire nihil refert. Cur autem potius de erysipelate mentionem fecit? puto primum sub nomine erysipelaris intelligere voluisse omnes tumores: potius autem vsum esse nomine erysipelatis, quia est celerrimi motus, citissime apparet, & disparet, quia ergo dixerat superius ἀφανίζομενα propter voluit afferre exemplum, affectus, qui cito apparet, & cito occultatur instar lucis, memini etiam Hippoc. delectatum fuisse sub vno particulari & verissimo vniuersali præceptum complecti; & vsum hoc nomine hoc modo, vbi docet omnes externos tumores ad interna redeuntes malos esse. De erysipelate dixit, quia maxime conspicuum est hoc exemplum. Habuistis itaq; anatomen huius diuinissimæ sententiæ Hippoc. quæ vt confirmetur, opus esset plurimis exemplis id facere, præsertim quia apud Hippoc. infinita inuenietis exempla, in quib. abscessus statim finientes periculosissimi sunt, primum est in 3. Epid. 3. ægro 5. ibi enim scribit fuisse in Larissa caluum quendam, cui decubitus dolorosus factus est in genu, hic secundo die disparuit, sedatus est dolor, tertio die cœpit tentari comate, delirio, & tandem eadem die interijt: quem locum cum intetpretaretur Gal. præclaram methodum nobis reliquit de medicamentis localibus adhibendis locis dolentib. de qua etsi pridem egimus, tamen breuiter eam repetam; & est; quicunq; Medicus occurrit ægro dolenti aliqua parte, debet statim cogitare an factus sit a causa externa, an interna; si ab externa negligendus est, quia dicebat Hipp. quæcunq; a causa externa fiunt, 6 Aph. 25.

facile

facile soluuntur: si ab interna, & adsit plenitudo, prius hæc sanguinis missione vel purgatione adimenda est. ante non vtendum est calfacientibus, vel dolorem sedantibus. si non adsit plenitudo, iure licet vti medicamentis dolorem sedantibus: quæ si non iuuant, suspicandum est, ne aliqua plenitudo sit collecta. Vnde prospiciendum est, vt prius corpus aliqua ratione euacuetur, & dein illa adhibeantur. Ex hoc discursu colligere facile potestis, vt nunquam fidere debeat Medicus, vbi abscessus disparet sine signo. Occurretis sæpe ægris, qui vbi male tractantur in febribus a paroxismis, incipiunt syrupos, & varia medicamenta assumere: vbi morbus euanescit, sine signo, reuiuiscunt, & sæpe tamen redit, quod disparet sine signo, reuertitur, hoc est quod cito occultatur sine auxilio, vel artis, vel naturæ: habetis apud Hippoc. quotiescunq; abscessus interni finiuntur sine excretione, infidos esse: quare vos reuocare debetis abscessus, vel materiā, quæ intro cessit, euacuare.

Οἱ ἐπὶ βουβῶσι πυρετοὶ κακὸν πλὴν τῶν ἐφημέρων, καὶ οἱ ἐπὶ πυρετοῖσι βουβῶνες, κακίονες ἐν τοῖσιν ὀξέσι ἐξ ἀρχῆς παρακμάσαντες.

In bubonibus febres malæ sunt exceptis diarijs, & qui in febribus bubones priores in acutis initio decrescentes.

Hæc eadem sententia habetur apud Hippoc. sed parum diuersa. eo loco sententia simplicissima est, scilicet febres in bubonibus malas esse, exceptis diarijs. & hic habentur eadem verba, sed adiecta aliqua præterea sunt ab Hipp. scilicet febres in bubonibus deteriores esse, si sint acutæ, & bubones ab initio decrescunt. Sed quæ causa est cur Hippoc. cum transtulerit hæc in Aphor. dimiserit hanc partem, & non retulerit in Aphor. puto ego hac de causa factum esse hoc ab eo, quia hæc secunda pars non ita sibi erat vsu probata, vt prior; quia hæc clarissima est, illa obscuritates aliquas habet. illa quæ in Aph. est relata, clarissime est explicata a Gal. in commento eo enim loco tria nos docet æterna memoria digna, vnum est, in Hippoc. doctrina, nomine bubonum intelligi tumores cuiuslibet glandulæ, siue subtus aures sint, siue subtus alas, seu alio in loco; imò inuenio etiam apud Hippocratem tumores mammarum appellari bubones. Nomine ergo bubonum, intelligit omnes tumores glandularum. Aliud quod docet ibi Gal. est, huiusmodi tumores vel fieri a causa externa, vel ab interna: ab externa vt laboribus, æstu, ex ambulatione nimia: ab interna, quicunq; fiunt sine vlla externa causa. Tertium quod docet est bubones qui fiunt a causa externa, salutares esse, quia semper habent comites febres diarias. qui fiunt ab interna causa, omnes mali sunt; quia vbi fiunt a causa interna, semper fiunt vel propter alicuius visceris inflammationē, vel propter copiā prauorū humorū in corpore existentiū. si fiant propter visceris alicuius inflammationem febres malignæ sunt: hoc habetis apud Hipp. vbi scribit bubones ab inflammatione viscerum, esse malignos. idem dicit & alibi. si autem fiant sine inflammatione visceris alicuius, sed sola copia prauorum humorum, fiunt febres pestiferæ: itaq; semper mali sunt, quia ipsos comitantur semper febres malignæ vel pestiferæ. Secunda sententia paulo obscurior est, & hac de causa non retulit eam forsan in Aphorismis. primum enim non videtur Hippoc. quicquam egregij dicere, si quidem vbi bubones non diarijs, sed alijs febribus copulantur, illæ semper videntur acutæ, alioqui non essent ita malæ, cum character morborum acutorum est, vt celeriter moueantur, & sint acuti. Præterea cur dicit Hipp. malos esse bubones, qui initio euanescunt: cum dixit ante, omnes abscessus euanescentes malos esse? Sed puto ego his omnibus respondere posse; primò non esse ita compertum quod semper febres copulatæ bubonibus etiā non sint acutæ quod sint diariæ; præterea non dicit simpliciter acutas febres, cum bubonibus esse malas, sed cum bubonibus initio disparentibus. Ad illud verò quod dicebatur, cum antea dixisse abscessus omnes euanescentes malos esse; verissimum id est: sed quod iam dixit, diuersum est ab eo. docuit enim quæ sine signo disparent δύσκριτα esse: & quia statim posset aliquis suspicari, ergo quæ non statim euanescunt, sunt bona, addidit hanc senten-

sententiam docens, non solum abscessus statim disparentes esse malos, sed etiam eos qui initio statim,& paulatim euanescunt:quia si malum est, naturam in progressu morbi incipere euacuationem & non finire. multo sane deterius est in initijs morborum hoc facere naturam: quia signum est, in progressu morbi naturam esse vi eius prostraram; in initio, infirmam etiam sine pugna morbi: & propterea pessimum est, quia periculum est, ne progrediente morbo natura succumbat, & pereat æger.

Τὰ πνεύματα ὑποχονδρίοισιν ἔπαρσις μαλθακὴ, καὶ ἔντασιν οὐδετέρη,

Flatus in hypochondrijs eleuatio mollis, & intentio neutra.

Sententia Hippoc. hæc est, vbi in hypochondrijs reperitur eleuatio mollis, eam fieri a flatu: vbi autem intensio in hypochondrijs est, neutram eleuationem fieri. hoc est neque molle, neq; durum. Continuatio huius sententiæ cum superioribus aliqua quidem haberi potest, quod supra tractauit de tumoribus glandularum, iam agit de tumoribus hypochondriorum. & Hippoc. instituit hanc tractationem, quam etiam habuit diligentissimè primo Progn. quod in medicina tanti refert intelligere statum hypochondriorum, vt fere nihili magis in ea scitu dignum sit: quia scribit: Hippoc. loco citato: optimum esse habere hypochondria recte disposita. non iniuria ergo Hippocr. agit de hypochondrijs hoc loco vt primo Progn. Vt propter hoc debeatis etiam huic cognitioni operam dare. Habet hęc sententia duas partes; prima est, eleuationem hypochondriorum, flatum significare: altera est, nullam eleuationem existentem significare intentionem hypochondriorum. Esse tumida & intenta hypochondria semper malum, vt habetur apud Hippoc. Et vt mysteria Hipp. quisq; capere possit, singula de more nostro examinabimus; primum, quid pro hipochondrijs intelligat; deinde, quid pro molli el[illegible]atione. Hypochondria apud Erot. in voce κοιλίας est regio ab osse mucronato ad ilia. tota hæc regio ab Aristotele κοιλία appellatur. Hippoc. hypochondria vocat. quia sub membrana illa mucronata est. Habet autem hypochondrium duas partes superiorem, & infernam. Et nomine hypochondrij non solum intelligitur pars externa quæ oculis nostris obijcitur, sed quicquid continetur in hac capacitate, continetur autem (vt habemus apud Aristot.) tertio de partibus animalium capite septimo, iecur & lien, hoc est instrumenta coctioni deseruientia ciborum, vt inquit Arist. Non defuerunt qui existimarunt præcordia latinorum, & hypochondria eadem esse, sed lõge falluntur, quia præcordiorũ vocabulo propriè appellatur diaphragma, non hypochondrium, quasi ante cor. Porrò quis sit tumor mollis hypochondriorum declarat Hippocrates vbi scribit: tumorem mollem hypochondriorum eum esse, qui cedit tactui, atq. sine dolore est. Est itaq; huius partis integra sententia hæc, vbi in hiypochondrijs tumor est mollis, semper indicare etiam flatus ibi esse. Sed dubitatio hoc loco oritur, qua ratione mollites tumoris indicare potest flatus, quia si res ipsas expendamus facile apparet & in vtribus, & in omnibus corporibus repletis flatibus, nullam omnino mollitem reperirl, tum morbus quo appellatur tympanites, est quoticscunque totum abdomen durum est instar tympani; sed in tympanitide flatus est, ergo non est perpetuum mollitiem ventris indicarc flatum, quia etiam indicatur a duritie, vt in tympanitide. Respondeo, flatus in hypochondrijs, dupliciter collocari: in magna cauitate ita vt distendat, atq; in partibus musculosis, vbi flatus in cauitate & aliquo corpore neruoso fiunt, distendendo duritiem faciunt. Sed si in partibus musculosis, ita vt non retineantur in partes neruosas, mollitiem faciunt. Atque hæc forsan ratio est, qua Gal tractans de causis efficientibus durltiei, enumerat siccittatem, congelationem, & repletionem: & repletionem humorum, non flatum: quasi perpetuum sit a repletione humorum fieri duritiem, a flatibus nequaquam. Propterea dicit Hippocrates summo iure: eleuatio mellis hypochondriorum significat flatus. Sequitur alia pars et est, intentionem hypochondriorũ

1. Progn. *5. de sim. med fac. cap. 5.*

Z signifi-

significari a nullo tumore, hoc est a nulla eleuatione, vult nos docere his verbis, magnam differentiam esse inter hypochondria tumida, & tensa; tumida fiunt semper cum eleuatione partis, tensa nunquam; neque cum dura, neq; cum molli. propterea prudenter dicit, intensionem hypochondriorum significari à nullo, hoc est neq; a tumore duro, neque molli. Sed vnde fit tensio hæc, si non est tumor? tensio semper duritiem cōmitatur; vbi hypochondria sunt tensa, non cedunt tactui, dura sunt; iam durities (vt ait Galenus) potissimum fit tribus de causis, a repletione, qua vasa hypochondriorum ita replentur vt nullo pacto cedant: fit etiam durities quando exiccata, vt in pthisicis, gracilibus, in quibus propter siccitatem hypochondria semper sunt tensa. tertio a congelatione: congelatio enim est effectus frigiditatis: vnde corpora, quæ admodum refrigerata sunt, solent habere hypochondria tensa. Itaq; verè quomodocunq; fiat tensio, semper est sine tumore, & ratio ea est, quia cum partes hypochondriorum sunt tensæ, replætæ, vel exiccatæ, vel congelatæ, potius subsident, quam vt vllo pacto attollantur. Sed quid ex hac oratione Hippocratis discimus? vt semper in quibusuis morbis diligentissime hypochondria contrectentur, vt videatur nunquid sint tumida, an tensa, si autem tumida fuerint, & tumor mollis sit, si a flatu fiat, docetur Medicus calefacientibus, exiccantibus, flatum discutientibus vti debere, externis æque atq; internis. Vbi autem hypochondria tensa sunt, agendum est ijs quæ tensionem tollant, vt sunt ea quæ calefaciunt, & humectant, vt Galenus loco citato docet.

5. sim. med. fac. cap. 5.

Ἐπ' αὐτῶν ἄνω στρογγύλον, ἐν τοῖσι δεξιοῖσι οἷον περιφέρεια, ἀποπυητικά.

In ipsis sursum rotundum, in dextris velut circumferentia, suppuratorium.

Pergit Hipp. de tumoribus hypochondriorum verba facere, & quia superiori oratione docuit, quomodo cognoscantur tumores ex tactu, nunc docet, quomodo ex tactu, & visu cognoscamus. Dicit itaq; rotundos tumores in superiori parte hypochondriorum; & tumores instar circumferentiarum in parte dextra ipsorum, esse suppuratorios. Circa quā dictionem operæpretium est tria breuiter inuestigemus, primum quid Hippoc. intelligat pro tumoribus rotundis superiorum hypochondriorum; secundo quid intelligat pro tumoribus qui sunt velut circunferentiæ: tertio quid significat hæc vox ἀποπυητικά suppuratorium. Iam audiuistis quid sit apud Hippocr. hypochondrium, & quomodo habet partem superiorem & inferiorem: superior est illa regio quæ est super vmbilicum: inferior autem ea est, quæ est subtus. Rotundi autem tumores sunt illi, qui cum fiunt supra vmbilicum habent formam & figuram referentem splenem. Sed vnde hæc rotunditas oritur? huiusmodi tumores oriuntur a calido, & a materia crassa: vbi calidum agit in humorem crassum, suapte natura calor se attollit, humores delatat; ex dilatatione caloris, & eleuatione fit rotunditas, & propterea videbitis frequentissime huiusmodi tumores esse rotundos. Rem ita se habere, potestis intelligere ex Gal. vbi cum scribit, sputa rotunda portendere delirium; dicit illud fieri, quod calor pulmonis agit in pituitam crassam, dilatando & attollendo, vt dixi. Hæc igitur est ratio propter quam efficiuntur tumores rotundi in parte superiori ipsorum hypochondriorum. Quid autem sit circumferentia in parte dextra, certe ignotum omnino & obscurum videtur: sed quantum ego puto, nihil aliud vult significare quam tumorem inflammatorium in regione iecinoris: qui etsi sit eleuatio, tamē non ita eleuatur vt faciat merè formam rotundam, sed teretem & orbiculatem, vt dicunt latini. Porro vox ἀποπυητικά apud Hippocratem plura denotat, interdum illud quod facit suppurationem: interdum id quod significat suppurationem futuram, tum illud quod est aptum suscipere suppurationem. Hoc autem loco significat illud, quod significat putrescentiam futuram, tum illud quod est aptum suscipere suppurationem, quasi

6. Epid. com. 3 tex. 36.

quasi sententia Hippoc. integra esset hæc, quòd tumores rotundi qui fiunt in parte superiori hypochondriorum, & tumores instar orbis facti in parte dextra, omnes sint apti & natura suscipere suppurationem; hoc est quod suppurantur. sed quæ est ratio, cur huiusmodi tumores apti sunt suscipere suppurationem? explicauit etiam hanc rem Gal. ex quo loco habetis propter duas causas potissimum huiusmodi tumores suppurari. Vna est, natura ipsius humoris: cum enim humores qui faciunt hos tumores sunt crassi & calidi; crassi, & calidi non possunt dissipari facile, & propterea in pus vertuntur. Altera causa est partis ipsius natura: locus enim superior hypochondriorum cum deberet esse officina alimenti, in quo scilicet & continetur & iecur & lien, opus fuit etiam vt esset sua natura calidus: vnde cum locus hic suapte natura calidus sit, & humores crassi, iure fit, vt huiusmodi locus sit aptus ad suppurationem: secus est de tumoribus infra vmbilicum, qui (vt dicit Hipp.) difficile ad suppurationem veniunt, quod locus ille semper frigidus est: ratione frigiditatis fieri nequaquam potest, vt etiamsi humores sint calidi, ad suppurationem veniant. Quare summo iure dicit tumores hypochondrij superioris esse suppuratorios. His itaque signis cognoscere potestis, vbi tumor suppurationem possit suscipere, sed dicet quis, quo pacto cognoscere possumus quādo iam isti humores sunt suppurati? hoc docuit nos Hippoc. & Arist. Hippoc. enim dixit, vt intelligatur an tuberculum aliquod sit suppuratum, necne, argumentum efficacissimum esse si argilla supra ipsum tumorem ponatur, quia vbi materia suppurata est, calidior euadit, caliditate exiccat argillam. sin autem materia cruda sit, frigida est, & ita minimè eam desiccat; eapropter habuit pro euidentissimo signo suppurationis appositionem argillæ super tumorem. Aristoteles verò alium modum docuit, & est, vt tubercula madefacant aqua tepente, quia si ex hac madefacentia color mutatur, signum est iam suppuratum esse locum, sin minimè, non esse suppuratum. Sed quod documentum pro medicina facienda ex hac oratione Hippocratis colligere possumus? hoc sanè, quod maximè referat, vbi fiunt huiusmodi tubercula, in dextra parte hypochondriorum aut parte superiori, intelligere an apta sint ad suppurationem suscipiendam. aliqui enim adhibent illis remedia, quæ suppurationem non suscipiunt, magno ægrorum incommodo cum vel discutientia, vel emollientia conueniunt, pro natura morbi.

1. Progn. 37.

lib. de morbis.

Sec. 1. Prob. 31.

ἄλλο μακρότερον ἐπὶ πλέον, ἄλλο κεκυμένον, ἄλλο κάτω ῥέπον, καὶ ἔνθεν, καὶ ἔνθεν ξύντασις μέχρι τοῦ ὀμφαλοῦ, ἐν πάσῃ τῇ ἄνω ἴξει, ἢν ἐπανάληται, καὶ ἐπίληπται ἐς τὸ περιφερὲς· ἢν μὲν πνεῦμα ᾖ, ἀκρίτως λεπτύνεται θέρμῃ, ἢν δὲ τοῦτο διαφύγῃ, ἐς ἐμπύησιν ὁρμᾷ.

Aliud longius magis, aliud diffusum, aliud deorsum repens & hinc inde contentio vsq; ad vmbilicum. In omni sursum rectitudine si reuocetur & abeat in rotundum, si quidem spiritus sine iudicatione, extenuatur calore: si autem hoc effugiat, in suppurationem tendit.

Vt audiuistis Hippoc. in superioribus docuerat, quomodo ex figura tumorum sit cognoscenda natura, & præsertim in partibus hypochondriorum superioribus, nunc docebit, quomodo ex eadem figura, cognoscamus tumoris inferioris euentus; & sicut dicebat, rotundos tumores & orbiculares esse suppuratorios, sic nunc docet eos qui obliquas figuras habent siue vergant supra vel infra, seu in latus, hos inquam omnes, minimè suppuratorios esse: quia locus infra vmbilicum est frigidus: & quia huiusmodi tumores fiunt a frigidis humoribus, hæc est sententia huius dictionis admodum obscuræ, & quia etiam supra vmbilicum materia modo humorosa est, modò flatuosa, ac propterea non semper in suppurationem vertitur, inquit Hippocrates cognosci flatuosam materiam, quia absque iudicatione soluitur calore. quod si non adsit flatus, materia in suppurationem tendit. Sed dicet aliquis hanc doctrinam non esse admodum artificiosam.

quoniam quilibet iudicare poteſt, vbi tumores ſponte abolentur flatuoſos eſſe. Adhæc cognoſcere rem ab euentu, eſt cognitio a poſteriori, nec digna Medico graui, quippe qui cum actiones ſuas dirigat ad ſanitatem, pro ea tuenda operæpretium eſt cognoſcere affectus priuſquam ſoluantur, vt ijs occurrens ſanitatem recuperet. Dicendum eſt, imò eſſe maximè artificioſam, propterea quod ſæpe etiam dum ſoluuntur morbi, vtilem cognitionem exhibent ad hoc vt cognoſcatur an ſit ſolutio mali vera, an potius retroceſſio, quam
1. Progn. Hippoc. dicit facere difficilem & periculoſam curationem. Neq; negat Hippoc. cognitionem antecedentem ſolutionem, eſſe vtilem ac bonam, ſed mõſtrat etiam quę fit poſt, eſſe interdum ad multa vtilem.

Πυκνὰ πνεύματα, σμικρὰ, μεγάλα, ἀραιὰ ἔξεισιν ἔξω μέγα, ἔσω σμικρὸν, τὸ μὲν ἐκτεῖνον, τὸ δὲ κατεῖγον, διπλῆ ἔσω ἐπανάκλησις, οἷον ἐπεισπνέουσιν ἐν θερμῷ ψυχρόν.

Denſi ſpiritus, parui, magni, rari, parui rari: exit extra magnus, intro paruus, hic quidem tardans, ille feſtinans, duplex intro reuocatio, velut ſuper inſpirantibus calidus, frigidus.

Perſpectiſſimum eſt omnibus hanc dictionem nullam habere connexionem cum ſuperioribus, & eſſe puram quandam theoriam de reſpitatione. nam veteres omnes & præſertim Hipp. maximè vtebantur reſpiratione in cognoſcendis morbis, ex cuius obſeruatione plura prædicebant, quàm nos ex pulſibus, ea propter non eſt mirum ſi Hipp. frequentiſſime in omnibus ſuis commentarijs de reſpiratione mentionem facit. quam reſpirationem appellare conſueuit πνεῦμα, ſiue ſpiritum, vt quotieſcunq; audietis nominatũ ſpiritũ, ſemper intelligere debetis reſpirationem. Sed cum frequentiſſimè reſpirationis meminerit, operæpretium me facturum arbitror ſi diligentiſſimè examinem, an Veteres cognouerint pulſus, & vtrum magis ſtudere debeamus reſpirationi, quam pulſui. Gal. clariſſimis verbis dixit Hipp. aut ignoraſſe pulſum, aut omninò contempſiſſe, poſt Gal. Theoph. ſcripſit: Hipp. alioqui ſapientiſſimum virum, pulſuum naturas, & vtilitates ignoraſſe. his addere poſſumus, ſi Hipp. cognouiſſet naturam & vtilitatem pulſuum, aut iniquum quod nobis non reliquerit eam artem; aut nimis negligentem fuiſſe. Ex alia parte ſunt argumenta & auctoritates plurimorum virorum. primum enim Hipp. ſcribit: pulſus maximè neceſſarios eſſe ipſis Medicis. Idem libro de alimento (qui etiam genuinus eſt) ſcribit: pulſuum cognitionem magnopere conducere ad cognoſcendos ægrorum morbos. habuit eandem ſententiam, & ſeptimo, & quarto Epidem. Sed quia hi libri ſpurij ſunt, non volo quidquam ex his pro hac parte in medium afferre. Idem ſcribit: ex pulſibus poſſe nos etiam cognoſcere errores ægrorum. libro primo de morbis mulieb. inquit: pulſus manuum celeres debiles & deficientes, lethales. Adeo vt ex his colligere licet, non ignoraſſe illum vim, & naturam pulſuum. Sed de alijs ex veteribus res apud me ſemper incerta fuit, quia vt a Platone incipiamus, quo cõplexus eſt atterias & neruos, quędam certe habet ad pulſus pertinentia, ſed quod vim eorum cognouerit non videre poſſum. Poſt eum Ariſtot. quinquies σφυγμοῦ mentionem facit. Sed quantum ego obſeruaui, aut non intellexit pulſum de quo loquimur, aut voluit pulſum a vaporibus duntaxat fieri. Adeo vt etiam ille aut nullam aut exiguam pulſus cognitionem habuerit. Sed apud veteres alius fuit, qui videtur habuiſſe pulſus cognitionem. Eraſiſt. (vt ſcribit Gal.) non ſolum eius cognitionem habuit, ſed ex pulſu cognouit filium Seleuci regis amare Nouercam, ſed Herophilus (qui vt Tertull. ait ſeptuaginta cadauera ſecuit vt hominem cognoſceret) præclaros libros de pulſibus ſcripſit: in quibus tanta eſt vſus diligentia, vt Plin. ſcribit: hunc fuiſſe deſertum a ſuis diſcipulis, ob artis breuitatem & obſcuritatem. Quid igitur ſtatuendum eſt? primum ſane illud, quod non ſolum paſſim docuit Gal. ſed diſputatum eſt ab eo alijſq; Veteres omnes nomine pulſus venarum, intellixiſſe non ſolum venas, ſed etiam arterias: vt quotieſcunq; videatis venas pulſantes, de arterijs ſit intelligendum. Aliud eſt, quia

3. de criſi cap. 11.
li. de pulſib. et vrinis.
lib. de humoribus.
2. Prorrhet.
lib. de ſpiritu cap. 3.
1. de iu. & ſen cap. 15.
lib de Precog. ad Poſth.
lib. de anima.
lib. 11. c. 37.

quia Gal. inquit apud Hippoc. nomine pulsus venarum intelligi duntaxat vehementem, & conspicabilem motum: vt licet Hippoc. sæpe mentionem fecerit pulsus, non tamen eo pacto vt posteriores Medici loquuntur, sed duntaxat pulsus vehementis motus venarum. Itaq; si rem diligenter expendamus, fui semper huius sententiæ: Hippoc. & veteres, non ita excoluisse disciplinam pulsuum, neq; tantam fidem adhibuisse vt posteriores: quia tãetsi Herophilus fuit inter veteres, tamen si tempora Aristot. & Hippoc. expendamus, debet potius inter posteriores numerari Heroph. sed cum hoc constet veteres, & præsertim Hipp. respirationi tantum tribuisse, posteriores autem pulsui magis quàm respirationi, an melius erit respirationi studere, quàm pulsui? si rei naturam expendamus, neq; respiratio, neq; pulsus sunt proprie obiecta sensuum nostrorum, quia cum tam in respiratione, quàm in pulsu motus attendatur, motus est obiectum commune, non particulare; & hinc fit, vt potius discursu quàm sensibus disciplina vtriusq; comparetur. dico potius. quia etiam iudicantur sensu visus & tactus, sed per accidens, non tanquam obiecta particularia & propria, sed commmunia. Cum ergo vtrunq; tractatur discursu, mediante sensu visus & tactus, vnde maior certitudo? si naturam rei expendamus, certe ex respiratione, status cordis, & consequenter totius corporis potest magis deprehendi: quia per respirationẽ calor natiuus multo magis demonstrat motus suos, quàm per pulsus. Sunt autẽ motus eius duo; alter intro ad attrahendum alimentum; alter ad expellenda excrementa: huiusmodi motus magis apparet in respiratione, quàm in pulsu, sed quia maior pars morborum sunt febres, aut cum febrib. & febres sedem habent in venis & arterijs, hinc fit, vt ad significandas febres melius pulsus, quàm respiratio nobis inseruiat: quia si experientiam videamus, sæpe fit vt ægri spirent facile, & tamen si pulsus contractentur non solum deprehenduntur morbi, sed vicina mors; accedit etiam illud, multos facilius pulsus disciplinam acquirere, quàm respirationis, & quod manibus motus arteriarum exploramus. Et hoc est quod dicebat Plin. loco citato; ex obseruatione crebri & languidi ictus venarum gubernacula vitæ temperari. sed si verum est pulsus multo magis nos docere ægritudines quam respirationis obseruatio, cur Hippoc. aut neglexit hanc artem, aut ignorauit? hac in re duo soleo dicere: hunc virum admirabili suo ingenio, & iudicio ita peritum fuisse, vt multo magis ex respiratione morbos, & eorum naturam cognosceret quam nos ex pulsu. aliud est Hipp. forsan contẽpsisse attem pulsuum, quia sibi multo facilius erat ex respiratione cognoscre morborum naturas, quam ex pulsu. Sed vtcunq; sit, puto ego eos sapienter facere, qui non negligentes pulsus, etiam respirationem diligenter obseruant, Id quod in presenti dictione docere vult Hippoc. in qua multas differentias nobis proponit, quas vt breuiter & sigillatim exponamus, inchoabimus ab hac quę fit ex magno, paruo, denso, & raro: quæ si simul iungentur quatuor differentias faciunt, aut enim magna & frequens est, aut magna & rara; similiter respiratio, aut parua & rara, aut rara & frequens. Respiratio magna & densa, non ꝓponitur hic, sed 6. Ep. com. 2. hæc autẽ indicat incendiũ ingens circa cor: Respiratio, magna & rara, inditium est mentis delirantis, quum enim ægri obliuiscuntur respirare, respirant quidem, sed raro, & tum magnitudine supplent. Magna & frequens semper inditium est apud Gal. doloris. Parua & rara, caloris deficientis. Adeo vt non sine ratione voluerit nos docere has differentias. Pręter quas etiam aliæ sunt ex motibus varijs, perspectissimum enim est, fieri ex duobus motibus, inspirationis & expirationis. Inspiratio fit propter attractionem frigidioris aeris in cor; expiratio autem fit propter expulsionem fuliginum. Vbi hi motus sibi inuicem respondent, oritur proportio appellata ῥυθμὸς, si autem æqualitas hæc sit perfecta, fit ῥυθμὸς bonus: si autem inspiratio minor sit, aut expiratio, fit malus, quæ mala proportio adhuc duplex est; aut ordinata, aut inordinata, vt nullum ordinem seruet, neque expiratio neque inspiratio. In hac inquit Hippoc. sæpe fieri vt expiratio replicetur, priusquam fiat inspiratio, aut è conuerso, hic modus respirationis solet apparere in pueris plorantibus, & singultientibus, & appellatur spiritus offendens, vt quarto Aphor. sexagesimo octauo, vbi scribit: spiritum offendentẽ semper indicare conuulsionem; præter has differentias sunt due aliæ ab Hippoc. propo-

li. quod animi mores corp.
1. Progn t. 29
4. de rat. vic. in mor. ac. tex. 26.

sitæ

fitæ quæ minime pulsibus sunt communes, illę enim, de quibus nunc diximus, communes certè sunt pulsibus, quia & ipsi magni densi, parui & rari sunt, inordinati inæquales, intercidentes; sed quod aliqui frigidi & calidi sunt, pulsus vt respiratio non reperitur. Itaq; postremo proponit, vt videatur an respiratio sit frigida, an calida: quia si calida moderata, semper bona est: si immoderata semper mala, pariter si frigida est, semper mala est, quod necessariò indicat cor refrigeratum esse: dicebat autem Galen. vbi cor frigidum est, semper ineuitabilem mortem sequi. Vt audiuistis Hippoc. proponebat nobis differentias respirationis, quas Medicus debet obseruare in medicina facienda. Circa quas tres occurrunt non inutiles dubitationes: prima est, cur adeo paucas nobis proposuit differentias, cum multæ aliæ sint non parum vtiles, ipsæ enim sæpe solet spiritum elatum & sublimem nominare, sonorum. Galen. quoque mentionem facit respirationis fœtidæ, cuius modi fit in febribus pestiferis: harum autem, & multarum aliarum, nullam facit Hippoc. mentionem: quare videtur esse mancus. Altera dubitatio est, vtrum verum fit respirationem frigidam fieri frigido corde, quia in febribus fieri non potest vt sit frigidum cor, quia (vt dicit Galen. sæpe) & præsertim Auicennas febris est accensio caloris circa cor: cæterum in diarijs, & putridis manifestissime Gal. dicit fieri interdum cor frigidum. Tertia dubitatio & postrema est, an verum sit quod dicit Hippoc. fieri interdum respirationem magnam & frequentem, nam si rei naturam expendamus, non videtur reperiri hæc differentia, quia frequentia oritur ab excessu caloris, magnitudo autem a facultate robusta, nam fieri non potest, vt sint facultates robustæ, & summum incendium circa cor; quia dicebat Hippoc. sæpe, sed præsertim Gal. facultates omnes collocatas esse in temperie, vbi ergo intemperies magna est, non videtur esse posse facultas robusta, & neq; ita simul esse, & respiratio magna & frequens. Quod attinet ad primum dubium, quod non proposuerit omnes differentias, iure factum est, quia cum Hippocr. sibi proposuisset breuitatem & claritatem, debuit ea duntaxat proponere, quæ ab omnibus non cognoscuntur. Iam spiritus magnus ab omnibus cognoscitur; spiritum fœtidum quis non cognoscit? & respirationem sonoram omnes cognoscunt. Itaq; non pertinebat ad dignitatem tanti viri differentias vulgatissimas nobis proponere. Quod ad secũdum dubiũ attinet. Cor a Medicis dupliciter accipi solet, vel ꝓ toto illo aggregato, ex humorib. corpore cordis, & capsula. Si primo modo accipiamus, fieri potest vt corpus cordis refrigeretur, plusquam eius naturæ conueniat, vt dicit Gal. si accipiamus pro vniuerso illo aggregato, nequaquam fieri potest, hoc habet Gal. vbi scribit eos qui habent cor ita refrigeratum, esse totos frigidos in vita, & hos exitialissimis animi deliquijs tentari, & dicebat his contrarium euenire, illis qui pereunt cõuulsione, quia hi post mortem calidi manent, illi dum viuunt etiam toti frigent. Itaq; iam satis constare arbitror, quomodo cor frigidum fit, pro puro corpore eius acceptum. Ad tertium respondendum est illud, quod Gal. vbi inquit: intemperiẽ quamlibet siue calidam, siue frigidam duplicẽ esse, aliam in habitu, aliam in habitudine: intemperies in habitu ea est, quæ occupat facultatem: κατὰ σχέσιν, facultatem nõ corrũpit, necessario, & præsertim vitalem, & propterea vbi est κατὰ σχέσιν & non confirmata, potest fieri respiratio magna & frequens. incendio non confirmato: sed non in intemperie in habitu, vt hecticis: propter facultatis debilitatem.

2. de præsag. ex puls. cap. 4.

3. de præsag. ex puls. cap. 3.

1. 4. in principio.

3. de præsag. ex puls. cap. 5

lib. de facul. naturalibus.

2. de præsag. ex puls. cap. 4.

8 meth & lo co mox citato.

Γυτήρεον συνεχέων μασμέων χακρόπνοι. Τοῖσιν ἀπότοισι καὶ μόγις, μικρόπνοι.

Medicatorium continuarum oscitationum longa spiratio, non potantibus & vix parua spiratio.

6. Epid. com. 8. tex. 10.

Hæc eadem sententia habetur apud Hipp. quam cum interpretaretur Gal. nihil aliud dixit, quam sese abunde explicuisse in commentarijs ad hunc locum, quæ, quia desiderantur, operæpretium est vt nos experiamur hanc explicare vt fecerat Gal. Atq; vt primum hinc incipiamus, certe aliqua connexio potest demonstrari huius dictionis cum præcedentibus

tibus, quia ante propofuit differentias respirationis, quas Medicus debet animaduertere, in præsenti vult docere, non modò vtilem esse respirationis contemplationem procognoscendis morbis, sed quia habet interdum etiam rationem remedij. Inquit ergò continuarum, seu frequentium oscitationum remedium esse longam respirationem, & ijs qui potare nequeunt, aut vix, remedium esse breuem & paruam respirationem. Hic est purus sensus verborum Hippoc. quæ alioqui propter breuitatem videntur obscura. Et vt præclaram hanc sententiam intelligatis, diuidam eam in duas partes, prima est, longam respirationem esse remedium frequentium oscitationum, secunda pars, breuem & paruam respirationem esse remedium eorum qui expiratione potare non possunt, aut vix. Examinemus primam partem. Alias docuimus ex Gal. sententia oscitationem nihil aliud esse, quàm expulsionem crassorum vaporum in musculis contentorum factam ore, & labijs. Huiusmodi expulsio duplex est, vt etiam alias dixi, alia est naturalis, alia præternaturalis & morbosa: naturalis simpliciter appellatur oscitatio; morbosa appellatur oscedo a latinis. de oscitatione naturali loquebatur Aristot. vbi scribit: homines, vbi vident aliquem oscitantem, etiam ipsos oscitare; eo quod memoria rei mouet ad oscitationem. Sed (vt liberè dicam) optassem, vt Aristot. multo facilius huius rei causam explicuisset, cur memoria excitet illius rei, ad idem agendum. Sed de his nos suo loco alias. oscitatio autem morbosa, dicitur morbosa, quod non solum turpitudinem affert, sed lædit, sed dicet quis, quam læsionem afferre potest morbosa oscitatio? multas potest facere læsiones, sed præcipuè duas, vna est, quod interdum contingat ob frequentes oscitationes ita hiare buccas, vt musculi maxillarum luxentur; & ego sæpe hoc factum vidi, propterea Aristot. scribit: maximam perniciem accedere mulieribus, si quando pariunt frequenter oscitant. Atq; hoc est compertissimum nihil esse æque illis perniciosum, quàm frequens oscitatio. Igitur videre potestis non sine ratione addidisse nobis remedium oscitationis. Cum igitur hic dicat Hippoc. frequentium oscitationum remedium esse longam respirationem, videamus quid sit longa respiratio, & quo pacto curat. Vt audiuistis totum opus respirationis efficitur inspiratione aeris externi frigidi intro, & expiratione fuliginum a corde, inspiratio non potest fieri longa, quia nemo potest intro diu spiritum trahere, expirare potest quisquam diu. Itaq; cum non possumus inspirare diu, non potest intelligi de longa inspiratione. Reliquum est ergo vt de expiratione hoc loco loquatur Hippoc. Sed quomodo longa expiratio curat oscitationes frequentes? quia si oscitatio est emissio vaporũ crassorum qui continetur in musculis, quo magis exspiramus, & magis vapores expelluntur. & his expulsis adimitur pabulum causa oscitationis. Hippoc. scribit: vinum pari portione aquæ commixtum oscitationes curare. Sed circa hanc Hippoc. sententiam dubitatio non exigua oritur, quomodo fieri potest vt vinum aqua temperatum oscitationes curet: primum enim si vinum oscitationes curat, magis debet hoc agere purum, quam temperatũ, & quia Arist. inquit: vinum purum non modò concoquere alia, sed etiam semetipsum. si hoc facit, debebat potius in curandis oscitationibus laudare vinum purum, quàm temperatum aqua. præterea facit aliam difficultatem hæc Hippocr. sententia, quia temperare ita vt æqualis sit portio, est impossibile, quia innumera genera vinorum reperiuntur, magna, parua. Sciendum est, apud veteres diuersas fuisse vini temperaturas, cum aqua, vt Athen. monet, & nos, in nostris varijs lectionibus: veruntamen hæc mistio æqua le æquali, semper habita fuit pro ratione naturæ vini, bibentium, & temporis. Appellata est a Gal. vinum meracius ἀκρατέστερον, quo vocabulo etiam vsus est Aristot. quia apud veteres erant vina generosa, imò narrat Plin. Maroneũ vinum vicies tanto aquæ addito, ob eius vim, miscendum esse. Ergo vinum meracum, quod fit ex æquali portione aquæ cum vino, iure commendauit Hippoc. Sed quare laudauit hanc mistionem? Gal. hoc tradit dicens: quod vinum vapores consumit, beneficio autem aquæ fit vt reliqui humores attemperentur. sed pace illius dixerim, puto meliori consilio vsum & iudicio, scilicet nõ solum opus esse calefacere & discutere vapores, sed opus esse vehiculo, quod perducat calorem vini in musculos. Iam verò vinum ita permixtum, non solum calefacit, sed magis

perdu-

Margin notes: lib. 3. de diff. resp. cap. 10. — 7. sec. prob. 24 — 1. de gen. animal. cap. 10. — 7. Aph. 58. — 3. sec. prob. 2.

perducitur in corpus, quam purum. Arist. 3. sec. prob. 3. quærens rationem cur dilutum magis inebriat quam purum: dicit quod vinum dilutum magis penetrat: vinum purum sua crassitie diu moratur in ventriculo, & dilutum ratione tenuitatis magis penetrat. tum est δυσεξαγωγότερος, quàm rem male intellexit Gaza, quia nō vult aliud dicere, quam maculas quæ fiunt a vino diluto difficilius elui, quia dilutum magis penetrat, & consequenter illius maculæ difficilius eluuntur, quàm quæ a vino puro fiunt. Sequitur secunda pars dictionis propositæ, non minus difficilis quàm alia in qua dicit, ijs qui non potant, & vix breuis respiratio, quæ sententia vt scribit Gal. propter sui obscuritatem variè explanata fuit ab interpretibus, & causa varietatis & dissensionis interpretum fuit, vt intelligeretur, quid Hippocr. pro potantibus, & vix potantibus significaret. Aliqui dixerunt significare phreneticos, quia idem Hippoc. βραχυπότας hos appellat, quam dictionē etiam Cœl. Aurelianus vbi tractat de ὑδροφοβία, applicandam censuit morsui canis rabidi: quasi intelligat etiam hoc loco morsos a cane rabido. Quomodo autem applicanda sit hæc sententia phreneticis, dicebant illi, quia hi etsi siti torquentur, tamen propter mentis errorem potum non requirunt, & quia adhuc obscurum erat quo pacto pauca respiratio iuuat phreneticos, dicebant illi hanc causam, quia magna respiratio est mala, ergo parua est bona, præterea respirario parua efficitur eo tempore quando morbus soluitur. Sed hæc interpretatio iure refutata fuit a Gal. siquidem Hippoc. eo in loco vult paruam respirationem esse remedium non potantium, quomodo longa oscitationis, sed est verum remedium oscitationis respiratio longa, non est ergo ad anologicas respirationes recurrendum. Aliqui dixerunt de illis intelligi, qui ob anhelandi difficultatem non possunt bibere: quasi in his sit remedium parua respiratio, & vt hoc intelligatur scire oportet, alia potare lambendo, alia sorbendo, alia deuorando, quemadmodum habemus apud Arist. sed quomodocunque fit, illud habent commune omnia animalia, quod potant inspirando. Itaq; vbi impeditur inspiratio necessario impeditur potus. Propterea dicebant intelligi de illis, qui propter anhelandi difficultatem non possent bibere. Et hoc fit ab humoribus crassis, vel vaporibus impedientibus inspirationem. fuit quidem hæc sententia aliqua ratione vera, sed non potuit Hippocr. hos solos intelligere, siquidem parua respiratio minime potens est extrudere hæc omnia impedimenta instrumentorum spiritualium. Quare alia via incunda est nobis, vt interpretemur hanc Hippoc. orationem. Et vt hanc optimè intelligatis, scire oportet Hippoc. nihil aliud voluisse dicere, quam sicut longa expiratio est remedium oscitationis, ita breuis & pauca remedium est eorum qui potare non possunt, aut vix. Sed quia clara hæc sententia satis est, videamus, quomodo sit accommodanda verbis Hipp. hoc facile contingct nobis, si prius explanabimus qui dicuntur ἄποτοι, & quæ sit apud Hippoc. curta respiratio, ad differentiam longarum. Potus fit quidem ratione attractionis aeris (vt dicebam) sed etiam beneficio attractionis œsophagi: vnde si quando hæc attractio impediatur, fit vt non possit potatio fieri, aut parum: vnde impedimentum est, laxitas œsophagi, & copia humorum viscidorum in œsophago: & puto aliquos vestrum, qui medicinæ faciendæ operam datis, vidisse eos, qui possunt cibum assumere, & non potum: alios, qui potum, quidem non cibum: scilicet cum habeant impedimentum; crassorum humorum copiam in œsophago impeditur attractio, ita vt cibus vim inferat molle sua, potus nequaquam. Itaq; appellantur ab Hippoc. ἄποτοι verè hi qui potum assumere non possunt vllum, vel magna cum difficultate. Iam de pauca respiratione audite. dicebam autem Hippoc, sub nomine respirationis longæ intelligere expirationem, quia non potest fieri inspiratio longa, vt expiratio potest. Si itaq; in hac dictione aduertatiuè quodammodo loquendum est Hippoc. intelligendum est vt pro parua inferat curtam & paucam respirationem, quia non potest fieri parua expiratio seu curta: sed quid est parua seu curta respiratio aliud quam retinere spiritus. retentio spiritus apud veteres omnes habita fuit pro exercitatione corporis; & vtilissima, ita vt athletæ se exercerent in retinendo spiritus. Imo Medici maximoperè laudabant. Dicit Hippoc. retentionem spiritus iuuare eos, qui non possunt potare, aut vix. Sed quomodo retentio spiritus confert his si impedimen-

3 de diff. resp. cap. 10.

lib. de hist. animalium.

dimentum fit vel a vitio spiritualium instrumentorum, siue a vitio gulæ, retentio spiritus maximum adiumentum est aduersus hunc affectum duplici ratione: primum, quia vbi retinetur spiritus, incalescunt viscera mirum in modum, pectus, & stomachus: beneficio caloris attenuantur humores. Alia etiam ratione iuuat, quia vbi retinetur spiritus, facultas expultrix maximè inualescit. Ita quotiescunq; relaxat habenas respirationis, longè lateq; expellit. Animaduertite pueros plorantes qui cum sæpe plorant, diu mingunt egeruntq; quia facultas expultrix mirum quàm inualescit. Adhæc obstetrices nullum habent remedium efficacius ad facilitatem partus, quàm retentionem spiritus: non alia ratione, quàm quia facultas expultrix robustior euadit. Igitur videre potestis, cur sit remedium eorum qui non possunt potare retentio spirituum. Sed vt hæc clariora sint, audite ipsum loquentem secundo de dieta vbi scribit: retentionem spiritus disparare meatus, cutim attenuare, & humores dissipare, quæ operationes omnes sunt necessariæ ijs qui impediuntur potare. præterea Gal. & Auicen. manifestissimè docent, retentionem spiritus calefacere membra spiritualia, dissipare humores, & dilatare omnes cauitates propter quod etiam Coel. Aurel. maximè laudabat anhelosis retentionem spiritus: vt Plato, sub persona Erysimachi Medici, aduersus singultus laudabat eam, quod etiam dixit Aristoteles, vbi scripsit: retentionem spiritus, & singultus, & erepitus, & ructus sanare, & Gal. dicere solebat: retentionem spiritus non solum sanare singultus, sed omnes intemperies frigidas pulmonis & pectoris. Itaq; iam patet quo modo longa expiratio sit remedium oscitationum, & breuis respiratio eorum, qui non potare possunt, aut vix. *3. de tuend. sanit. cap. 3. & lib. artis med. cap. 85. 2 3. doc. c. 2. li. de diut. aff. in Prob. lib. de fac. parab. & 2. de sympt. caus.*

Κατ' ἴξιν, καὶ πλευρῶν ἔντασις ὀδυνώδης, καὶ ἐντάσιες ὑποχονδρίων, καὶ σπληνὸς ἐπάρσιες, ἐκ ῥινῶν ῥήξιες.

Secundum rectum, & laterum intentio dolorosa, & intentiones hypochondriorū & lienis eleuationes, ex naribus fluxiones.

Hæc eadem sententia habetur apud Hippoc. sed multo pluribus verbis explicata. Nullo tamen modo continuationem habet, cum superiorib. & est sententia, si quæ vlla alia, maximi momenti ad medicinam faciendam. Dicit itaq; secundum rectitudinem intensionem hypochondriorum, tumores lienis, & sanguinis e naribus fluxus. Quam sententiam vt penetrare possitis, scire necesse est, tametsi omnia in nostro corpore sint aperta, & confluant omnia simul, tamen natura in suis operationibus quando fœliciter operare debet, semper seruat rectitudinem partium ita vt, si natura vult curare hypochōdria dextra, curat per sanguinis fluorem e nare dextro, aut per abscessum ex eadem parte. Idem de alijs est censendum. Quando autem per latitudinem euacuat, male semper operatur. Ratio petenda est ab Anatomicis a Gal. & Hippoc. Apparet autem in Hipp. & inspectione oculari vasa a iecinore mitti sursum & deorsum recta, & a liene pariter, quod natura mittat a sinistro in dextrum, id obscurissimum est, & longissimum, & admodum inutile. Igitur cum motus semper est facilior per rectam lineam, quam obliquam: iure fit vt natura semper facilius euacuat per rectitudinem, quàm per obliquitatem. Vult ergo dicere Hipp. quod natura, si bene operatur, hoc facit κατ' ἴξιν. Vt si per abscessum in parte dextra, aut per sanguinis fluorem e nare dextro curat hypochondrij tensionem: ita in lienis tumore per idem latus. Sed quæ est ratio, cur Hippoc. potius hæc exempla attulerit, quàm alia? puto ego tres fuisse rationes; primo quia Hippocrates forsan hoc obseruauerat, de rectitudine in his casibus. alia etiam fuit, quia huiusmodi affectus maximè conspicui sunt. tertia, quia hic affectus naturæ maximè in his elucet, in intensione lateris dextri, tumore lienis, & fluxu sanguinis, & propterea pro documento in arte medica exercenda hoc habete, vt hanc rectitudinem semper seruetis. Et hinc etiam orta est illa celeberrima quæstio de sanguine mittendo in pleuritide. Res est ex ipsius rei natura *6. Ep. sec. 2. lib. de Ana. administ. lib. de morbo sacro.*

definiendi: vt dicit Hipp. ſemper ſeruanda eſt rectitudo, & hæc eſt reſpiratio naturæ fælicior. Et propterea detrahatis ſanguinem, in pleuritide & alijs affectibus doloroſis, ſeruata ſemper hac rectitudine.

Τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα μετὰ κρίσιν, ὑποστροφώδεα.

Quæ relinquuntur in morbis poſt iudicationem recidiuas facere nata ſunt.

Hæc ſententia eſt Aphor. duodecimus libri ſecundi Hippoc. ex hoc loco deſumptus, ex quo colligo eſſe non ſolum veriſſimam, ſed maximi momenti. quia quæcunq; longo vſu vera eſſe cognouit, ea in Aphor. rettulit. Eſſe autem veriſſimam, ſi animum attenditis facilè intelligitis: ſiquidem quotieſcunq; natura iudicationem morborum facit, nititur ſemper omnem materiam morbificam euacuare, quod ſi impeditur; neceſſario ſemper aliquid relinquitur; quod quidem duas conditiones habet: primò quod illa materia eſt inepta expulſioni, cùm propter craſſitiem, tùm maximè propter viſciditatem: ſecundo, quod tota ſemper eſt alterata, quia in iudicatione tractata eſt a natura. Cum igitur hæc materia a natura ſit alterata, non poteſt vtilis eſſe: & idcircò ſtimulat naturam, & excitat ad pugnã. vnde denuo neceſſario fit pugna inter naturam & morbum: Hipp. in calce prioris ſectionis huius libri habet fere eandem ſentenriam, ſub his verbis. Quibus intus relinquitur aliquid ijs fiunt citiſſimæ & ſecuriſſimæ recidiuæ, ſed cur hoc in loco dimiſit illa duo verba audite conſilium Hippoc. certe ſemper fui huius ſententiæ, & adhuc ſum, aliud conſilium fuiſſe Hippoc. hoc in loco, aliud in alio. hoc in loco loquitur Hippoc. vniuerſaliter de omnibus quæ relinquuntur poſt recidiuas; quæ in vniuerſum, modò ſunt ſtatim recidiuæ, modò longo tempore. Eo autem in loco non loquitur Hippocrates vniuerſaliter, ſed duntaxat de ijs morbis, in quibus deberent fieri iudicationes per abſceſſus, & non fiunt. nam quoties poſt iudicationem aliquid relinquitur quod ſit per abſceſſus a natura finiendum, niſi ſuccedat abſceſſus, citiſſimæ fiunt & certiſſimæ recidiuæ. Hæc igitur eſt germana ſententia Hippoc. Sequitur.

Τὸ γοῦν πρῶτον σπλήνων ἐπάρσιες, ἢν μὴ ἐς ἄρθρα τελευτήσῃ, αἱμοῤῥαγίη γίνεται, ὑποχονδρίου δεξιοῦ ἔντασις, ἢν μὴ διεξοδεύσῃ οὖρα, αὕτη γὰρ ἡ κατάληψις ἀμφοῖν καὶ ὑποστροφαί.

Primum igitur lienum eleuationes, niſi in articulos finiantur, aut ſanguis fluat, hypochondrij dextri intentio, niſi profluant vrinæ. Hæc enim vtrorumque interceptio, & recidiuæ horum merito.

Non contentus Hipp. nobis propoſuiſſe hanc celabratiſſimã & vtiliſſimã ſentẽtiã, voluit adhuc eam confirmare certiſſimis exemplis: & vtitur fere ijdem verbis, quib. vtitur 6. Ep. ſec. 2. tex. 14. Quam dictionẽ priuſqua aggrediamur, duo ſcire oportet. primũ Hipp. idem inrerdum repetijſſe in ſuis libris: ſed ignoſcendum eſt illi, quia cum inter maxima medicinæ negotia quotidie verſaretur, interdum menre labebatur, vt eadem annotaret. pro diuerſis temporib. & locis; alterũ eſt, quod illud quod repetit, ſemper ſit maximi momenti. Ea ꝓpter cum hæc propoſitio, quæ relinquũtur in morbis, recidiuas facere ſolent, eſt maximi momenti, voluit etiam exemplo comprobare, inquit ille, quæ relinquntur in morbis recidiuas facere ſolent; hoc maximè elucet ex rumorib. lienis, & ex obſtrictionib. iecoris, dextri hypochcõdrij, ſiquidem rumores lienis relicti poſt criſim faciunt recidiuam; niſi ſedar fluxus ſanguinis, aut fiat decubitus in articulis. Pariter tenſio hypochondrij dextri relicta a morbo, recidiuam facit, niſi ſuperueniat vrinæ copia. Adeo vt, quemadmodum tenſio hypochondrij dextri, tumores lienis, & obſtructiones iecinoris pariunt recidiuas, ita ſuperueniens fluxus ſanguinis, labor articulorum, copia vrinæ, cauent neſiant. Videamus quid in hac præclara dictione vtilitatis contineatur. Tria conſideratione digna occurrunt nobis, primò cur potius voluit probare exemplo tumoris lienis, & tenſionis iecinoris. Secundo, qua ratione hæc faciant recidiuas. Tertio qua ratione fluxus ſanguinis

super-

superueniens,& dolor articulorum & copia vrinæ prohibent recidiuam, hæc a tensione iecinoris,illa a tumore lienis. Quod attinet ad primum, ratio propter quam voluit confirmare Hipp. his exemplis sententiam suam est, quoniam omnium, quæ relinquutur post morbos euidentissimè recidiuas faciunt hæc duo; dicebat Arist. exépla debere semper esse perspicua,eapropter vt Hipp. declararet hanc rem, opus erat euidentissimis exemplis. Ita autem est euidens,relictos tumores lienis, & tensiones iecinoris recidiuas facere, vt nihil sit clarius. Alia etiam causa fuit,quia non solum hoc euidens est efficere, sed frequentissime omnium post morbos relinquuntur tumores lienis, & tensiones iecinoris, tribus de causis,quia quæ relinquuntur, relinquuntur, quia sunt imparata ad expulsionem, crassa & viscida. tum quia in secretis corporis partibus sunt. si ita est vt sint crassi, & viscidi humores,hi reperiuntur potissimum circa iecur & lienem,quia hæc viscera sunt sentinæ,& domicilia humorum crassorum & viscidorum, alia ratio est, quia vbi fit iudicatio, maximus tumultus & turbatio fit in corpore nostro: quo fit vt maximè turbantur & agitantur iecur & lien. vnde cum hæc duo viscera sint rara, facile fit vt suscipiat excrementa relicta tum retineant & inducant tumores seu intensiones. tertia causa est,quia hæc duo viscera sunt fabricata a natura,propter sanguinis fabricam,& depurationem, seu (vt Arist.) propter cibi concoctionem. Cum fabrica sanguinis, & coctione ciborum gignuntur plurima excrementa,quare fit vt huiusmodi viscera scateant semper humoribus: qui relinqui solent post iudicationes. Sed hoc loco oritur non exigua dubitatio, siquidem Hippoc. vbi fere habet hæc eadem verba,proponens ea quę solent prædicere futuram recidiuam,commemorat quatuor,sitim relictam,oris siccitatem,insuauitatem,& inappetēti am: deli ene & iecinore nihil dicit. Cum ergo vult Hippocrat. hoc in loco tumorem lienis,& tensionem iecinoris esse signum recidiuæ? & eo in loco horum non meminit? Vt hoc intelligatis,memoria repetendum est iudicationem aliam perfectam esse,aliam imperfectam: perfecta est,in qua nihil relinquitur præter debilitatem,& grauitatem aliquam corporis; nō secus atque semper victori remanet aliqua infermitas post partam victoriam. Vbi autem imperfecta est iudicatio, aliquid semper manet(vt a pleuritide, empyema,vel abscessus) quod facit recidiuas. Adeo vt ea quæ relinquuntur duorum generum sunt, vel causæ & signa,vel signa duntaxat. quando Hippocrates proponit sitim,oris siccitatem,insuauitatem, & inappetentiam, loquitur duntaxat de ijs quæ sunt pura signa: nam sitis non facit recidiuam,neque siccitat oris,neq; insuauitas,neque inappetentia. Et hoc docet Hippocrates: si quis a morbo sumens cibum non corroborarur, pluri alimento vti est indiciū quod si non assumenti cibum hoc accidat, scire oportet quod indiget euacuatione; vult enim innappetentiam esse purum signum recidiuæ futuræ. Hoc loco non loquitur tantum de signis, sed etiam de causis effectricibus. Circa secundum, scilicet cur iecur & lien faciant recidiuas etiam non inutilis oritur contemplatio. Et quantum ego puto vera ratio huius rei est, quoniam vbi materia relicta retinetur in his visceribus, ratione caloris viscerum, fit vt nouam putredinem contrahat: ex qua certissimum est nouas febres & nouos morbos accedere: scilicet quampiu retenti isti humores in iecinore & liene, propter calorem viscerum nouam putredinem concipiunt,& nouos morbos faciunt. Et hinc Aristoteles tertio de partibus animalium capite quarto, dicebat: iecur & maximè lienem tentari calculis,papulis, & tuberculis; quia hæc viscera cum sint velut sententiæ & domicilia humorum crassorum & viscidorum, hi facile putrescunt, & nouos morbos pariunt. Ad tertium,cur copia vrinæ prohibeat recidiuam a tensione iecinoris; dolor articulorum,& fluxus sanguinis a tumore lienis,dicendum: hoc quidem verissimum esse,quia vbi lien tumet. si fluit sanguis a nare sinistro, vel hæmorroidibus, ea euacuatio κατ' ἴξιν educit materiam eam, quæ alioqui faceret recidiuam. Idem dicendum est de articulis, quia humores, qui retenti facerent recidiuam,conuersi ad articulos a natura,liberant. Est etiam alia ratio,quia vbi fiunt dolores articulorum, ratione doloris, maxima fit diuersio materiæ,& attractio a dolore: & ita cauetur recidiua, ob quod Gal. interdum in podagricis solet balneo aquę dulcis podagrā prouocare, vt merito huius curaret febres & alios morbos.

3. de par. animal. cap. 7.

6. Epid. sec. 2. tex. 1.

Idem ego fæpe expertus fui magno cum commodo ægrorum, pari pacto dicendum est de iecore, fcilicet recidiuam ex iecore vitari copia vrinæ, & præfertim quando obftructiones & tenfiones funt in conuexa parte hepatis, quia concaua pars euacuatur per fedem, conuexa verò per vrinas.

Ἀποστάσιας ἂν ποιέεσθαι αὐτὸν ἡγεύμενον, μὴ γινομένας, τὰς δὲ παρὰ κλίνειν ἤδη γινομένας. Τὰς δὲ ἀποδέχεσθαι ἣν ἴωσιν, ἤδη. καὶ ὁποῖα δεῖ, καὶ ὅπεσα, μὴ ξυνδρᾶν δὲ, Τὰς δὲ ἀποτρέπειν ἢν πάντη ἀσύμφοροι ἐῶσι. μάλιστα δὲ τὰς μελλούσας. εἰ δὲ μὴ, ἄρτι ἀρχομένας.

Abfeffus igitur facere ipfum confiderantem non fientes, aliquos autem delinare iam fientes. Hos autem excipere fi eant quales oportet, & qua oportet, qui vero non valde cooperari, eos autem auertere qui omnino inutiles fuerint, precipuè autem hos futuros, fin aliter, cum nuper incaperint.

Habetut hæc dictio, vbi Gal. 6. Ep. dimifit interpretationẽ, quod dicat fefe eã perfectiffime tradidiffe hoc in loco. Ratio autem continuitatis huius partis cum fuperioribus eft, quod, vt audiuiftis Hippoc. dicebat, tumores lienis & itenfiones iecinoris, faciunt recidiuam nifi fluat fanguis, nifi fiat decubitus in articulos, nifi copiofa fluat vrina. Infert autem, ergo debet Medicus interdum facere abfceffus, interdum abfceffus fupprimere, quia fi Medicus eft naturæ minifter, & imitator, & interdum natura per abfceffus indicat morbos, interdum non: debet Medicus aut prouocare, aut fupprimere illos. Sed quia paulo obfcurior eft hæc fententia, breuiter aperiam & enodabo. Abfceffus aut facti funt, aut fiunt, aut futuri funt, boni, vel mali. Si facti fint, fed non copiosè fatis, & fint boni, Medicus augere eos debet: vt fi fcabies fiat, & non fufficiat. Pariter qui fiunt, aut boni aut mali. Si mali comprimendi funt: exempli gratia, fi abfceffus circa iugulum oriatur, quia hic malus eft, debet intercipi. Vbi bonus eft abfceffus vt in inguinibus, nifi fiat vt debet, auxiliari oportet naturæ. Et quod dicit Hippoc. de factis & de his qui fiunt: idem de futuris faciendum; fi boni prouocare, fi mali auertere. Sequitur Hippoc.

Αἱ τεταρταῖαι αἱμοῤῥαγίαι, δύσκριτοι.

Quartam fanguinis fluxus, difficilis iudicij.

Dixerat Hippoc. aliquot effe abfceffus, quos quia mali funt euitare oportet. Cuius rei gratia in præfenti exemplum proponit de fanguinis fluxu, qui fi quarta die fiat, mali iudicij eft ait Hippoc. Rationem facilè intelligere poteftis ex fuperioribus, fcilicet, omnia quæ in initio morborum apparent, effe mali iudicij: quæ fine fignis coctionis apparent.

li. 4. Aph. 74. Sed melius intelligetis, fi videatis, & comment. Gal. vbi habetur: fluxum fanguinis malum effe in quacunq; febre, nifi fit cum vrina copiofa, & craffa, hoc eft nifi fit tempore coctionis. Addit Hippocrates.

Οἱ διαλείποντες μίαν τῇ ἑτέρῃ ἐπιῤῥιγέοντες ἀμαχρίσιν ἐς ἑβδόμην.

Intermittentes vna die, altera fuperrigentes, cum iudicatione in feptimam.

Diuinus hic Laconifmus Hippoc. ab ipfo etiam plerifq; locis obferuatus eft, & præfer-

4. Aph 59. tim vbi fcribit, Tertianam exquifitam ad fummum feptem circuitibus iudicati. Hæc etiam eft euidens fatis fententia & relata in lib. aphor, atq; clariffimè pronunciata. Vult igitur dicere, febres quæ vna die intermittunt, vt tertianæ, & altera die rigorem habent, in feptima die terminantur. Neq; valet quod in coacis addiderit auctor ille vfq; ad nonũ, quia id ille obferuauit quod rariffimè fit: hic duntaxat annotauit, quod frequentiffimè obfer-

obseruauit, scilicet tertianas exquisitas ad summum septem circuitibus terminari. Hæc dictio, quia maximè vtilis est, operæpretium est, duo videamus. Vnum erit, cur potissimum in tertianis febribus fiant rigores: nam iure hoc in loco designauit febres tertianas per rigorem, quia hic est proprius character illarum. Alterum est, qua ratione febres tertianæ septem circuitib. terminantur; & non vltra transeant. Autor li. 1. de morb. sermonē habens de rigore inquit, quotiescunque pituita frigidissima miscetur sanguini in venis, sanguinem congelari, & hinc tremorem oriri, & rigorem; diuersitatem vero esse, quia si magna sit illa congellatio, fit tremor, si minor, fit rigor. Hæc fuit sententia illus vetustissimi auctoris de morbis, apud Hippoc. libros. Plato in Timeo voluit fieri rigorem excōgelatione sanguinis; & rigorem & tremorem semper a causa frigefactoria fieri. Adeo vt rigor nihil aliud sit, quam lucta quædam inter naturam & causam refrigerantem. Arist. 8. sec. prob. in pluribus problematibus idem censet, rigorem semper fieri a frigida causa. Imò inquit, quod si interdum horrescimus sub aere æstuoso, fieri quia sub aere illo frigus cogitur intro in vnum locum, vbi postea inducit rigorem. Quare omnes censuerunt fieri a causa frigida rigorem. Sed Gal. existimauit veteres omnes hac in re fefellisse & præsertim Platonem, quod crediderit semper fieri rigorē a causa frigida: imò existimauit Gal. plærunq; fieri a causa calida. Et vt hanc senrentiam verissimam esse cognoscatis, præsupponit ille, rigorem esse purum & merum affectum caloris natiui: cuius naturam hunc in modum descripsit: rigorem esse ingentem & inuoluntariam totius corporis concussionem subito factam cum sensu refrigerationis. Quam descriptionem si diligenter expendatis, manifestissime videbitis differentiam esse inrer rigorem, & tremorem. quia in tremore, non totum corpus tremit, sed vna pars duntaxat, aut plures; at in rigore omne corpus cōcutitur: præterea in tremore concurrit facultas voluntaria: rigor est motus coactus. tum rigor fit subito, tremor, paulatim. Itaq; iure dicit, in hoc egregie fefellisse omnes Medicos, & præsertim Platonem, qui existimauit, a causa frigida vtrunque fieri. Cum igitur rigor sit motus totius corporis subitus. videre oportet qui in tertiana fiat. quod vt cōprendatis, debetis pro certo habere, esse affectum caloris natiui. calor natiuus, alium motum introrsum habet, vt nutriatur: alium extrorsum vt fuligines deponat. Vbi hic motus impeditur, vt non possit exire, necessario ad interiora recedit. Sed quia hic non potest manere, iterum insurgit ad impedimenta, quod si euadit, nihil fit. Si iterum retrocedit & effertur, necessario fit motus hic & concussio. Sed quid est illud quod impedit, quo minus calor potest exire? hoc quod inimicum est calori natiuo. Et quia duo sunt frigus, & summus calor, aduersissima calori natiuo, & hic positus est in medio, propterea ęquè aduersatur illi summus calor atq; frigus. Quare iam compertum est, quod frigus & calor summus sint inimica calori natiuo. Sed præter huiusmodi inimicitias imaginari oportet, cum rigor sit subitus motus, nō solum impedire, sed subito. Ea propter cum quicquid calidum est, & acre velociter moueatur, hinc fit vt humores calidi, & acres maximè lędant calorem natiuum, velociter ferantur, & rigorem excitent. Et hinc quoq; fit, vt in tertiana febre, quæ ab humoribus calidis, & acribus ortum trahit, maximè excitetur rigor in lucta intra naturam & causam illius. Sed cum hoc compertum sit, rigorem excitari ab humoribus calidis, acribus, & mordacibus: duo occurrunt cōsideratione digna: primum, an frigidus humor etiam rigorem faciat, tum si faciat, quis sit maior, an ille qui fit ab humoribus calidis an quia frigidis. Vt audiuistis, omnes non solum dixerunt fieri ab humoribus frigidis, sed duntaxat ab his. Sed Gal. locis citatis manifestissimè voluit etiam ab his fieri: quia hi æque permoti per totum corpus, possunt violare calorem natiuum, & impedire, quominus ad exteriora feratur æquè calidi. Ad alterum dubium venio. dubium quidem: quia Hippocr. appellat tertianas febres habentes rigorem per excellentiam. Ex vna parte est Gal. manifestissimè scribens, rigorem maiorem fieri a calidis humorib. quā frigidis, quia humores calidi magis stimulant calorem natiuum, velocius mouentur; quo æquum est vt maiorem vim inferant naturæ, & maiorem rigorem faciant. Ex altera parte est Auicen. cap. de rigore vbi inquit, humores quanto magis sunt viscidiores tanto maiorem excitare rigo-

lib. de symp. caus. & li. de rigore cap. 6.

2. de symp. caus. c. 5. & 6

lib.3.coll.c.3. re rigorem. Præter Auicen.& Auerr. qui improbans Medicos circa rigoris tractationem duabus rationibus demõstrare conatur, rigorem maiorem fieri a causa frigida, quàm calida. prima est, quod sicut contingit in rebus externis: ita quoq; contingere debet in rebus nostri corporis. Sed extra magis rigor a frigore augetur, quàm æstu. Ergo ita in corpore nostro fiat, est necesse. altera causa est, rigorem fieri propter retractationem caloris natiui ad intima. Sed hoc magis a frigore fit, ergo potius a frigore debet maior rigor fieri, quàm a calore. In hac difficultate, vt veritatem constitutam habeatis, debetis scire, cæteris paribus, maiorem rigorem fieri a calore; dico cæteris paribus; quia potest esse quod humor frigidus sit copiosus, calidus verò concludatur. Quotiescunq; par est viscidiitas copia, & (vt vno verbo dicam) omnia sunt paria, semper a calore maior est rigor; quia velocior est, & magis stimulat naturam, vnde maior fit vtrinq; pugna: sed quid ad Auic. dupliciter legi solet: in aliquibus habetur, quanto est viscidior humor, tanto maiorem facit rigorem: in aliquib. legitur, quanto est mordacior. Sed concedamus dicere viscidior, respondendum est intensiuè vel extensiuè maiorem rigorem dici. Extensiuè loquendo, semper a viscidiori humore, maior fit rigor: quia calor natiuus diutius laborat in expellendo hos humores, qui lenti tardi frigidi sunt. Ad Auerr. quid dicendum est? parcat mihi, nimis cupidus fuit contradicendi Medicis: hæ enim ipsius rationes nullius momenti sunt, res externas debere correspondere internis. aliud est frigus externum, aliud quod est in corpore nostro, propterea verissimum quidem est exterius magis rigere propter frigus, sed in corporibus nostris non potest tantum frigoris reperiri & effici, vt in externis,
6.Epid. sec.5. & hoc Gal. annotauit vbi Hippoc. dicit, refrigeratio durat quæ in ventre. Neq; alia ratio magis valet, quod frigus aduersatur calori natiuo: imo falsum est; quia a calore immenso citius interimuntur animalia, quam frigore. Videtis hoc in morbis acutis; tum in venenis. Calida enim venena citius interficere, compertissimum vsu est. sequitur 3. cur febris tertiana potissimum septem circuitibus terminatur, nam quod tertiana exquisita cito terminatur, causa est euidentissima, quia fit a bile; bilis has conditiones habet: syncera paucissima est in corpore nostro: vt rarissimè sit hanc tertianam exquisitam inuenire. Neque ego vix vidi & iam quadraginta anni sunt quod praxim exercui. Humores synceri rarissime sunt: & rarissimè colliguntur. Tum hic humor calidus est, quo velocissimè, mouetur; propterea citissimè dissipatur. Ideoque tertiana exquisita parum durat sed cur non transit septimum circuitum? quia febris tertiana exquisita est morbus acutus, sed cum acuti morbi dupliciter tales esse dicuntur, vel propter characterem, vel quia velociter mouentur, febris tertiana est morbus acutus ratione accessionis & paroximi, quia acutissimè mouetur. Cum ergo sit morbus acutus, & hic septimo die solet terminari, nullus mirari debet febrem tertianam exquisitam septem circuitibus solui. Vt Hipp. hoc loco docet.

Σκόπῳ, ἐκ κορυζώδεος χολώδεος, καὶ φάρυγγος φλεγμονῆς, φλαύρως διαιτηθέντι ἡ κοιλίη ἀπελήφθη, καὶ πυρετὸς ξυνεχὴς ἐγένετο, καὶ γλῶσσα διανθής, καὶ ἄγρυπνος, ἤτρου ἔντασις ἰσχυρῶς ὁμαλῶς κατὰ σμικρὸν ἐς τὸ κάτω, ἐν τοῖσι δεξιοῖσι πνεῦμα ὑπόπυκνον ὑποχόνδρια ἤλγει, καὶ ἀναπνέων, καὶ στρεφόμενος, ἄνω δὲ βηχὸς ἀνεχρέμπτετο. ὑπὸ πῆχεος πέπλος δοθεῖσα, ἀπὸ τοῦ ὑποχονδρίου μὲν ἀπῶσεν, ἐπεραιώθη δὲ οὐδέν. τῇ δ' ὑστεραίῃ βάλανοι δύο προστεθεῖσαι οὐκ ἐφάνησαν. οὖρον δὲ παχὺ καὶ θολερόν. λείη καὶ ὁμαλή. καὶ ἔστη κοιλίη ἐν θολερότητι, ἥτε γαστὴρ μαλακωτέρη ἦν. καὶ σπλὴν ἐπηρμένος, καὶ κατάῤῥοπος ἐγένετο. ποτῷ ἐχρῆτο ὀξυγλυκεῖ. δεκάτῃ, αἷμα ἐξ ἀριστεροῦ ὑδαρὲς ὀλίγον ἦλθεν. οὐ πάνυ δέ τι ἄῤῥωστος αὐτὸ τοῦτο. καὶ οὖρον ὑπόστασιν ἔχον. ἐν δὲ τῇ ὑποστάσει, ὑπόλευκόν τι προσεχόμενον πρὸς τῷ ἀγγείῳ λεπτόν. οὔτε οἷον γονοειδὲς οὔτε ἀνόμοιον, ἐῤῥύη τοῦτο βραχύ. τῇ δ' ὑστεραίῃ κριθεὶς, ἀπύρετος, καὶ ὑπῆλθεν ἐπόγλισχρον τῇ ἐν δεκάτῃ. τὸ δέ τι περὶ ῥοῦ χολῶδες. οὔρου δὲ κάθαρσις πολλὴ, καὶ πλήθει, καὶ ὑποστάσει. καὶ πρὶν μὲν οἰνοποτέειν, ἤρξατο μικροῦ λάπῃ ὁμοίη. Διῆλθε δὲ τῇ ἑνδεκάτῃ, ὡς ὀλίγων ἐόντων, γλίσχρα δὲ, καὶ κοπρώδεα θολερά. τοιοῦτον οἱ κρισίμως, ὅτι καὶ τὸ Ἀντιγένεος ἐν Περίνθῳ.

Scopo ex coryza biliosa, & faucium inflammatione, mala victus ratione vso venter compressus est, & febris continua facta est, & lingua arida, & sine somno, infra vmbilicum intensio vehemens æqualis, paulatim in infernam partem in dextris, spiritus subdensus, dolebant hypochondria, & cum respiraret, & cũ cõuerteretur sine tussi excreabat sub crassa. Data peplus, ab hypochondrio depulit, prodijt autem nihil. Postridie autem glandes duæ appositæ, nõ apparuerunt. Vrina autem crassa et turbida, hypostasis leuis & æqualis. & stetit aluus in turbulentia, atq; venter mollior erat, & lien elatus, & deorsum vergens fiebat. Potu vtebatur aceto mulso. Decima sanguis aquosus paucus ex sinistra venit. Non valde autem debilis ab hoc ipsum. Et vrina subsidentiam habens, in hypostasi autem sub candidum quiddam adhærens vasi tenue, neque quale semen, neq; dissimile fluebat hoc breui. Postridie iudicatus febre liber, & descendit sub tenax vndecima, quod circa fluxum biliosum. Vrina autem purgatio multa, & multitudine, & subsidentia. & priusquam vinum potare cæpisset, parum quiddam emollitioni simile. Penetrauit vndecima die, vt quod essent pauca, lenta autem, & stercorosa, turbulenta. Hoc iudicatoriè, quòd & Antigenis in Perintho.

Priusquam hanc vtilissimam historiam examinemus, operæpretiũ est duo videre: vnum de hoc nomine Scopi: alterum, vtrum Hippocrates curauerit hunc ægrum. Gal. in expositione linguarum docuit fuisse morem Hippoc. apponere nomina ægrotantium, eo quod semper aliquid significabant, & hoc dicit in dictione Ἐρυμάρχῳ. Itaque posset aliquis existimare hoc nomen Scopi aliquid significare apud Hipp. Apud Græcos σκόπος, præter alia significata habet hoc, quod designat exploratorem, quasi significaret hic explorationem. sed huic sententiæ non possum adhærere, quia Gal. inquit huic viro fuisse nomen Scopus *3. de diff. resp.* quasi fuerit proprium nomen viri, & nihil significaret. Vtrum autem curauerit hunc nec- *cap. 11.* ne dubitari potest; sed vt liberè dicam, ego existimo omninò Hippoc. hunc non curasse; & adducor ad hoc credendum duabus rationibus: prima est, quia dicit datam fuisse medicinã πέπλον: præterea dicit hunc fuisse vsum oxymelite; si curauit eum, ęquum erat vt hoc affirmaret. Sed cur ergo adeo diligens est in hac historia enarranda? quia hic erat commissus alicui sollerti assistenti, qui singula annotabat & Hippocr. diligenter narrabat. Videamus totam historiam, quæ quia obscura est, redigam illam in ordinem, vt intelligatis clarissime quæ huic euenerunt. Habuit ergo morbos complures, & symptomata Scopus hic. Morbi fuerunt quatuor, inflammatio faucium, febris continua, hypochondrij dextri tumor, & lienis. Symptomata verò, in primis vigiliæ continuæ, & respiratio subdensa:

excre-

excrementa mutata, ingens destillato seu κορύζα, atque biliosa, deinde fluxit sibi sanguis e nare sinistro; & hic fuit exiguus; & aquosus. Sputa habuit pauca sed subcrassa: aluus primis diebus penitus fuit intercepta: vrinæ turbidæ crassæ, quæ tamen vbi seponebantur, subsidentiam faciebant: in subsidentia erat nescio quid candidum adhærens vasi, tenue, quod tamen inquit, non diu durabant. In qualitatibus mutatis, lingua erat sicca, venter supra vmbilicum mollis: lien qui vergebat ad partes infernas: hypochondria dolorosa. Et tandem is decima die iudicatus est, & a febre liberatus. die vndecima aluus reddidit pauca, sed stercorosa, quod indicium est aluum semper fuisse antea interceptam. Post iudicationem aluus complura reddidit biliosa, tenuia addit Hippoc. priusquam vinum potaret, in vrina apparuisse nescio quid lacti siue pituitæ simile. Hæc fuit historia. Remedia de quibus mentionem facit, quatuor fuerunt accepit oxymel, peplum: quod medicamentum non duxit quidquã; sed tamen dolorem hypochondriorum leuauit. post peplum immissæ sunt duæ glandes, quæ non apparuerunt. postremò inquit hunc non potasse vinum, priusquam aliquid appareret in vrina pituitæ simile. Vt & voluptatem & vtilitatem ex contemplatione huius historiæ consequi possitis; quandoquidẽ multa habet scitu digna pedetentim causas morborum, symptomatum, & remediorum inquiremus. Quod pertinet ad morbos, & vt ego puto, nulla causa naturalis accessit, siquidem existimo fuisse robustum, & optimi corporis habitus, quia corpora robusta vix vnquam incurrunt in morbos, nisi propter malam victus rationem, vt habet Gal. Iam verò inquit Hipp. hunc Scopum mala victus ratione fuisse vsum, & consequenter in hos morbos incidisse. & quantum ego puto hoc annotauit, quia vidit hanc vnam, fuisse causam omnium morborum. Sed quid hæc facit? mala victus ratio cumulat excrementa, vt Hipp. dicebat, inquiens: omnes ægritudines ichorosas & humorosas nasci a cibo & potu. Iam frequentes cruditates sunt matres destillationum, vt ait Auic.. Cum ergo erraret in cibo & potu, iure destillationibus correptus est, propter ingentes cruditates. Adeo vt origo & radix omnium morborum, fuerit destillatio huius Scopi. Iam destillatio est pituitæ defluxus in corpus, qui fit per septem vias, aures, oculos, nares, stomachum, pectus, spinalem medullam, & per neruos. In hoc Scopo quid fecit hæc destillatio? Per multas partes hunc miserum afflixit. primum autem per nares, fecit κορύζαν. Et quia febris copulata erat, euasit biliosa. Præterea materia retenta est in palatum. Et quia locus ille est calidus & humidus, & ferax putredinis, factum est vt concepta sit inflammatio. Hæc, eadem per venas delapsa est in omnem corporis habitum, & febrem continuam peperit. delapsa est etiam in iecur, vbi fecit obstructiones illas & tensiones. Lienis vero tumor ex hac destillatione etiam, sed potissimum a cruditate fuit genitus. Adeo vt perspicuum sit hæc omnia a destillatione esse producta, & destillationem a malo regimine. Sed video statim aliquem dubitaturum, quomodo ab vno errore victus tot mala orta sint, siquidem Hipp. 2. prorr. dicit: difficultares anhelitus & alia quę per fluxionem fiunt ab errore externo, a victu, finiri breuibus diebus. cur ergo tamdiu durarunt? Verum est non diu durare si errores non sint insignes, & non diu durant: cõtinui faciunt causas internas & morbos peruicacissimos. Itaq; cum hic esset robustus, quantum ego puto & propterea negligeret initio exigua mala, non vnum errorem, sed infinitos commisit, & propterea factũ est, vt tot symptomata passus sit. Quod ad symptomata attinet, primò vigiliæ referuntur. Sed cur annotauit huic vigilias esse obortas, quia si laborauit graui destillatione, hoc est κορύζα, debuit somniculosus esse? Non sine ratione. Tres fuerunt causæ; prior, quia laborabat inflammatione faucium: ex hac continuò tolluntur vapores acres in cerebrum, qui vellicantes cerebri membranas, vigilias inducunt. Accedit, quod κορύζαν patiebatur. tales solent tentari sternutamentis, & difficulrate anhelitus: quæ omnia auferunt somnum. Alterum symptoma fuit sanguinis fluxus e nare sinistra exiguus & aquosus, addit Hipp. hunc fluxum non debilitasse Scopum. Sed poterat quisquam cogitare, dubitareq; quia fuit exiguus & aquosus, qua ratione non factus sit debilis: etiamsi sanguis exiguus non faciat debilitatem in febribus, tamen significat insignem debilitatem: habetis exempla

Lib. de cibis boni et mali succi.

Li. 4. de morb.

tertio

tertio Epidem. coment. tertio, vbi dicit: stillam sanguinis, semper esse malam, quia indicium est virium imbecilitatis, vult ergo dicere, non fuisse signum debilitatis in hoc. Sed cur hic fluxus non erat signum debilitatis, cum tamen erat symptomaticus? primum hæc effluxio excitata est a κορύζα. hæc autem laxat & aperit venas, si biliosa est. tum facta erat ex nare sinistra, & tumor erat in liene, dicit autem Hipp. vbi natura seruat rectitudinem, semper euacuationes illas esse bonas. Hæc ergo fuit causa cur stilla sanguinis non fuit indiciũ debilitatis. Habuit præterea spiritum subdensum: hic nihil aliud est apud Hipp. quã respiratio paulò frequentior, quàm conueniat statui naturali, quę fit vel propter virium imbecillitatem, vel propter necessitatem auctam, vel propter instrumentorum spiritualiũ angustiam. In Scopo cum priora non habuere causæ locum, reliquum est vt fuerit ab impedimento instrumentorum spiritualium: quia portio materiæ quæ defluebat in stomachum, etiam ferebatur in pulmones, in quibus angustiam aliquam faciebat, in leuibus illis arterijs. Quamuis fieri etiam potest vt hypochondria tensa, elatio lienis produxerint hoc impedimentum: nam Gal. contigisse inquit, quod instrumenta spiritualia sint veluti coniuncta hypochondrijs, & propterea dolentibus his etiam afficiantur. Præterea habuit spu tum crassum sine tussi, sed cur ita? quia pituita destillans a capite ob febrem crasse fiebat. Quia non retinebatur in aspera arteria, non faciebat tussim, existimandum potius ex capite non ex ipsis pulmonibus fuisse. Aluus compressa est primis diebus vsq; ad decimum. Qua ratione? Certe si destillatio fuisset pręcipitata in stomachum, alui fluxum peperisset vt lib. de gland. Hipp. annotat. Cum autem habuerit aluum suppressam, argumentum est reliquisse stomachum, & alias vias tentasse. Sed adfuit quoq; febris, quæ illud habet vt al uos plærunq; astringat, quia exiccat omnes humiditates, vnde fœces aridæ redduntur & contumaces ad expulsionem. Vrina turbata fuit, & crassa. Dicit Hippoc. qui vrinas turbidas velut iumentorum mingunt, ijs caput vel laborat, vel laborabit. Scopus laborabat dolore capitis, & idcirco habuit has vrinas: fuit equidem talis vrina a capite, quia vbi hoc scatet humoribus pluribus, vti pars defluit ad alias partes infernas; ita ad vasa vrinæ. Sed cur erat prius turbida, dein clara? quia calor concoquebat. Gal. docet: tria esse genera vrinarum turbidarum, aliæ sunt quæ turbidæ sunt, & manent turbidæ: aliæ quæ claræ sunt, & turbantur: aliæ quæ turbatæ minguntur, & claræ fiunt. hæ meliores sunt, quia indicium est naturam inchoare coctionem. Cum ergo talis fuit vrina huius Scopi, iure factum est, vt sit iudicatus. Subsidentia habebat nescio quid subcandidum inquit Hippoc. Vnde tot varietates? Omnes ab hac causa oriebantur, quod portio destillationis præcipitata in vias vrinæ, concoquebatur; vnde albescit, & ex coctione acquirit crassitiem, qua adhærebat vasi, sed quid vult dicere, neq; erat simile, neq; dissimile fœmini? vult dicere habuisse quãdam similitudinem fœminis, quia erat alba, & spumosa: sed habebat hoc quod iacebat in fundo. Neque miremini per vrinas vsque adeo varias res educi, quia mille formæ rerum solent per has exire, vt non sit mirandum quod scribit Plutarchus, quendam diu tentatum difficultate vrinæ, tandem emisisse culmum hordaceum geniculatum. Inter qualitates mutatas, quæ fiebant in Scopo nostro, erant imprimis linguæ siccitas. etsi enim febris non esset ingens, tamen incendium faucium exiccabat linguam. Habebat aluum mollem supra vmbilicum, quia tota materia erat delapsa vtrinque in lienem, & iecur. Habebat dolorem hypochondriorum: qui dolor maior fiebat dicit Hippocrates quoties conuertebatur, quia dum conuertebatur in latus hypochondria magis simul comprimebantur, & compressa maiorem dolorem excitabant. Veruntamen dicit Hippocrates iudicatum fuisse decima die, & a febre liberatum. Sed vtrum fuerit bona iudicatio, dubito valde: quia decima dies indicatoria, & forsan voluit dicere fuisse significatam iudicationem non factam. Et proptcrea addit aluum vndecima die emisisse quędam exigua stercorea, post aluus eduxit biliosa multa, & copiosa. Et hæc est ratio quare dixi non potuisse esse verè iudicatum decima die, quia post hanc sequuta est alui solutio, & biliorum eiectio. Addit postremò, non potasse vinum, nisi prius apparuerit aliquid in vrina simile pituitæ; casumque hunc, similem fuisse Antigeni in Perynto. Ex quo colligo

3. de diff. resp. cap. 11.

4. Aphor. 70.

1. de crisibus

8. sympos. q. 9.

ligo non fuisse Perynthi, sed alium quempiam ægrum. Sed quid est quod mouerit illum annotare, in vrina aliquid fuisse simile pituitæ? solent plæriq; ægri, & Medici negligentes, statim ac ægri melius sese habere putant, statim vinum exhibere, & in Hippocrate nō videtur vsus Scopus vino, nisi post iudicationem. Atq; hoc est præceptum Hippocratis, vbi dicebat: nihil esse mutandum etiam post iudicationem. nisi postridie: quia vbi iudicationes non fiunt perfectæ solent recidiuas parere. Ergo hortor vos, vt nunquam vinum præbeatis in illis, priusquam appareat coctio & transierit duos dies iudicatio. Tria fuerunt de quibus loquendum erat nobis; primum est quod Hippocrates dicit sese putare, Scopo fuisse datum oximel. quid enim vult eo dicere, puto datum fuisse oximel? nihilaliud sane, quàm hoc remedium tanquam necessarium minimè fuisse omissum. Sed cur oximel illi est datum? Hippocrates scribit. Corpora cum quis purgare vult oportet fluida facere; erat necesse, vt purgaretur, prius fluidum corpus fieret. Sed quid est fluidum facere corpus? docet Gal. in comm. illius Aphor. nihil aliud esse quam aperire meatus, crassos succos attenuare, & viscidos detergere. Videamus nunquid his remedijs habebat opus, & oxymelite. Laborabat inflammatione fauciũ, destillatione biliosa, intensione iecinoris, & lienis tumore. Hæc ab obstructionib. & cruditatibus originem traxerunt, a biliosis & pituitosis humoribus. Et propterea necesse erat attenuare, incidere, aperire, abstergere. Boni ergo Medici cum viderent opus esse purgatione, voluerunt omnino fluidum reddere corpus. Iam cum videmus opus fuisse fluidum reddere corpus, videre oportet an hoc possit facere oxymel. Veteres habuerunt potionis quoddam genus quod ἀπόμελι vocatum est apud Græcos; & fiebat duplici modo (vt Galenus scribit) primò ex aqua & melle decoctus: & appellabatur modò ἀπόμελι modò ὑδρόμελι. Latini mulsam appellant. fiebat aliud ex fauis maceratis in aqua, vt lora, ex racemis maceratis in aqua. huiusmodi vtebantur æstate, & ad mitigandam sitim. huic interdum addebant acetum, vt & Galen. loco citato, & Plinius libro decimoquarto, & Dioscorides annotarunt, vbi addebatur acetum, appellabatur ὀξύμελι. quo solebant sæpe vti in ægrotis. cuiusmodi potionis genus scribit Plinius a Themisone fuisse improbatum, qui fuit ille, de quo Iuuenalis scribit, consueuisse multos ægros vno interficere autumno. fuit Asclepiadis sectator, qui omnia genera remediorum a Veterib. tradita, contemnebat. Si autem examinemus casum Scopi, erat non modò vtilis, sed etiam necessarius vsus oxymelitis; quia habet ratione aceti, incidendi & attenuandi; ratione mellis, detergendi; & ratione aquæ, refrigerandi vim. Eapropter præscriptum esse illi oxymel, ratione febris, & causæ eius, & aliorum affectuum, summa cum ratione iam constare vnumquemq; arbitror. Quomodo autem fiebat, docuit Galenus pluribus in locis & præsertim libro quarto de valitudine tuenda, vbi scribit, parari solitum esse ex vna parte aceti, duabus mellis & quatuor aquæ. Sed cum hominũ gustus & temperamenta sint varia, erant quoque variæ temperaturæ: de quibus non est, vt in præsentia verba faciamus. Scribit Hippocr. datum esse ei quoque peplum. vtrum ille dederit, satis affirmare non possum: quia simpliciter scripsit, datum esse. Sed an ille dederit, an verò non, parum interest scire, optimum est, vt inquiramus, qua ratione impulsi sint Medici ad exhibēdum pharmacum, & quare dederint magis hoc quàm aliud, fuisse opus pharmaco, dolor & humor prauus indicarunt. De dolore scribit Hippocrates secundo de victu acutorum contextu vndecimo, quòd si dolor pertingat ad iugulum, sanguis mittendus est, si ad hypochondria, purgandum. Scopo, ad partes infernas vergebat; eapropter necessarium omninò erat, vt purgaretur. Erat etiam alia necessitas, quia laborabat febre ex bile & pituita, ex destillatione. Itaque cum crudorum humorum copia esset in Scopo, opus erat purgatione. Sed cur potius est vsus hoc, quam alio medicamento? Hippocr. scribit loco citato, vbi dolor ad hypochondria verget vtendum esse medicamentis purgantibus, veratro vel peplo, peplus purgat bilem & pituitam, & maximè discutit flatus. (hodie appellatur esula rotunda in officinis) quæ cum omnia reperirentur in hoc Scopo, iure præscriptus est. Sed circa vsum pepli tria occurrunt diligenti consideratione digna, primum est, quo pacto potuerit rationabiliter vti peplo,

lib. 2. Aph. 9.

2. de fract. tex. 89 — de fract. t. 69.

lib. 14. cap. 17

peplo, quum laborabat febri. Est enim Gal. sententia medicamenta omnia purgantia esse calida, & propterea febrientib. fugienda sunt. Præterea videre oportet causam, ꝑpter quā hoc medicamentum nihil est operatum in hoc ægroto. Tertio, qua ratione nihil sit operatum, & tamen depulerit dolorem. Quo ad primum attinet, scire debetis, quotiescunq; Hipp. aut alius ex veteribus quispiam, nominat vnum vel alterum medicamentum, vt scammonium, peplum, helleborum, non est intelligendum, quod dabant sola: quia corrigebant; cum omnia sunt naturæ nostræ inimica. Sed nominat sola, quia erant bases. lib. 27. cap. 12
Igitur in casu Scopi, dederat quidem hæc, sed non sola; quia vt Plinius dicebat. Veteres peplum cum melicrato dabant. imò dicit ille, inspergere consueuisse puluerem huius medicamenti, & cibis, & obsonijs. Melicratum autem retundit caliditatem medicamenti. Et ita soleo ego Galenum tueri a Tralliano, qui sæpe vtitur calidis remedijs in calidis morbis. nam Galenus vt alij omnes, quotiescunq; vtebantur aliquo calido medicamento semper refrigerante temperabant, vt melicrato. Quod attinet ad secundum, cur nihil operatum sit hoc medicamentum. Complures sunt causæ quibus fit, vt nihil agant medicamenta: vna est, quando exhibentur ijs, quibus corpora non sunt præparata, sed non puto hac de causa nihil eduxisse in Scopo. quia (vt Galenus habet) vbi impræparatis præbentur medicamenta, fiunt tormina, dolores magni: quibus cum caruerit, verosimile est non factum esse hac de causa. Alia est causa exhibitio medicamentorum in parua dosi. Dosis pepli erat acetabulum, hoc est ad summum vntias duas & in hoc conueniunt Dioscor. & Plinius. Sed Plin. mediam potionem esse acetabuli mensuram, in aquæ mulsæ heminis tribus scribit, vult ille triginta vncias melicrati misceri. Diosc. vncias duas. Vterq; male, quia sicut nimia quātitas est vt docet Plin. triginta vncię, ita pauca Dios. vnciæ duæ, sic minime inquam fiet accommodata mistio. Et puto ego pro cyatho cotyla esse scribendum in Dioscoride: & pro tribus heminis sufficere vnam apud Plinium. forsan nihil operatum est, quia exhibitum est in minori dosi, quam conueniebat. Et tertia causa, natura & proprietas corporum: nam Theophr. & Galen. etiam loco citato scribunt complura esse corpora, quæ male purgantur a natura, & consuetudine aliqua quolibet medicamento facillimè purgari. Imò scribit Eudemum Chium interdum vna die sumpsisse viginti duas vncias hellebor. & nihil purgasse. Scribit quoq; Sextus Empiricus. primo ὑποτυπώσεων cap. vigesimoquarto, modo secundo epoches. Ruffinum quendam in Chalcide, sumere consueuisse magnam copiam hellebori, nec purgatum esse, sed consueuisse, concoquere. Igitur potuit etiam fieri, vt nihil sit operatum, quia natura illius viri repugnabat. Sed cur ergo liberatus est a dolore? medicamenta, vt docuit Galenus, vel operantur tota substantia, vel qualitatibus manifestis. medicamenta a tota substantia purgant. a qualitatibus manifestis aperiunt, discutiunt. In Scopo hoc medicamentum tota substantia nihil est operatum, quia contrariam naturam habebat, sed qualitatibus manifestis, discutiendo. Subiungit Hippocrates appositas esse duas glandes, & nihil apparuisse, fuerunt appositæ duæ, prius vna, dein altera. Sed qua ratione dicit nihil apparuisse? solent plæriq; vbi medicamenta aut tarde agunt, aut ægrè, subiungere clysterem, vt inuitent naturam alioqui pigram, vt si humores sint ad intestina perducti, beneficio glandium exeant, sed in Scopo hæ nihil egerunt, quia medicamentum nihil operatum erat, non mouerat vllo modo humores. Et idcirco hoc summo iure annotauit. Sed quid hoc est Hipp. non apparuisse? nonnulli ausi sunt dicere retentas esse has glandes. Verum non puto adeo vecordes, Medicos illos, vt passi sint intro manere. Sed vult dicere nihil effatu dignum fecisse. Sed cur remedia chirurgica non nominauit? dixi sæpe, non nominare eum remedia, quæ nihil habent commemoratu dignum, & cum hic esset morbus acutus & vires magnæ quis dubitat, non esse illi venam sectam. imò puto ego etiam illi adhibitas fuisse cucurbitulas, quia laborabat inflāmatione fauciū: & capitis. dicit autē Gal. prius tum tēporis venā esse secandā, tū cucurbitulas adhibendas. sed quid de ratione victus dicendum est? Puto etiā prudentes Medicos illud potissimū præscripsisse, vt in admodum tenui diæta viueret: quia scribit Hippoc. non gustasse vinum, nisi post iudicationem. Si non bibit

2. Aph. com. 9 — loco citato. — lib. 9. cap. 18. — lib. 5. de simp. med. fac. 2. — 13. meth. c. 19

vinum, nisi post iudicationem (quod ęgri maximè optant) rationi consentaneum est, sorbitione pura esse vsum, & admodum tenui victu: maximè cum Hipp. scribit: vt post iudicationem præcipiant Medici ægris sorbitionem, & in minori quantitate. secus quàm hodie Medici faciunt, qui quando purgant & iudicatio fit, largiore manu concedunt; quum vires sunt factæ tamen imbecilliores.

Τὰ περὶ τὰς γλώσσας αἰρόμενα συστρέμματα καὶ ταπεινὰ ἔνιά λιθίδια. Καὶ τὰ τοῖσι ποδαγρικοῖσι, τὰ ἀσθενέα παρ' ἄρθρα ἐκείνων ἐστὶ, καὶ γὰρ ὀστέων φύσις, καὶ τοῦ σκληρύνεσθαι τοῦτο αἴτιον, καὶ τὸ συντείνεσθαι.

Quæ circa linguas eleuantur coagmenta, & exigui ex stentes lapilli, & quæ podagricis iuxta articulos debiles illorum sunt, etenim ossium natura causa, & quod hoc durescat est, & quod contendatur.

Hæc sententia variè interpretatur. aliqui enim putant Hippoc. dicere, ab ossium natura fieri in lingua coagmentationem, lapillos in vesica, & renibus, nec non in podagricis tophos circa articulos. Sed hoc absurdum est. Alij putarunt voluisse Hippoc. dicere; quod in lingua tumores, in renibus lapilli fiant, propter coagmentationem, hoc est congelationem & quod tophi circa articulos ob ossa durescant, & contendantur. Sed si hoc solum voluisset dicere Hippoc. certe a sua grauitate discessisset; nam nemo est qui non intelligat per coagmentationē, & defluxionem humorum fieri tumores in lingua, & lapillos in renib. Itaq; multo præclarius est, quod hoc loco nos vult docere sapientissimus ille senex Audite Hippocr. sententiam, meo quidem iudicio; Voluit nihil aliud nos docere, quàm in podagricis hos affectus fieri: tumores in lingua, lapillos in renibus, dolores & debilitatem articulorum: & hæc omnia fieri propter ossium naturam. Et quia hæc non sunt vsq; adeo vulgata, ea propter esse memoriæ posteris relinquenda optimè censuit. Videamus pedetentim singula, vt arcanam, & latentem vtilitatem vnusquisque vestrum haurire possit. Primum est, quod qui podagra laborant, habent tumorem in lingua. Est quidem hoc verum, & obseruatum ab Hippoc. sed præter obseruationem Hippocr. videamus, an ex rei natura his malis podagrici afficiantur. Podagra maxima ex parte originem ducit a destillatione, qua materia procumbens in articulos, & retenta alia, atq; alia, dolores & debilitatem pedum inducit. hæc etiam interdum in linguam delabitur: quæ quia est spongiosæ raræq; substantiæ, recipit facile succos, retinet, & incrassat. hæc quoq; est causa, cur subtus linguam fit βάτραχον, seu ranunculus. Quod hoc verum sit, videte Aristot. vbi scribit in lingua ob sui spongiositatem fieri velut grandines, quæ sunt veluti tubercula, vel ἴονθοι, non ἄρθοι, vt malè Gaza. Non videtur ergo in dubium vocandum esse quin lingua sustineat hos affectus qui συστρέμματα ab Hippocr. hoc loco appellantur. Hoc non solum experientia compertum est in hominibus, sed etiam suibus. sues enim dum laborant grandine, (quem affectum Albertus magnus lepram appellat) totum corpus infectum habent, & linguam: ita vt Aristot. scribat. eos qui empturi sunt suem inspicere cōsueuisse linguā. quia hæc suscipit omnia excrementa. Ego quidem credo omnes sues laborantes hoc morbo esse abijciendos: imò Plutar. quarto συμπος quæst. 5. disputat, an Iudæi propter hoc abstineant a carnib. suum, quasi aliqui hoc putarunt. Sed hæc obiter vt intelligatis quàm sapienter dixerit Hippoc. in podagricis fieri tumores sub lingua. Alterum erat, in renib. lapillos fieri in podagricis. Quod podagrici quotidie laborant renum lapillis, & vesicæ vsu est compertissimum. & hortor vos vt in his semper respiciatis renes: & soleo ego dicere podagram & nephritim esse germanas. Sed cur podagrici his affectibus maximè solent tentari? tres sunt rationes; prima est, quia fit a destillatione podagra, in qua sæpe materia in renes & vesicam delabitur. Et hinc fit vt quæ origo est podagræ fit etiam nephritis. si alia ratio est, quia podagrici sæpe, imò semper cruditatibus laborant, quia hi semper, nescio quo fato, sunt voracissimi, & intemperantes. Et propterea cum laborent semper cruditatib. fit vt hæ præcipitentur vna in renes. tertia ratio est, quod sæpe decumbunt supra dor-

dorsum,ex quo calefcunt renes,& attrahunt crudos humores. Videtis ergo quanta cum ratione dixit Hipp. id quod experientia compererat esse verissimum, podagricis fieri in renibus lapillos. Tertium est debilitas & dolor articulorum. debilitas partis, vt Galen. docet: fit propter laxitatem & intemperiem. in podagricis laborant articuli intemperie & laxitate: intemperie; quia propter otium nimium debilitantur articuli, quia hi quanto plus exercentur,tanto maius robur acquirunt,& quo magis vacant,magis flaccescunt, & soluuntur eorum vires: tum laxitate, quia cum perpetuò pluat a capite materia super ipsos articulos, necessario fit vt laxentur, & debilitas, ac durities deniq; in ijs oriatur : ex debilitate arthritis. Hæc est causa quod podagrici semper laborant debilitate articulorum,vnde dolores fiunt,& durities. Quid postremo nos docet? scilicet fieri propter naturam ossium? Hippoc. scribit: ossa fieri ex succo glutinoso prius calefacto,deinde congelato. ex quo clarum esse apparet,ossium naturam esse frigidam,& iam posse congelare humores influentes ad articulos. Sed oritur hic dubitatio; an natura ossium vsq; adeo frigida sit, vt possit congelare, quæ speculatio vtilis est in medicina facienda,vt inspecta horũ natura facilius inueniatur ratio medendi. Quod facit difficultatem est, quia si natura ossium frigidissima est, necessarium est,vt a frigidis ossa conseruentur, quia simili conseruatur: sed falsum est hoc, quia Hippoc. scribit: frigidum ossib. & neruis est inimicum. quod si hoc verum est,ossa minime sunt frigida. Ex altera parte apparet ossa esse frigida, quia vtilitatem capiunt a frigidis; Hippoc. manifestissimè scribit: aquam frigidam ossibus maximè prodesse præterea Serenus autor antiquissimus scribit: *li. de diff. mor*

Sæpe etiam gelida gingiuas collue lympha,
Dentibus vt possis validum seruare tenorem.

Plinius quoq; inter cætera salutaria hominum præcepta proposuit singulo mane abluendos esse oculos & dentes frigida. Quomodo ergo Hippoc. dicit frigidum aliquando prodesse iam nocere? Aliqui qui gustarunt hanc difficultatem,dixerunt: duplicia esse frigida alia actu,alia potentia. frigida potentia vt mandragora, cicuta sunt inimica ossibus, & de his agit Hippoc. in Aphorismis: actu autem frigida,minimè: sed hic modus soluendi hunc nodum mihi nunquam placere potuit: quia vulgatissimum est, illa non solum ossibus,sed toti corpori esse inimicissima. Non solet Hipp. adeo vulgaria docere. Dicam ergo quid sentiam, & actu & potentia frigida,ossibus inimica esse arbitror. Sed quomodo possunt esse inimica ossibus cum sint frigida? nullum est corpus adeo frigidum, quin particeps sit alicuius caloris,tum quia constant omnia ex elementis. tum quia penetrat calor infima: etiamsi aliqui dicant calorem solis non penetrare nisi ad decem passus. Sed si comparetur alijs frigidum dici potest. Igitur frigida habent parum caloris,& huius ratione aqua illis nocet. Idcirco quoq; prudentissime faciunt Medici, arcentes in vulneribus capitis præsertim aerem,ne corruptionem inurere possit; a qua mors sequitur. Sed quid ad Hippoc. aliosq; dicemus? qui testantur ossibus frigidum esse amicum? De dentibus potest illud quod apud multos est compertum respondere:eos non esse ossa: primò quia sentiunt dolore enim afficiuntur. neq; autem fit hoc propter radicem, sed propter ipsorum ossium substantiam, & Gal. hoc expertus est in medio dente, vt inquit ille. Præterea dentes non comburuntur,vt alia ossa. tum canes,non comedunt sicuti ossa,ita dentes. Ergo dici potest loqui Hipp.de ossib. non dentibus. Sed alia ratio mihi magis placet. quæ iuuant, aut per se iuuant,aut per accidens. frigida per se non iuuant,sed per accidens,quia arcent destillationes & vapores putres a dentibus. hinc fit vt quæcunq; repellunt,sint dentib. amicissima,quia auertunt a dentibus,a gingiuis,ab ossibus,humores vitiatos & putrescentes, & tetros vapores.

Το τῆς Ἱπποστράτου ἐκ τεταρταίου ἐνιαυσίου ἀπεκορύφου, ὑπόψυχρος φανερῶς δοκέουσα, ἔφοδος ἐπὶ πᾶν τὸ σῶμα, καὶ ἱδρῶς, ἐκρίθη ταύτη: καὶ μετὰ ταῦτα γυναικεῖα πλείω πλήθει, καὶ χρόνῳ. τότε γὰρ ἀπεῖχε, μὴ ἐστάναι ἔδοξεν ἀπόστασις.

Quod Hippoſtrati ex annua quartana tumebat, cum ſub frigida palam eſſe videretur, impetus in totum corpus, & ſudor, ita iudicata eſt, & poſt hæc menſes multitudine & tempore. Tunc enim ſupprimebantur abſceſſus non eſt viſus conſtitiſſe.

Vtrum hæc fuerit vxor, an verò filia, Hippoſtratis, nihil refert diſputare, quia ſi expendamus hæc verba, æque de filia ac de vxore poſſunt accipi. Illud conſtitutum ſit, hanc mulierem fuiſſe ætate prouecta, hoc eſt vltra trigeſimum ætatis annum. Et inducor in hanc opinionẽ, quia Hipp. ſcribit homines vltra trigeſimũ ętatis annum quartana tentari: ante, raro. Vt cum hæc mulier laboraret annua quartana, veriſimile eſt eam exceſſiſſe annum trigeſimum. Neque obſtat, quod interdum videamus ante trigeſimum annum aliquem quartana tentari, vt narrat Suetonius de Auguſto, qui laborauit quartana decimo ſeptimo anno, quia hoc rarius eſt, & quod ſcribit Hipp. frequentiſſimum eſt. Hæc igitur mulier, cum laboraſſet annum integrum quartana vt ſit, ſibi ſuppreſſa ſunt menſtrua, poſtea refrigerata cum eſſet, & motũ vehementem corporis, & ſudorem paſſa, iudicata eſt: poſt iudicationem, menſes fluxerunt diu, & copioſe, ita vt detumuit. Hæc eſt hiſtoria Hipp. quæ quia aliqua habet non vulgaria, quatuor hoc in loco examinabimus. Primum eſt; cur adeo pauca obſeruauit in morbo tam diuturno. ſi hiſtoriam expendamus, æquum eſt exiſtimare, contigiſſe huic innumera annotatu digna tempore totius anni, & quod maximum eſt nullius remedij meminit. Secundum; cur dixerit laboraſſe annua quartana, cùm ſat erat dicere diuturna. Tertium; quis fuerit hic tumor. (dicit hanc intumuiſſe) an ſecundum totum, an ſecundum partem, non dicit. Quartum, & poſtremum eſt; quid Hipp. intelligat his verbis, refrigerata eſt, & iudicata. Circa Primum debetis ad memoriam reuocare, ea quæ ſcribit Hipp. febrem quartanam facillimam longiſſimam, & ſecuriſſimam eſſe, facillima eſt inquit, quia habet longiſſima interualla, duobus diebus manent ægri velut ſani, vno die, male habent, propter quod lex eſt apud Iuris peritos, quartanarios vocatos in iuditium non poſſe ſeſe excuſare quod febre præpediti ſunt, quia eſt facillima, & maxima habet interualla. Eſt etiam ſecuriſſima, quia quantum ſit ex ſeſe, vt Celſ. dicit, neminem iugulat. Cum ergo ſit ſecuriſſima, homines non vocant Medicos aut raro. Itaque exiſtimandum eſt non fuiſſe vocatum in hac muliere, niſi quando aliqua ſymptomata fierent grauiora. Vnde pauca annotauit, non ſæpe vocatus ad hanc mulierem. Tum rarò etiam fuit accerſitus, quia ea opinio erat, quæ iam animos multorum
lib. 30. cap. 11 quoq; obſedit, medicinam parum valere in quartana, imo Plin. dicere ſolebat, in quartana curanda, clinicen non valere. Vt ob hoc Romæ ſolis fere incantamentis aduerſus eam ageretur; contra quæ, lata eſt lex a Traiano. Cum ergo illa fuit opinio vulgi, non eſt mirum, ſi non ſæpe eſt vocatus. Neq; etiam mirum eſt, ſi nullius remedij mentionem facit. quia qua ratione rariſſimè vocatus eſt, eadem exiſtimandum eſt rariſſima adhibuiſſe remedia, aut nulla. Secundum erat, cur dixerit, tentatam eſſe ab annua quartana, non diuturna. Quia vt diceret eſſe diuturnam, non poterat magis dicere quam eſſe annuam: nam
6 Epid. ſec. 6. t. 23. ſi videtis Hippoc. inquit quartanam non protrahi vltra annum. Si non protrahitur vltra annum ſignum eſt annuam quartanam eſſe longiſſimam. Cur non pertranſeat annum, nõnulli id fieri exiſtimarunt, quia morbi acuti ſequuntur motum Lunæ qui ſpatio vnius menſis perficitur; longi, Solis, qui ſpatio vnius anni. Sed nugæ ſunt: quia ſi tribuendum eſt hoc ipſis ſideribus, multo æquius eſt tribuere motui Saturni. quia omnes tribuunt motui Saturni melancoliam. propter quod dicebat Octauius Horatianus libro quarto ad initiũ veteres omnes appellaſſe febrem quartanam filiam Saturni. Itaque vera ratio huius rei eſt,

est, quantum ego puto, quod paucissimus semper melancolicus est humor in humanis corporibus. Ratione ergo paucitatis deberent febres quartanæ etiam cito finiri: sed quia frigidus, crassus, & viscidus est humor: hinc fit vt diu duret, se seq; refrigerando propaget: ita tamen, vt cum sit paucus, necessario semper in anno finiatur. Sed videamus an verum sit non excedere annum, quia Auicennas scribit: aliquos fuisse, qui duodecim annos laborarunt quartana, Albertus Magnus, qui triginta. Ergo non videtur vera esse hæc Hipp. sententia. Dicendum est, quartanam considerari posse, vel secundum sui naturam, vel secundum accidens, si secundum se, non potest ob sui naturam vnquam excedere annum: & sic intelligendus est Hippoc. Sed si secundum subiecta, in quibus fit, possunt innumeri errores fieri in homine. proptetea si qui laborauerunt quartana supra annum id tribuendum est non naturæ febris, sed erroribus: nisi dicamus, quosdam a natura procliues esse in hanc. Plin. narrat Mœcenatem toto vitæ suæ tempore laborasse quartana, & Antipatrē Sidonium Poetam, omnibus annis, vno die tantum naturali correptum febri. Tertium erat, quid Hippoc. voluerit intelligere per intumuit. Nonnulli volunt intelligi intumuisse lienem, quia in quartana fere lien solet tumere. sed hæc opinio mihi non placet, quia Hippoc. semper illud solet annotare. præterea Gal. inquit: quartanam esse quidem securissimam nisi coniungatur tumor lienis. quasi vbi tumor lienis sit, quartana semper sit exitialis. Vnde cum hæc sit iudicata, non est æquum existimare habuisse lienis tumorem. Quare non puto ego aliud voluisse, quam totum corpus illius intumuisse; hac coniectura: quia cum hæc quartana laborabat, menstruis carebat. retentis menstruis, necesse est vniuersum corporis habitum fuisse repletum, & tumefactum, & eo maximè, quod in quartana semper fiat magna copia sanguinis serosi (quod ex copiosissimis sudoribus colligitur) quia ex frigiditate humoris calor naturalis obtunditur, vt vice sanguinis fiat serosus humor. Addo etiam, detumuisse post menstruorum eruptionem, quia exijt sanguis aquosus, qui totum corpus tumidum reddebat. Postremum erat, quid hoc Hippocratis sit, refrigeratam valde commotam, & sudasse. Aliqui dicunt febrem fuisse remissiorem; sed male sentiunt mea sententia: quia si de febre intelligendum esset, necesse fuisset vt dixisset aliquam causam extinctionis febris, dixit intumuit, tota refrigerata est. Nihil aliud voluit dicere, quàm tentatam fuisse rigore, & consequenter sudore: quia rigor est percussio & immanis quidam motus totius corporis. præterea vbi corpora sudatura sunt, vix vnquam fit vt rigor non adsit. Sed dicetis, quomodo fieri potest vt hæc mulier sit iudicata? quartana febre laborantes copiosissime sudare, omnes quotidie obseruare certò scio, attamen non liberari ab ea. præterea Gal. dicit: nullam crisim fieri sudore. Animaduertendum est vobis illud quod Gal. scribit apud Hipp. iudicationem nihil aliud esse, quàm magnam & subitam mutationem morbi ad vitam, vel ad mortem; ad melius, vel ad deterius. Adeo vt, quando dicit, aliquem esse iudicatum, non vult intelligere esse perfectè iudicatum, sed esse factam iudicationem ad bonum, vel ad malum. Et ita contigit in hac muliere: in qua rigor & sudor pepererunt mutationem magnam ad bonum, que deinde perfecta fuit a subsequente fluxione mensium: quia cum hi fluerent, & copiose iudicatio quæ a sudore perfecta fieri non potuit absoluta est.

lib. 7. cap. 5.

1. Epid sec. 3. tex. 4.

1. de dieb. Decretorys cap. 3

Ἐν τοῖσι σφίζουσιν αἱμοῤῥαγίσι χῆμα εὐρὺ τεὸν, καὶ τὸ ξύμπαν εἰ ἐκ τῦ πάντη κατάντεος ἀνάντες ... εἴη. Διὸ καὶ αἱ ἀποδέσιες αἱ ἐν τῇσι φλεβοτομίῃσιν ὁρμῶσι, αἱ δὲ ἰσχυραὶ κωλύουσιν οἷμα.

In pulsantibus sanguinis fluxionibus foramen amplum existens, & omnino si ex valde decliui accliue fiat, & propterea ligaturæ in sectionibus venarum impetum faciunt validiores prohibent sanguinem.

Hæc pars tota est chirurgica: atq; chirurgia non solum in magna existimatione fuit apud veteres: sed Chirurgi solum Medici sunt appellati. Vt propter hoc non sit mirum, maximè Hippoc. in hac arte excelluisse, quemadmodum ex præclarissimis illius hac de re commentatijs

tarijs clariſſimè liquet. Eſt autem chirurgica ſententia illa, quod in pulſantibus ſanguinis fluxionibus figura ampla exiſtit: & ſi omnino decliue ſit, accliuè fiat; vt propterea ligaturæ, & maximè fortes accommodatæ ſunt. Eſt hæc ſententia valde obſcura. Eapropter breuiter dicam quomodo aliqui hanc interpretati ſunt: deinde meam ſententiam adiungam. Illi exiſtimarunt Hippoc. hoc in loco duo nos monere; vnum eſt, quod in ſanguinis fluxionibus ſit facienda ligatura, ſiq; pars ex qua fluit ſit decliuis, accliuis fiat. Et quia Hippoc. dicit εὐρύτερον illi exiſtimarunt legendum eſſe εὐρετέον, & de hoc Gal. in linguis agit. Alterum eſt; quod monuerit in venæ ſectionibus eſſe faciendas ligaturas neq; debiles, neque admodum fortes: non debiles, quia non faciunt impetum ſanguinis: non fortes, quia prohibent. Quæ quidem vera ſunt; nam ſemper ſtudent chirurgi vt locum inueniant per quem effluat ſanguinis, qui ſi fuerit decliuis, faciunt vt ſit accliuis. Et eſt quoque veriſſimum quod de ligaturis dicunt. quare Oribaſius dicit: in venæ ſectione opus eſſe ligare cingulo lato duorum digitorum. Eſt etiam præceptum, vt habeatur ratio an ſit mittendus ſanguis craſſus & tenuis: an paucus, & copioſus, quia ſi copioſus & craſſus, dicit faciendum eſſe foramen amplum: Hæc quidem omnia ſunt veriſſima, ſed ſi videamus litteram Hipp. puto ego aliud dicere velle, & primum præſuppono, illum loqui de ſanguinis fluxu non ex venis, ſed ex arterijs, quia de pulſantibus ſanguinis fluxionibus verba facit, quæ ex arterijs neceſſario fiunt; quia ſanguis arterioſus propter motum cordis facit pulſationem. Neq; valet quod Gal. in expoſitione linguarum Hippoc. videatur habuiſſe variam lectionem: quia quomodocunque ſit, loquitur hic de pulſantibus fluxionibus. Vbi ſanguis exit ab arteria ſemper ſuo motu dilatat foramen. Addo etiam, quod vbi ſanguis exit e vena, nunquam foramen dilatatur niſi pars ſit decliuis: quia ita impetu ſuo dilatat. Dicit Hippoc. in pulſantibus fluxionibus ſanguinis foramen amplum fit. non lego ego χῆμα, ſed χάσμα. hoc eſt non figura, ſed foramen. Itaut dicat, ſemper fieri amplum foramen etiamſi ex decliui fiat accliuis. Et hoc cum maximo iudicio annotauit, vt nos doceret, vbi ſanguis fluit ex arteria, ſtatim occurrendum eſſe: quia ſemper foramen maius fit. Et hoc videbitis in aneuriſmate: quod etiamſi puſillum ſit nunquam a ſpermate; quia ſemper maius fit. Quod autem hoc ſit verum: addit ille, ligaturæ neceſſariæ ſunt, & fortes. Vult ergo ſtatim occurrendum eſſe, vbi eſt aneuriſma vbi ſanguis fluit ex arterijs: quia dilatat ſemper foramen. Et hoc faciendum eſt ligaturis, atq; fortibus. Verum cum ad cohibendum ſanguinem variæ ligaturæ conueniunt, quas hoc in morbo expedit facere? primo in partibus longinquis oportet facere ligaturas & fortes, non quidem leues, quę in ſectionibus venæ vſurpantur, vt impetum faciant in ſanguine. Quomodo autem fortes ligaturæ inhibeant ſanguinis impetum, facile eſt intelligere: quia dolorem efficientes faciunt vt natura ad ea ſanguinem mittat, ſicq; locus apertus exinanitus facilius conniueat, & couniatur.

τὸ ἔναιμον καὶ τὸ ὑπόχολον ὀξυρεγμῶδες. Ἴσως δὲ ἐς μέλαιναν ταῦτα τελευτᾷν.

Sanguineum & ſubbilioſum acidum ructum facit, forte autem in nigram bilem his deſinit.

Hæc ſententia eſt purus Aphoriſ. & nullam connexionem cum ſuperioribus habet. Eſt clariſſima, quia nihil aliud vult docere, niſi naturas ſanguineas ac ſubbilioſas, hoc eſt temperamenta ſanguinea & ſubbilioſa facile tentari morbis acidis, & forte incedere in affectus melancholicos. Eſt clariſſima, ſed ſi rectè expendatur habet etiam aliquas nobiliſſimas dubitationes: quibus ſolutis, facile patebit, quid his verbis doceat nos Hippoc.

8. meth cap. 5. Gal. dicit: ructum alium eſſe nidoroſum, alium acidum: hunc ὀξυρεγμίαν, illum κνισσώδην appel-

& li. 6. Aph. 1 lat. Nidoroſus fit, vt inquit ille a calore; acidus a frigore. Propterea dicit cruditatem nidoroſam facere febrem diariam, acidam non. Videtur fortaſſis alicui hic aliquis eſſe nodus, quia Hippoc. dicit temperamentum ſanguineū, & ſubbilioſum tentari ructu acido;

do a frigore. Hinc Trallianus dixit Gal. crasse quod non viderit etiam ructum acidum fieri posse a calore; & probabat exemplo vini quod acessit æquè temporibus calidis, ac frigidis, vt sicuti vinum æque æstate, atq; hyeme contrahit acorem, ita non videatur mirandum fieri acorem etiam a calore. Hanc sententiam sequutus est etiam Auerrh. Quæ si vera est facile possumus soluere nodum hunc, & locum in Hippoc. sententia. Sed alia & melior est ratio. Illud memoria repetendum est, quod scribit Gal. duo esse genera acoris aliud est, quod sequitur cruditatem aliud quod sequitur putredinem; acor qui sequitur cruditatem est ille qui fit in fructibus immaturis; qui fit ex mixtione portionis aqueæ cum terrea, quæ portio aquea quamdiu durat manet acor, quando concoquitur & absumitur fit dulcedo. Et hinc accedente æstate fructus fiunt dulces. Aliud est genus acoris, quod sequitur corruptionem, vt ficus, & palmule sunt enim quidam populi qui ex ficub. & palmulis corruptis faciunt acetum. Sed quæ est causa huius acoris? quia pars aquea quæ a calore natiuo gubernabatur, & veluti colligata erat deserta a calore natiuo soluitur & diluitur, atq; ita soluta & diluta efficit acorem. Vt in æstate quando pars aquea dissoluto calore natiuo, a calore externo corrumpitur, acor fit. Quod igitur nos vult docere Hippoc. hoc in loco, illud est, temperamentum sanguineum, & subbiliosum tentari ructibus acidis, non quidem aciditate illa, quæ fit a frigore, sed quæ a calore producitur præter naturam. Et hoc verum est, quia in huiusmodi corporibus, vbi cibi, & succi putrescunt, seu corrumpuntur, a calore diluitur humor, & soluitur, atq; hinc fit acor. Vt rectè dixerit Hippoc. sanguineos & subbiliosos tentari ructibus acidis. Sed si hæc vera sunt, cur dicit subbiliosos? quia si a calore præter naturam fit aciditas, ergo quanto maior est calor, tanto efficacior est causa illius, & propterea maior fieri debet a bilioso temperamento, quàm a subbilioso. Non poterat (respondeo) Hippoc. dicere temperamenta biliosa, quia pura biliosa, cum abundent maximè sicco & calido, tãtum abest, vt hanc humiditatem diluant, vt potius consumant: & hinc nullum amarum generat animal, vt marc mortuum. Ita in corporibus nostris, & temperamentis biliosis, non potest fieri aciditas, sed amaror. Et hoc est quod voluit nos docere Hippoc. vbi scribit ictericos non fieri flatuosos, quia cum bilis in his maxime abundet calida & sicca, consumitur humiditas. Videtis ergo quanto cum iudicio voluit dicere Hippoc. temperamenta sanguinea, & subbiliosa tentari ructibus acidis. Sed cur addit, & forte in melancoliam finiunt? hoc dubitanter dixit, quia temperamenta sanguinea & subbiliosa, non necessario commutantur in melancoliam, præsertim quando ructibus acidis tentantur, nam si aciditas fit cruditate, nequaquam potest desinere in melancoliam. Sententiæ autem Hippoc. hæc summa est; sanguineos & subbiliosos acidum eructantes forsan, hoc est, aliquando melancholicos euadere. Id enim experimento comprobatur, interdum sanguineos, & optimo calore prædictos simul etiam fieri melancholicos; quod quicquid boni est in sanguine membra in sese pro alimento trahant, reliquum impurum & tetrum intus maneat, ac viscera & præsertim cor, atq; cerebrũ violet.

lib. 7. & 12. *lib. 4. de med. simp.* *lib. 5. Aph. 72*

Ῥίγη ἄρχεται, γυναιξὶ μὲν μᾶλλον ἀπὸ ὀσφύος διὰ νώτου ἐς κεφαλήν. ἀτὰρ καὶ ἀνδράσιν ὄπισθεν μᾶλλον, ἢ τὰ ἔξωθεν τοῦ σώματος, οἷον, πηχέων, μηρῶν: ἀτὰρ καὶ τὸ δέρμα ἀραιόν. δηλοῖ δὲ ἡ θρὶξ τῶν ζώων.

Rigor incipit mulieribus quidem magis a lumbis per dorsum in caput. Quin & viris etiam parte corporis posteriore magis quam anteriore, velut cubitis, ac femoribus. Sed & cutis rara. Indicat autem capillus animalium.

Hæc sententia nullam plane habet connexionem cum præcedentib. est tamen maximi momenti, & scitu dignissima; quippe scripta etiam ab Hipp. Habet autem ea tres particulas, quas diligenter & sigillatim examinabimus; & ni fallor, cum fructu ingeniorum vestrorum. Prima itaq; est particula; mulieribus incipere rigores a lumbis, & per dorsum perreptare in caput. Secunda, viris incipere rigores magis a partibus posterioribus, quàm anterioribus, quemadmodum a cubitis, & coxis. Tertia & postrema est, hoc indicari a cutis raritate: & cutis raritatem, indicari a pilis animalium: hoc est quod Hipp. in hac sententia *6. Ep. com. 3. tex. 19. & li. 5. Aph. 69.*

nobis ſcriptum reliquit. Ante diximus rigorem nihil aliud eſſe, niſi ſubitam & inſignem totius corporis concuſſionem cum ſenſu frigiditatis, factam a lucta inter calorem natiuũ
lib.5 aph.69. & humores acres & prauos. Hanc rem alias optimè docuimus. Quib. conſtitutis Gal. exponens primam partem, inquit: propterea rigores incipere a lumbis, quia partes illæ ſunt frigidiores & magis ſenſiles; ſunt debiliores, vt propter hoc citius ſentiant læſionẽ humorum acrium: addit Gal. potiſſimum hoc contingere mulierib. quia ipſæ ſunt natura debiliores & frigidiores viris. Quod autem communicetur hic rigor per dorſum capiti, cauſa hæc eſt, quia lumbi ſunt admodum connexi ipſi medullæ, ita vt communicatus rigor medullæ communicatur capiti, cui connexa eſt medulla. De ſecunda particula dicit Gal. propterea viris a partib. poſterioribus. incipere rigorem, quod illæ partes ſunt debiliores, & frigidiores. Atq; cum cubiti coxæq; ſunt membra frigidiora & debiliora, vtpote remota maximè a corde; in his rigor prius incipit. De tertia parte; Hippoc. cum vidiſſet dubium eſſe poſſe, an partes anteriores ſint calidiores, et poſteriores frigidiores, dicit hoc ſignificari ex raritate: quæ fit à caliditate. Si itaq; anteriora ſunt rariora, ſunt ſanè calidiora. Quod autem hoc verum ſit, inquit Gal. probare Hipp. ex pilis animalium, quia vbi ſunt plures pili, partes ſunt rariores; plures pili ſunt in partib. anterioribus: ergo partes anteriores ſunt rariores & calidiores. Hæc eſt interpretatio Gal. quam habet in illo Aphor. & ſunt eadem fere verba, niſi quod hæc ſint planiora. Sed non caret hæc interpretatio nobiliſſimis dubitationib. quas in medium afferam. primum dubium eſt, an rigores in mulieribus &
ſec.2.prob 26 viris ſemper inchoant a partib. poſteriorib. & a lumbis, quia Ariſt. ſcribit: Medicos conſueuiſſe præcipere ægris, vt ante febres, contegerent pedes, eo quod rigores incipiant a pedibus: & huic ſententiæ experientia aſtipulatur, quandoquidem nullus eſt, qui in actu pra-
6 Epid ſec. 5. tex.30. ctico non experiatur ſemper prius frigere nares, & pedes. Sed quod magis eſt, idem Hipp. inquit: rigores magis fieri circa ventrem ſuperiorem, febrem in inferiorem: ſuperior venter qui ſtomachus eſt, in parte anteriori magis eſt collocatus; eapropter videtur inferre rigores magis incipere a partibus anteriorib. Dupliciter mihi videtur reſpõderi poſſe, vno modo, Hipp. non dicere quod a lumbis ſemper fiant rigores, ſed quod magis ab his. Sed alia reſponſio accõmodatior eſt, rigorem dupliciter conſiderari poſſe, vel prout a refrigeratione primò perdurat vſq; ad calefactionem; vel conſiderari poteſt ſecundum impetum illum & vehementẽ concuſſionem: ſi conſideretur primo modo, vere rigor ſemper inchoat a naribus, & pedibus. & hoc pacto loquitur Ariſt. quando dicit, rigorem incipere a pedib. intelligit totam illam refrigerationem a principio vſq; ad finem, & hoc rariſſimum eſt. Si alio modo conſideremus, rigor a partib. poſteriorib. ſemper incipit, quia verè illa percuſſio oritur a partib. poſteriorib. a medulla. Ad Hipp. verò dicendum comparare ventriculum, & inteſtina quo ad rigorem & febrem, ac dicere, ventriculum ob ſui ſenſum exquiſitum ab humorib. acrib. magis excitare rigorem, hoc eſt, agitationẽ totius corporis pro depellendis ſuccis mordacib. inteſtina vero cum ſint putredinis loca, magis febrem facere, non propter hoc tamen negat, quin in febrib. vbi locus putredinis non ſit in aliqua parte, inchoet a lumbis: ſed hic quoq; aliquod dubium oritur, quomodo dicat mulierib. rigorem oriri a lumbis; viris non ab his incipere aſſerat, ſed a partib. poſteriorib. præterea; quæ eſt ratio, quod a pedib. non incipiat? Primum reſpondere poteſt, hoc maximo iudicio dixiſſe Hipp. quia viris verè incipiunt rigores a dorſo a parte poſteriori; mulierib. a lumbis, quia vterus ſubtus lumbos eſt, vnde fit vt ratione vteri partes lumbi ſunt debiliores & frigidiores & lucta potiſſimum ſit circa has partes. Secundæ dubitationi reſpondendũ, pedes non percipere rigorem, quia in ipſis non ſit lucta, cum partes illæ non ita offenduntur. Sed quę eſt huius rei cauſa? Natura cum animaduerteret pedes debere continuò calcare terram & cõſequentèr impingere reb. duris, ne læderẽtur fabricauit eos ligamẽtis, neruis duriſſimis: vt propter hoc nequaquã vellicetur ab humorib. acrib. Quod hoc ſit veriſſimũ, poteſtis ex eo conijcere, quod pedes nudi, quãtũuis calcent terrã, nunquã cõſumũtur, ferrũ ſole ęque ita. Et ꝓpterea nõ eſt mirũ, ſi refrigerantur quidẽ ſed non rigent. Circa 2. particulã nõ eſt minor dubitatio, quia non videtur eſſe verum, propterea in viris incipere rigores a partibus

bus posterioribus: quia sunt quidem frigidiores, sed non debiliores: quia onera magis feruntur partibus posterioribus, quàm anterioribus. Non itaq; consentaneum est, vt a partibus posterioribus incipiant rigores, quia sunt debiliores. Alia itaq; causa est, quod in partibus posterioribus, magis lucta inchoet propter venam cauam, quæ solet esse fomes & focus putredinis. Et hoc facile intelligere potestis, quia vbi febricitant homines, maximè solent vexari dolore dorsi. Atq; illud est quod appositissimè nos voluit docere Hipp. in coacis prędictionibus, inquiens: dolores dorsi esse molestiores in febribus, quia maximas molestias pariunt, propter maximum incendium, quia ibi est focus putredinis: nam esse molestiores, quia magis sensibilis ille locus est (vt dicunt aliqui) non puto, quia vētriculus multo magis sensibilis est: vnde rigor in illo deberet esse molestior. quanquā dicere possumus esse molestiores ob viciniam spinalis medullæ, qua rigore affecta, postmodum cerebro malum facile communicatur. Circa postremam partem est quoq; non leuis, nec inutilis dubitatio; scilicet, vtrum verum sit, pilos animalium magis abundare in partibus anterioribus quam posterioribus: nam si diligenter videamus bruta animantia, siue in ipsis faciamus partē posteriorē dorsū, siue eau dam, quælibet harū pilosior est, quam anteriora sunt, excepta tamen simia: imò Aristot. quærit rationem propter quam animalia bruta habent partes posteriores piliosiores, homo autem anteriores, idcircò esse inquit, quia natura semper tegit partes debiliores magis, vt cum in homine sint partes anteriores debiliores, in brutis posteriores, iure magis sint pilis tectæ. Itaq; non est verum, vt inquit Hipp. pilos ostendere raritatem cutis, quia vt inquit Gal. pili sunt plures in anteriorib. partib. quàm posteriorib. Pro solutione dupliciter responderi posse existimo; partes quæ statim sese offerunt obtutui, & oculis nostris, ac proinde iniurijs externis, & pſertim aere anteriores esse, scilicet partes pectoris, quod si verum est, necessarium est anteriora esse pilosiora. sed si hoc non placet, est alia ratio soluendi hunc nodum, scilicet delendam esse vocē animaliū, vt intelligatur de pilo humano; vnde si deleatur hæc dictio, nec esse pilosiores, quia reuera calidiores, quod sit delenda, ex eo colligo, quod in sexto Ep. sect. 3. tex. 19. nequaquam est. Vt iure existimet Hipp. partes anteriores esse rariores, quia sunt piliosiores. Ex his colligere potestis in rigorib. certādum esse remedijs applicatis spinali medullæ, & dorso. Ætius ex sententia Herod. dicebat aduersus rigores optimū esse dorsum & spinalē medullam, vnde inchoat rigor obtegere lanis oleo sycionio gleucino, aut rutatacco imbutis.

10 sect. Prob. 52.

Ηντιν οὐδὲν ἔσω τοῦ τεταγμένου χρόνου ἑκάστοισι τὰ τικτόμενα.

Quibus nihil intra constitutum tempus, singulis partus vitales fiunt.

Hæc omnia fere pertinent ad conceptum, & ad partum, in quib. ea nobis proponit, quę & rara, & obseruatione digna existimauit, & propter hoc debetis diligētes esse in ijs intelligendis, & memoria cōplectendis. Dicit Hipp. si nihil aduersi contingat fœtui dum est in vtero eo tempore quo permanet vsq; ad partum, tum partus vitales fiunt. Siue enim vitales intelligamus, siue fœcundos, nihil interest: nam Hipp. & Gal. in expositione linguarū scribunt, hanc vocem ἀτόγονα vtrumq; significare. Vt autem intelligamus, quæ his verbis comprehenduntur ab Hipp. primo videre oportet quid sit illud inimicum de quo loquitur, prætera videre oportet, quid significat apud Hipp. tempus cō stitutum, scilicet quod sit illud tempus constitutum partus, de quo loquitur. Et prius scire debetis, Hipp. his verbis nobis præcepta & documenta vtilissima relinquere, cùm ex parte prægnantium, tùm ex parte Medicorum, ex parte prægnantium, esse diligenter animaduertendū, nē aliquid contrarium contingat tempore, ex parte Medicorum, vt intelligant, an partus sit futurus vitalis. Vtile præceptum, tum ad præcognoscendum, & prædicendum, tum ad præcauendum, & curandum: nam (vt scribit Plut. lib de sera niminis vindicta) quoties aliquis nascebatur ex patre epileptico, phtisico, statim eum curabant. Quę itaq; hic aduersa appellantur, sunt omnes causæ lædentes & corrumpentes foetum: quæ vel internæ, vel externæ sunt. internæ causæ sunt, vel naturales, vel morbosæ, de quib. omnib. scribit Hipp. copiosissime. Inter causas naturales est angustia vteri, de qua Hipp. scribit, & Aet. Est præterea debili- *lib. de morb. mul. libr de superfœtat. lib. 16. cap. 16*

debilitas dorsi mulieris; ligamentorum; intemperamenta corporis, causæ præter naturam, sunt omnes morbi similiares, & instrumentales: & præsertim morbi acuti, de quib. loquens Hippoc. dicebat: mulierem prægnantem tentari morbo acuto, malum est: & vt inquit Gal. in commentario vel ipsi matri, vel fœtui, vel vtrique. Causæ externæ multæ sunt: est aer de quo loquitur Hippoc. & Arist. aer fœtidus, maxime infestus solet esse omnibus prægnantibus, adeo vt dixerit Arist. odorem extinctæ lucernæ maximè eas lædere. Sic motus vehemens corporis & animi. præsertim verò læduntur a medicamentis: adeo vt iure iurando cautum sit, ne quisquam possit his partum perdere, ab Hippoc. Quod igitur nos vult docere Hippoc. est, semper fœtus suapte natura esse vitales, nisi aut interni aut naturale sit impedimentum, ac morbus fiat, aut causa externa accedat. quod quidem præceptum vtile est Medicis non solum ad prædicendum, sed etiam ad prouidendum vbi fœtus est in vtero, & vbi partus est editus. Sequitur vt videamus quod sit constitutum illud tempus de quo loquitur Hippoc. & si aliquod impedimentum contingat partui, nō esse vitalem. Prius supponendum, quod dicit Hipp. scilicet causas partus multiplices esse, quibus suapte natura properat ad exitum: prima est, robur facultatis motricis fœtus; tum magnitudo corporis illius: postremò inopia alimenti. Vbi igitur hæc concurrunt, vt fœtus sit robustus, vt sit maior quam capere possit locus, & vt inopia laboret alimēti, tunc calcitrans soluit ligamenta, quib. alligatus est, & ita sibi parat exitū. Itaq; tempus debitū est, quando fœtus est perfectus robustus, grandis, & alimenti penuria laborat. Imo aliud supponere debetis, quod scribit Arist. & quod cōfirmatū est a Plin. scilicet omnia animalia bruta, habere tempus partus determinatum, quod nullum indiuiduum vnquam transeat: vt elephanti pariunt duob. annis, nec vllus vnquam excedit, asini & muli duodecim mēsib. equi vndecim: ouis & capra quinq; canis & sus quatuor: homo dicit Arist. non habet certum tempus sui partus: nam interdum nascitur septimo, aliquando nono; imò sæpe nonnunquam decimo & decimoquarto mense, vt Auic. dicit; octauo mense nullus vnquam vitalis partus. Adeò vt præcipua sit differentia inter bruta, & homines, quod illa semper eodem tempore, hi diuersis pariunt temporibus. Circa hanc partem tria occurrunt vtilissima & pulcherrima problemata. Vnum est, vnde fiat vt inter bruta aliqua celerius, aliqua tardius pariant. Secundum erit, cur in vno quoque genere brutorum, idem sit semper tempus ordinatum, in homine modò vnum, modò aliud. Tertiū cur iuuant partus septimus mensis, nonus, vndecimus, & octauus nō iuuat, exceptis tamen Ægyptijs fœminis quas scribit Arist. etiam edere partus octimestres vitales. Pro resolutione primi problematis, puto duas posse legitime assignari causas. Vna est caliditas & vis perfectoria ipsius animantis: nam quæ temperamento calidiore sunt, citius edunt partus: quæ frigidiora tardius. Secunda causa est viuacitas. ita enim natura comparatum est, vt cuncta viuentia babeant quatuor tempora, principium, augumentum, statum, & declinationem, quæ tempora in animantibus ita sese mutuò consequuntur, vt quicunq; habent vnum tempus longius, habeant etiam alia proportionaliter: vt quæ habent longam declinationem, habent etiam longum statum, principium & augumentum. Igitur cum ea sit quasi lex naturæ, & regula; patet manifestissimè, ea quæ diu viuunt, oportere etiam vt diutius in vtero maneant. Elephanti sunt viuacissimi omnium animantium, & propterea habent longius principium; muli, asini, & equi pariter sunt viuaces, quare etiam principium respondeat omninò necesse est. Adeò vt certissimum sit hæc tempora se innicem consequi & viuaciora tardius: breuis vitæ, citius in lucem edi. Ad secundum problema quod attinet, forte a nemine ante disputatū, aut solutum. Auerh. dicit: propterea bruta habere semper idem tempus pariendi, quia semper in vnaquaq; specie habent idem temperamentū, homo non ita: in quo cum diuersa sunt temperamenta diuersa quoq; habet tempora pariendi. Hanc sententiam Alber. Magnus est secutus, & existimauit sufficere: atq; propterea dixit hanc diuersitatem facere morem viuendi, qualitatem alimētorum, eosdem animi motus, necnō eandem complexionem; quasi bruta habeant idem tempus, quia omnibus idem est mos viuendi, idem cibus, & temperamentum; hominum alia ratio; vtuntur diuersis cibis alia...

atque

Margin notes: l. 5. Aph. 30. — lib 3. Aphor. 1. sect probl. 8. de hist. animal. cap. 1. — li. de nat pueri et li. de septim part. — 7 de hist. animal. ca. 4 lib. 7. cap. 5. — in com 4. de gen. anim. c. 4 lib. 9. de animalib. cap. 4. & lib. 13 c. 2.

atq; alia viuendi ratione, & moribus, & consequenter diuersas habebat tempora pariendi. Vtraq; opinio speciosa esse videtur, sed si res ipsa, naturaq; illus diligenter perpenditur, secus est, primū enim in vnaquaq; specie sunt indiuidua: quæ differunt forma indiuiduali & suū habent temperamentū. Præterea non est concedendum vti asinos, mulos, equos iisdem cibis: imò apud Plutarch. legimus, pluribus alimentis vti. Neq; differentia temperiei potest assignari, quia si verum est propter varietatē complexionis variā etiā esse tempora pariendi, in mulieribus cum sunt infinita temperamenta, etiam infinita debent esse pariendi tempora; & propterea verum esset vt debiliora frigidiora vndecimo parerent, robustiora & calidiora septimo mense, hoc autem falsissimum est, rarissimè pariunt septimo, & vndecimo, frequentissime nono. Propter quod soleo ego dicere Dominum nostrum Iesum Christum voluisse nasci nono mēse, quia est tempus maximè commune. Igitur non sunt veræ illorum sententiæ. Quid ergo in hac salebrosa quæstione afferendum est? Ego si in re obscura aliquid mihi est in medium afferendum, existimo causam finalem fuisse naturæ, vt quantum fieri possit, abortus in humano genere vitaremus, quia si vnū tempus fuisset, multo facilius fuisset errare, nunc autem quia iam parit septimo nono vndecimo, non est ita facile abortus fieri, sed dicet aliquis ergo bruta deberent sæpissimè abortire: at hoc non est verum; frequenter aboriunt mulieres. Huic prudenter & vere puto responderi posse; naturam potius in homine hoc machinatam esse, quàm in brutis, quia bruta non ita errant in victu, non ita offenduntur ab aere; fœminæ autem infinitis causis abortum facientib. sunt subiectæ, & præterea huic sceleri, vt sponte interdum perdant fœtus, quod nunquam faciunt bruta. Videtis ergo qua ratione voluit natura diuersum esse tēpus pariendi in homine: quia scilicet videbat varias causas perdendi fœtus habere. Alia causa est, quia bruta habent determinatum tempus coeundi, & concipiendi: homo omni tempore, hora, & momento vtitur coitu. & propterea fit, vt bruta semper habeant semen æque perfectum: homo nequaquam: interdum perfectum, aliquando semiperfectum; iam imperfectum nonnunquam imperfectissimum. Vbi perfectum habet semen parit partum septimestrem: vbi minus perfectum, ob crebros coitus, aliaq; tardius. Et quia sæpius se habet homo medio modo, hinc fit, vt medio tempore pariat frequentius nono inquam mense. Erat tertium problema cur octimestris partus non nascitur vitalis, quæ disputatio ab omnibus fere Philosophis, & Medicis tractata est, vt ab Aulo Gellio. *lib. 3. cap. 16.* Sed priusquam hanc attingam, operæpretium est nonnulla situ digna præmittamus. Illud primum est stabiliendum, octimestres partus minimè vitales reputari ab hominibus: Quod vtrum verum sit necne, dubitari facillime potest, quia sæpe mulieres falluntur in computatione dierum conceptus. Sed vt tradidit Hippoc. credendum est hac in re mulieribus, quæ asseuerant natos octauo mense minimè superstites esse. *lib. de sep par.* Id quod voluit etiā docere Hippoc. inquiens: est, & non est, hoc est editur quidem in lucem, sed non vitalis. *lib de Alim.* Hanc merito quidem probauit Arist. nasci quidem vitale. *lib. 7. de Hist. anima. cap. 4.* Sed in Græcia neminem seruari: quanquam in Ægypto, & alijs terris fertilibus interdum superuiuant octimestres. Hanc eandem varietatem confirmauit Plin. scribens Cæsoniam natam esse octimestrem, & superuixisse, narrat quoq; Atheneus mulieres in Asia parere octauo mense foetus vitales. Aliud stabiliendum est, ante septimum mensem nullibi, & nūquam foetum superuixere: sed ita intelligere oportet septimum mensem, vt inchoauit, hoc est, vt præterierit dimidium sexti mensis, Hippoc. enim terminum huius mensis dicit esse centesimum octantesimum secundum diem. ita vt quicunq; natus sit, ante hunc diem, fieri non potest, vt sit vitalis. propterea credere non possum, quod scribit Arist. interdum aliquem natum esse tertio mense, & superuixisse: fabulas etiam puto esse, id quod scribit Ferdinandus Mena in commentario supra lib. Hippoc. de sept. partu, quendam Madridij natum esse sexto mense, & superuixisse. *lib. 7. de Hist. anim. cap. 4. et li 4. de gen. anim. cap. 4.* Constans opinio est natos decimo, vndecimo mense vitales esse: imò Auic. scribit se audiuisse a quodam fideli, aliquam peperisse decimoquarto mense, & superstitem fuisse, relatum est Hadrianum Imperatorem accitis in concilium Philosophis & Medicis sanxisse lege, posse decimoquarto mense nasci foetum, & superuiuere. De

octime-

octimestri partu, aut nunquam, aut rarissimè, & in paucissimis locis viuere, videtur esse apud omnes constitutum. Cum autem res ita se habet videndum est, qua ratione fiat vt partus octimestris non viuat. Astrologi non existimarunt aliunde fieri, quam quod sit subiectus Saturnũ, qui cum sit frigidus & siccus, dicunt propterea fieri non posse, vt viuat: deputant enim menses planetis, vt incipiat a Saturno, vnde octauus iterum incidit in Saturno. Sed hæc sententia refutata est ab Arist. & Auer. hac ratione, causam interitus partus octimestris voluerunt esse morbum causam præter naturam, astra sunt causæ naturales. Quod causæ præter naturam oriantur ab astris causis naturalibus, est omnino impossibile. Ioan. Piccus lib. tertio capite decimo octauo conatus est alia ratione euertere, quia astra sunt causæ cęlestes: a coelesti & diuino nihil nisi diuinum proficisci potest. Itaq; mors infantis res turpis & praua non potest fieri vitio coeli, quod est causa diuina. Post Astrologos fuerunt Arithmetici, & Pythagorici, qui & ipsi crediderunt non posse superuiuere, quod octimestris partus oritur sub numero octauo, qui est numerus imperfectus: dicunt enim omnes numeros impares esse perfectos, omnes pares esse imperfectos, excepto solo denario. Hanc Pythagoric. & Arithmetic. opinionem, sequutus est Alexand. vbi scribit: propter numerum octauum imperfectum non posse superuiuere. Sed contra hos breuiter dici potest, id quod dicit Gal. lib. de diebus decretor. vbi probat non posse rationem illorum pendere a numero, quia numerus est res abstracta. Idem nos de octimestri partu dicere possumus, non posse a numero oriri facultatem, quę sit corruptrix foetus octimestris. Mathematici alia via incederunt ad asserendam causam interitus partus octimestris. Hi enim tribuebant omnes menses foetus dum in vtero est signis Zodiaci; & quia in his aliqua sunt signa dissociabilia & infoelicia, dicebant ab huiusmodi signis gubernari foetus octimestres: qui propterea intereunt, quia sunt sub signo dissociabili & infoelici. Sed quod aduersus Astrologos diximus, idem aduersus Mathematicos dicere possumus; a sideribus causis coelestibus, non posse oriri effectus mortales, & corruptibiles. Arist. & Auerrh., alia via incedunt, scribunt enim: inter foetus alios esse qui habent calidum natiuum validum & robustum; alios qui habent imbecillem; & hos magis, illos minus. Hoc constituto, dicunt: foetus septimestres propterea esse vitales, quia producuntur a calido natiuo, valido qui perficit foetum breui tempore; quem perficere solet imbecillis longiori. ab imbecillo calore inquiunt fieri octauo, nono, decimo mense editum partum: prout vel magis, vel minus est imbecillis: atq; propterea hunc foetum minimè vitalem esse qui octauo mense in lucem producitur, quia tardat post mensem, & anticipat ante nonum, tarditas illa non potest oriri, nisi ab aliquo accidente graui, & præter naturam, & hac de causa inquiunt fieri non posse, vt superuiuat. Hęc sententia Philosophorum grauis quidem est, sed patitur difficultates non exiguas, & propterea etiam a Medicis solet refutari: primum enim si verum esset septimestrem partum oriri a calido robusto, sequeretur necessariò multo meliorem conditionem esse septimestris, quàm nouimestris & decimestris, quia producitur secundum Arist. a calore robustiore. Sed hoc vsu experientia falsum esse comprobatur, quia septimestres non semper viuunt; & superstites solent semper esse imbecilliores. prętcrea non videtur alia ratione verum esse id quod scribit Aristot. quia in compluribus regionibus reperiuntur mulieres quæ sunt debiles & viri, & consequenter fœtus etiam fiunt debiliores, nihilominus rari sunt, præterquam qui oriuntur nono mense. Et quia videbant Arist. & Auerh. interdum aliquos octimestres superuiuere, dicebant hoc tum contingere, quando fit, vt fœtus habeat calorem medium. inter septimũ, & nonũ. Quod ex eo falsum esse probatur, quia reperiuntur multa temperamenta media: quare deberent etiam multi hac ratione superuiuere. Albertus Magnus aliam sententiam videtur esse sequutus: & in hoc recessit ab Arist. quem alioqui sequi consueuerat, habuit autem initia suæ sententiæ ab Hipp. inquit enim, quemlibet fœtum septimo mense moueri: in quo motu maximè laborat, & debilitatur; sed natura adhuc retinet ipsum, donec ab hoc labore septimi mensis veluti recreatur. si permaneat donec recreatus sit, oritur vitalis, & tunc oritur nono, decimo, vel vndecimo mense. Si autem antea

exit,

Lib. 4. de gen. animal. cap. 4

sect. 2. Probl. 44.

lib. de sept. & oct. part.

exit, fractus, debilis, & imbecillis est & consequenter viuere non potest. Hanc sententiam exceperunt plærisque, & præsertim Auic. vbi scribit ea ratione non superuiuere octimestres partus, quia tardant a septimo mense propter imbecillitatem, & anticipant nono mense. Hanc sententiam neq; ipse velim aspernari cum alijs. Sed puto alias rationes subiungendas, quas Hipp. nobis proposuit. Proponit itaq; nobis, sed obscuris verbis alias causas, de quibus etiam meminit lib. de alimen. & sexto Epid. scilicet partum, dum est in vtero magnas mutationes habere conceptum, motum, & exitum: quæ venustissimè Tertul. appellat tributa partus. Huiusmodi mutationes, habent hanc proportionem inter se, quod tempus motus semper est duplum temporis conceptus: tempus partus, triplum temporis motus. Iam verò, vt inquit Arist. & Hippoc. locis citatis tempus conceptus varium est: nam in marib. intra dies triginta aut triginta quinq; nunc quinquaginta, aut quadraginta quinq; , aut quadraginta in fœminis. Si duplicetis ergo trigesimũ quintũ faciunt septuaginta, si quadragesimum quintũ faciunt nonaginta. Vt seruata hac proportione prędicta; cadat partus in septimum, nonum, decimum, vndecimum mẽsem, nunquam autem in octauum. Quod si forte hæc proportio cadat interdum in octauum, est vitalis. Sed rarissimum est. Hæc admirabilis & diuina pene obseruatio Hipp. est ex mulierum tamen aurib. & animaduersione deprompta. Secunda causa est, quod in partu idem contingere solet, quod in morbis; hi, vel sunt acuti; vel longi: acuti iudicantur septem diebus, vndecim, quatuordecim, longi septimanis septem, quatuordecim. Et quia fœtus proportione æmulatur hunc motum, propterea fit, vt non possit exire & iudicare, vt sic dicã nisi septimo, nono, decimo, & vndecimo mense. Et hinc fit vt octauus partus non seruetur, quia oritur fractus a septimo mense & anticipat nonum mensem, quo tempore deberet esse recreatus a labore. Postrema ratio est, quod natura omnibus suis operibus præscripsit terminos ordinatos, vnde quoq; præscripsit fœtui, vt non nascatur nisi septimo nono decimo, & vndecimo mense. Et quia poterat negari huiusmodi terminos esse a natura præscriptos, inquit Hipp. vsu, & experientia comprobatum esse; quod enim frequentissimè fit, naturale est, vt docet Arist. quod raro, præternaturam; sed frequentissimum est vt septimo mense, nono, decimo, & vndecimo in lucem editi superuiuant, ergo necessarium est colligere hunc esse terminum naturalem. Et partus octimestres rarissimè superuiuunt aut nunquam, ergo partus morbosus & præternaturam.

21. 3. trac. 1. cap. 1. & li. 9 de animal. c. 5

lib. de septim. & octim. par.

lib. de patientia.

lib. 7. de hist. animal. & 4.

lib. 2. Phisic.

Τὰ ἐπιφαινόμενα ἐν οἷσι μησὶ γίνεται. Οἱ πόνοι ἐν περιόδοισιν, ὅτι ἐν ἑβδομήκοντα κινέεται, ἐν τριπλασίοισι τελεῦται.

Apparentia in quibus mensibus fiunt, labores in circuitibus, quod in septuaginta mouetur, in triplicibus perficitur.

Hęc dictio, quemadmodum & superior, & subsequens, habetur quoq; sexto Epid. sect. octaua tex. septimo, & octauo circa initia. Est autem ipsius sententia: debere medicum cõsiderare quę apparent, & qui labores fiant in circuitibus; & quod id quod mouetur septuaginta dieb. ijsdem triplicatis perficitur. Scire autem oportet labores & apparentia idem esse: sunt verò vomitus, angores, dolores, febres, & demũ id omne quod aduersum fœtui supra vocatur. Vult igitur Medicum considerare quibus mensibus fiant, an tertio, quarto septimo, &c. Siquidem fieri solent tempore conceptus, & motus: vnde ex ipsis conijcere licet tempus partus. Est etiam alia vtilitas pro vsu artis: quoniam ex mensium cognitione in quibus fiant, possumus colligere modum curationis. Exempli gratia, dicit Hipp. Grauidas mulieres a quarto mense vsq; ad septimũ non esse purgandas. Dicit etiam eas a vene sectione abortire: & alia huiusmodi; sic etiam ex cognitione laborum, vt dictum est cognoscuntur menses motus, & ex hisce triplicatis perfectio fœtus, & partus. Nec valet quod plæræq; mulieres tardissimè sentiunt motus, nec habeant apparentia: quia id est per accidens & non naturaliter.

li. 4. Aph. 2

Ὅτι μετὰ γυναικεῖα δεξιὰ. Τὰ δὲ ἀριστερὰ χάσκει.

Post menstrua dextra, aliquando sinistra hiant.

Breuis quidem dictio, sed ita vtilis est, vt nulla esse possit magis. Habet autem duplicem connexionem, cùm communem, tùm particularem: communem quia versatur circa affectus muliebres: particularem quia supra docuit modum cognoscendi cõceptum, nunc docet modum concipiendi, quid quæso hoc potest esse carius generi humano? Est itaque eius sententia, post menstrua os vteri hiare tàm in dextra, quàm in sinistra parte: quasi dicat, eo tempore maximè fieri conceptum. hoc est post menstrua. Videte Hippoc. vbi scribit: eum qui cõceptui inhiat, debere adire mulierẽ post mẽstrua; quia tũ. vteri os hiat. Sed vt præclaras contemplationes pedetentim disquiramus, ante cœtera videre oportet, quid sit hiare apud Hippocr. χάσκειν; deinde cur addiderit dextram & sinistram partem hiare; nam satis videbatur dixisse fieri conceptum post menstrua. Hiare apud Hipp. nihil aliud significat quam aperiri, dilatari: nam quotiescunq; conceptus est in vtero, os vteri clauditur, vt neq; acutissima acus possit illud penetrare. docet hoc Gal. præ cæteris, alijs temporib. os vteri sẽper hiat: sed iam magis iam minus aperitur. fluẽtib. mẽsib. latissimè hiat; postquam mẽstrua desierunt, hiat, sed minus, post partum minimè, ne loculi semper aperti, contaminentur. ptoptera virginibus semper clausum est os vteri, ne vel frigore, vel puluere loci contaminentur. Fit autem conceptus, quando semen suscipitur, & retinetur. fluentibus menstruis suscipitur quidem, quia os vteri amplum est, sed præ humiditate elabitur, vel ita diluitur, vt inefficax fit. in interuallis menstruotum non suscipitur. desinentibus menstruis semen suscipitur, quia os vteri hiat: attrahitur, quia cum sit exiccatus vrerus, a semine cupit irrigari: retinetur: quia cum siccus sit, semen susceptum minimè elabitur. Quare videtis quomodo dicit concumbendum esse post menstrua, quia os vteri hiat: & propterea semen attrahitur suscipitur & retinetur. Sed cur dicit, modo dextrã, modo sinistram partem hiare? doctrina firma & frequens est Hippoc. mares generari in dextra, fœminas in sinistra vteri parte. Id quod habetis qũinto Aphorismor. 38. & 48. imò idem sex. Epid. comment. sex. scribit dextram mammam dextrum oculum, maximã vim habere in tota naturæ fabrica, & in omnibus operationibus. Sed quod magis est, inquit libro de fœt. & superfæt. vbi marem quis generare cupit, debere vincire testem sinistrum, vbi fœminam, dextrum. id quod non modo omnes Hippocr. sectatores affirmarunt, sed bubulci in arietibus solent obseruare. Cæterum circa hæc quæ audiuistis, tria occurrunt diligenti discussione digna, primũ est, quomodo fieri potest, vt vel dextra, vel sinistra pars vteri separatim potest hiare, quia est corpus sphæricum, vt si vel vna pars aperiatur, simul etiam aliæ partes videantur aperiri. Præterea discutiendum est, an verum sit, statim post menstrua concumbendum esse ad cõceptum faciendum. tum an verum sit, mares dextra, fœminis sinistra magis generari. Circa primum, sciendum est hiare non solum significare aperiri sed dilatari. Ita vt, si verum sit, vterum non hiare aperiri, nihilominus fieri potest, vt magis dextra quam sinistra aperiatur, dilatetur. Veruntamen scire debetis falsissimum esse quod plæriq; putant, scilicet in vrero veluti cellas quasdam esse, in quibus feruntur embryones. Imò non defuerunt qui existimarunt, tot esse cellas, quot possunt mulieres concipere. Sed hoc est falsissimum, quia si verum est quod scribit Arist. interdũ concipere quinquies. Imò quod scribit Albert. & Auic. quandoq; 60. & 100. abortus esse factos: certè oportebat in his tot cellas esse quod erant embryones. Quare sicuti verum est, discretas esse dextras a sinistris, ita falsissimum est loculos reperiri. Erat secundum, an statim post menses cõcumbendum, quia Hipp. videtur diuersa scripsisse: primò enim de morb. mulieb. non longè ab initio scribit; pro conceptu faciendo concumbendum esse inchoantibus mensibus, addit vel desinentib. atq; optimum esse iam finitis mensibus concumbere: quam sententiam Gal. sectatus esse videtur, vbi scribit malum esse mulierem

1. de morb. mulier.

6. Epid. sec. 6. & alibi.

5 Aphor. 54. & 3 de facul. nat. cap. 3.

7. de Hist. animal. cap. 4.

lib. de sect. vteri cap. 10.

rerem adire fluentibus mensib. quia neq; semen recipitur, vel si recipitur, contaminatur nimia humiditate. id quod etiam docuit Hipp. in Aphor. scribens, vteros nimium humidos minime concipere. Ex altera parte est Hipp. auctoritas libro de natura puer. & lib. de locis in homine. quibus in locis docet concumbendum esse dum venæ vteri non sunt repletæ, sed exiccatæ, quia alias attrahere semen non possunt, idem scripsisse videtur Arist. quando scilicet vteri sunt exiccati. Pro solutione huius difficultatis, dicendum est, conceptum duplicem esse posse, vel naturalem, vel præter naturam. naturalis & perfectus fit tantum post finitos menses. Sed imperfectus & non naturalis potest fieri omnibus temporibus. Id quod habetis etiam apud Arist. in loco citato, vbi scribit, interdum fieri conceptus etiam fluentibus mensibus, atq; etiam in interuallis, maximè in illis quarum vteri remanent hiantes, dixi autem hos partus esse præter naturam, & præsertim conceptum qui fit fluentibus mensibus, quia vt perhibent omnes fere Arabes, & præsertim Auic. conceptus qui fiunt fluentib. mensib. plærunq; aut semper solent fieri leprosi, aut infirmi. imò vero & Hesiodus & Hebrei, vt est apud Ezechielem hac ratione prohibuerunt concubitũ cũ menstruata ne conceptus fierent leprosi, aut elephantici, quemadmodum D. Hieronymus attestatur. Ergo verissimum est fieri conceptus perfectos & naturales sæpe post menses; præter naturam & raro, fluentibus mensibus. Erat postremum, an verum sit mares dextra, fœminas sinistra parte fieri; Hipp. Parmen. & Anaxag. in ea fuerunt sententia, tunc fieri mares, quotiescunq; a dextro testiculo proijcitur in dextrũ vteri sinum. fœminas autem, cum a sinistro in sinistrum vteri sinum. Ex altera parte est experientia, quia quotidie experimur mulieres aliquas parere fœmellas, etiamsi habent dextras maxillas rubentes, & æquum est tales parere mares: alias mares parere, etiamsi rubor sit in sinistra parte. Sed quod magis est Arist. dicit: eos confutari, quod in anatome apparet sæpe foetus gemellos in vtero indiscriminatim esse. Ex quo experimento Arist. facile colligitur hoc Hipp. mares in dextra, fœminas in sinistra parte vteri generari, non esse verum. Pro huius rei solutione dicendum, verum esse id quod scribit Hippoc. & naturaliter, & frequẽter fieri mares in dextra parte, veruntamen per accidens & raro solet interdum aliter contingere. Gal. & Vesal. scribit: dextrum testem calidiorem esse in fœmina & mare, quia ad hunc ex vena caua rami ampli pertingunt: ad sinistrum vero exiles. Sed quanquam hoc naturaliter, & frequens sit, attamen per accidens interdum contingit vt e dextro teste proijciantur semen in sinistrum vteri sinum: & sinistro, in dextrum. Atq; hinc fit vt mares in sinistro, & fœminæ in dextro fiant. Adeo vt non sit existimandum, semper mares in dextra foeminas in sinistra vteri parte fieri. nam vt ait Arist. ad generationem maris tria concurrunt, robur facultatis formatricis, spiritus robustus & calor, necnon causæ externæ venti, & victus. si robusta est facultas, spiritus atq; calor, & bona victus ratione, ventoq; septentrionali vtatur, fiunt mares. Si langueant illa, & ventus sit australis, foemellæ. Dictum iam est satis quomodo tempus concubitus optimum est post menses; & mares dextra parte foeminas sinistra fieri.

7 de Hist. animal. cap. 2.

lib. 14. de vsu part. cap. 7. lib. 5. cap. 13.

Ὑγρότης διὰ τῶν ἀπιόντων

Humiditas per exeuntia.

Si verba præsentis dictionis examinemus, certè obscura esse videntur, veruntamen vti videbitis clara & vtilissima est huius orationis sententia; clara, quia his paucissimis verbis docere vult, quo pacto humiditas vteri sit cognoscenda vtilissima est; quia docet, quo pacto hoc vitium vteri debeamus curare, vt fiat conceptus. Dicit itaq; humiditatem vteri cognoscendam esse ex exeuntibus. Sed dubitare possit quisque cum vera cognitio habeatur ab operationibus, cur potius ex excrementis mutatis, quàm operationibus vult di gnosci. Pro cuius rei solutione dicendum est, intemperamenta duplicia esse, alia pura, sine materia, alia impura cum ea, pura sine materia, siue caliditas, siue frigiditas, legitimè cognoscuntur ex operationibus: intemperamẽta cum materia optimè cognoscuntur ab excrementis, quæ ab operationib. dependent. Et hæc est ratio qua Gal. in arte med. ad

docenda signa humidi cerebri ventriculiq; potissimum vtitur excrementis, non ab operationibus signa diducens. Est itaq; in primis maximè vtile cognoscere huiusmodi humiditatem vteri per excuntia. Est quidem vtile: quia (vt audiuistis) vteri conceptio fit post menstrua, hoc est, quando exiccatus est vterus: vnde cum humidus est, ineptus est conce-
5. Aph. 62. ptioni. propter quod dicebat Hippoc. humidos vteros steriles esse. Gal. eo in loco afferebat exemplum terræ humidæ in qua non possunt coalescere plantæ.

Διαίτης ξηροτάτης.

Diæta siccissima.

Quasi dicere velit Hippoc. non solum cognoscendam esse humiditatem, sed curandam sicca victus ratione. Sed hic sese offert nobis vtilissima & præclarissima speculatio, scilicet cur Hippoc. cum humiditas vteri possit curari medicamentis internis & externis, vt ille curat libro primo de morb. mul. tamen hic nullam eorum facit mentionem, sed diætæ tantum. Illud est omnibus studium, sola diæta curari posse. & propterea vt moneret Hippoc. diætæ optimæ maximè fidendum, eaq; vtendum, solum de hac verba fecit. Et iure dicit siccissima non sicca, vt sit potentior, quia nullum præsidium est in morbis curandis, quod sit æquiparandum huic, si constans bonumq; sit, vt elegantissimus Celsus testatur. Consistit hæc potissimum in aere calido & sicco, vigilijs, corporis exercitationibus, in vsu
6 Epid. sec. 1 prob. 51. & sec 4. prob. 27. veneris. Scribit enim Hippoc. venerem maximè curare morbos a pituita. quam etiam sententiam acceptam ab Hippoc. habuit Arist. Adeò vt hæc sententia Arist. & Hippocr. verissima sit ad curandam pituitam corporis, & præsertim vteri maximè conferre vsum veneris. Quod forsan etiam Salon apud Plutarch. voluit intelligere legem ferens, vt quilibet etiam cum coniuge ter in mense coiret. Est præterea vsus vini pauci, cibi sicci, &c.

Ὅτι θᾶσσον κινηθὲν διακριθὲν, αὖθις αὔξεται, καὶ βραδύτερον. Ἐπὶ πλείονα χρόνον.

Quod citius mouetur discretum, statim augetur, & tardius, ad longius tempus.

Connectitur hæc pars cum superiori, quia hactenus docuit quomodo & quo tempore debeat fieri conceptus: nunc obscurius docet, quomodo possit cognosci iam existens in vtero, siuè sit mas, siue fœmina, & ad hoc probandum vtitur sententia Arist. scilicet illud quod cito mouetur & cito figuratur, cito quoq; augetur: quod tarde figuratur & mouetur, tarde augetur. Quam sententiam vt rectè complecti intelligentia possitis, scire debetis si inspiciatis contextum græcum, duplicem esse Hippocr. sententiam, vna est, id quod citius mouetur & citius figuratur, tarde augeri; alia est, id quod cito fabricatur, & cito mouetur cito etiam augetur. Et quanquam vtraq; sententia videatur esse diuersa, vtraque tamen est verissima. Conceptus de quo Hippoc. hic agit duplex est; in vtero, vel extra vterum. in vtero conceptus qui cito mouetur & cito figuratur, cito augetur: qui tarde figuratur & mouetur, tarde augetur. Et hinc est, quod masculus cum citus mouetur & figuratur, citius quoq; augetur propter caliditatem: fœmina verò, contra. Secus autem est extra vterum: quia quæ citius mouentur in vtero, extra vterum tardius augentur, quæ autem tardius mouentur & figurantur, extra vterum citius augentur. Et hæc est ratio, quia fœminæ semper citius adolescunt, quàm mares. Sed quæ est huius rei ratio? nulla alia mea sententia quàm quia humiditas muliebris est tenuior, & propterea facilius extenditur; maris crassior est, & propterea diutius & tardius extenditur. Habetis ergo clarissimam sententiam Hippoc. circa quam videre oportet, quodnam sit verum & legittimum
lib. de alim. tempus motus foetus in vtero. Hippocr. scribit: puerum perfici modo 30. 35. modò 40.
7. de Hist. animal cap. 3. modò 50. diebus. Idem libro de natura pueri, & libro de sept. part. scribit mares figura-
9. libr. de animalib. cap. 3. ri 30. diebus, foeminas 42. Si autem bis tantum temporis addatur, mouebitur. adeò vt mas nonagesimo die, foemina 124. moueri debet. Arist. Alber. Mag. aliã sentẽtiã videtur sectari:

sectari: qui dixerunt, marem quadraginta diebus, fœminam nonaginta moueri. Adeo vt si omnium antiquorum sententias expendamus, insignis varietas & controuersia esse videtur. Pro qua tollenda dicere oportet, & formationem, & motum dupliciter considerari posse, vel secundum initia, vel secundum perfectionem: si secundum initia triginta diebus, aut triginta quinq; figurantur mares, & fœminæ quadraginta. Si autem secundum consumationem, secus est. & hæc est ratio conciliandi auctores, quia alij locuti sunt de formatione rudi & inchoata, alij de perfecta. Et quoniã in hunc locum venimus, proponam pulcherrimum Arist. & obscurissimum locum hic, vbi loquitur præclarissimè & abundantissimè de conceptu, inquit: mulieribus post cõceptum fieri effluxiones, quod si conceptus sit mas, durant quadraginta diebus, si fœmina triginta. Quæ sententia admodum dubia & lubrica est, primum, quia si de conceptu loquamur, multum abest, vt post conceptum effluat quidquam; imò dicebat Gal. ex sententia Herod. adeo os vteri claudi vt ne acutissima acus possit penetrare. Si de partu loquamur, hoc etiam est falsissimum, quia post partum maris, purgantur duntaxat triginta diebus ad summum: post fœminæ quadraginta. Hinc Moyses tulit legem, vt mulieres pariẽtes marem non ingrederentur templum ante trigesimum diem: fœminam, ante quadragesimum. Quod etiam voluit Maria obseruare, etsi minimè habebat opus. Hunc locum Arist. nonnulli interpretes non intelligentes cum silentio præterierunt. Alber. Magnus cum sub odoratus esset difficultatem, dixit: verba Arist. minimè intelligenda esse de menstruis, sed de semine, quia cum fit conceptus, fit ex pauca seminis copia. copia quæ remanet post conceptum effluit, & hæc effluxio perdurat triginta diebus in foeminis, in maribus quadraginta. Et quia videbat Alber. Magn. non esse rationi consentaneum, vt in conceptu maris diutius fiat effluxio, conatus est afferre rationem hanc, quia semen maris solidius est & crassius, foemellę minus, quod est tenuius, mollius, vt citius consumatur: qua etiam ratione dicebat fieri, vt citius figurentur & augeantur foeminæ quàm mares. Sed hæc interpretatio mihi nunquam placuit; primò quia vt habetur in libro de generatione animalium, Arist. in ea fuit sententia, reliquias seminis quæ supersunt a conceptu conuerti in flatum, & ita consumi: contra quam opinionem disputauit Gal. Vnde non potest hoc loco sermonem habere de seminis effluxione. Prӕterea cum copia seminis semper pusilla sit, quæ est ratio, vt possit tantum temporis sufficere, vt possit durare triginta, vel quadraginta diebus? Certe mihi semper hic locus fuit suspectus & obscurissimus, & non possum aliud dicere, nisi Arist. admodum infantem fuisse in rebus muliebrib. vnde cum eos libros ex aliorum relatione scripserit, facile fieri potuit, vt ex aliqua hoc intellexerit. nã vt alias docui, multa sunt huiusmodi in Arist. quæ ipsius infantiã detegunt circa res mul. Sunt tamẽ aliquæ quę laborant fluore albo, quę etiã hoc patiũtur.

7. de Hist. animal. cap. 4.

lib. de format. fœtus & libr. de sem.

Οἱ πόνοι περὶ τρίτην ἡμέραν πρὸς τῇσι πεντήκοντα. καὶ ἕκτην πρὸς τῇσιν ἑκατόν. μηνιαῖοι, δευτεραίῳ; καὶ τεταρταίῳ. Α δεῖ εἰδέναι εἰς τὸν ἑπτάμηνον.

Labores circa tertium diem ad quinquaginta, & sextum ad centum, menstruales secundo & quarto: quæ oportet nosse ad septimestrem.

Habet hæc sententia eam cum superioribus connexionem, quod versetur circa res muliebres, tum circa conditionẽ laborum, qui contingunt in conceptione. Est autem sententia Hipp. hæc, labores contingere prægnantib. circa 53. & circa 106. dieb. siue potius circa secundum & quartum mensem. Vt autem rectè sententiam Hipp. intelligentia complecti possitis, scire oportet id quod scribit Hipp. nimirum prægnantibus contingere circuitus in abortu, conceptu, & partu, haud secus atq; in morbis. Vt propterea minimè mirari oportet, si inter alia in conceptibus, iubet seruari huiusmodi circuitus. Qui autem sint labores, alias docui, nempe esse illa symptomata & mala quæ prægnantibus solent contingere de quibus loquens dicit huiusmodi labores varios, & diuersos esse, pro varietate naturæ, victus temperamẽto: adeo vt fiant secus sub plaga Ægyptiaca, aliter alia. Sed dicet aliquis

lib. de sep. par.

6 epid. sec. 8.

cur Hippocr. iubet obſeruari huiuſmodi menſem ſecundum & quartum? quia hoc valet maximè ad intelligendos ſeptimeſtres partus, quaſi vbi fieri debent ſeptimeſtres partus, fere ſemper circa ſecundum, aut quartum menſem maximis malis angantur. Sed vnde hoc dixit nulla eſt ratio; verum vt ſæpe dixi, admirabilis hic vir hoc obſeruauit.

Ἢ ἀπὸ τῶν γυναικείων ἀριθμητέοι οἱ ἐννέα μῆνες, ἢ ἀπὸ τῆς ξυλλήψιος, καὶ ἐς ἑβδομήκοντα καὶ διακοσίας οἱ ἑλληνικοὶ μῆνες γίνονται· καὶ ἔτι προσέτι τέτοισι, καὶ ἤτοι τοῖς ἄρσεσιν, ἢ καὶ τῇσι θηλείῃσι, ταῦτα ποιέεσθαι, ἢ τἀναντία.

Aut a menſtruis numerandi ſunt nouem menſes, aut a conceptione, & in ducentos & ſeptuaginta dies græci menſes fiunt, & ſi quid inſuper, aut maribus, aut fœminis hæc fiant, aut contraria.

Multa præclata nobis propoſuit Hippoc. de rebus muliebribus, ſed vnum maximi momenti ſupererat, ſcilicet qua ratione debeant mulieres metiri tempus partus, hoc eſt nonũ menſem. Et propterea hic nihil aliud docet. Tria autem in hac dictione dicit Hippoc. commemoratione digna, primum eſt, numerandos eſſe hos menſes a conceptione, vel a menſtruis: & additur, hunc menſem nonum non quemlibet capiendum, ſed ſecundum Græcos, & quod magis eſt, addit eſſe 270. dies, quaſi tempus legitimum partus, ſit ſpatium nouem menſium, vel 270. dierum. Secundum quod dicit Hippoc. totum hunc nonum menſem eſſe numerãdum, & ſi quid plus, hoc eſt, ſi plures dies quàm noni menſis intercedunt in conceptu. Tertio obſeruandum an idem contingat in maſculino conceptu, & fœminino, an plus temporis in maſculino, quam fœminino requiratur. Tria hic ſunt contemplanda, primum, cur cum homo diuerſa habet tempora, Hippoc. tamen ſolum noni mentionem facit: quaſi vnicum hoc tempus ſit partus humani. aliud eſt, cur loquatur diſtinctiuè, numerandos eſſe hos dies vel a conceptione, vel a menſtruis. Tertio quare dicat: videndum an idem tempus ſit maſculinum & fœmininum an contraria tempora. Circa primum id ſupponere oportet, quod ſcriptum eſt ab Herodoto, & maximè ab Auguſt. diuerſos fuiſſe annos apud diuerſas nationes. Ægyptij, vt Herodotus narrat, habuerunt annum lunarem, ita vt menſis eſſet annus. Arabes habuerunt quatuor menſium. Romani, Græci, & Hebræi duodecim menſium. Sed differentia fuit, quia Græci faciebant menſes omnes æquales triginta dierum, & propterea annus apud hos, & præſertim apud Athenienſes tercenta ſexaginta dierum erat. Romani, qui ſecuti ſunt Hebreos, habuerunt inæquales, vt eſſet tercenta ſexaginta quinq; dierum. Cum igitur hæc eſſet diuerſitas, addit menſes numerandos eſſe more Græcorum. quaſi ſit verum ſecundum ſupputationem Græcorum, manere in vtero nouem menſibus, hoc eſt, 270. diebus. Sed cur potiſſimum noni menſis meminit? quia etſi homo varia tempora pariendi habet, tamen frequentiſſimus eſt & maximè naturalis nonus menſis. Et hinc voluit naſci Chriſtus nono menſe, vt doceret hoc eſſe tempus legittimum. Sed dicetis, quomodo ergo Ariſt. Virgil. Lucret. Plautus dixerunt fœminam parere decimo menſe? Reſpondeo vel menſem accipi poſſe more Græcorum vel more Aſtrologorum. Si more Græcorum, veriſſimum eſt, naſci noni menſe: ſi autem ſecundum Aſtrologos decimo. Aſtrologi enim menſem faciunt ſecundum curſum lunæ per Zodiacum; qui cum perficitur viginti octo diebus plus minuſue, fit, vt ad conſtituendos nouem menſes Græcos, Aſtrologorum decem concurrunt. Itaq; omnes qui dixerunt parere fœminam decimo menſe ſecundum Aſtrologos eſſe locutos, eſt exiſtimandum. Erat ſecundo videndum, cur Hippocrates loquatur diſcriminatim, ſcilicet huiuſmodi dies computandos eſſe vel a menſtruis, vel a conceptione. Et vt hanc rem intelligere poſſitis, operæpretium eſt ſcire, id quod ſcribit ſæpe Hippocrates ſcilicet conceptus fieri, vel inchoantibus menſibus vel definentibus. Vnde cum hoc ita eſt iure magnus Hippocr. dixit, a menſtruis numerandos eſſe hos dies. Quod ſi a conceptu numerandi ſunt dies, atq; hic in vtero permanere debeat 270. diebus, certe poterit ſagax mulier,

lib. de Ciuit. Dei.

7 de Hiſt. ani mal. cap. 4.

lib de ſep par. & lib. de nat. pueri.

mulier,& Medicus facile tempus partus conijcere. Sed cur dicit de conceptione, quia hęc fit vel menstruis desinentibus vel inchoantibus; adeo vt non opus erat addere? Hippoc. Arist. Auic. ac fere omnes Scriptores innumera tradiderunt quibus cognoscamus in vtero habere. Sed quanquam hoc docere conati sunt veteres, nihilominus vsq; adeo incerta sunt omnia signa conceptus, vt non raro fallantur. Sed inter mulieres reperiuntur quædam vsq; adeo peritæ, vt & diem & horam sciant, quemadmodum ego ipse aliquas noui. Igitur cum videret Hippoc. omnia signa esse incerta, dixit de conceptione, vt complecteretur eas, quæ longa experientia & ratione, intelligunt quando parient. Erat tertium examinandũ, quare Hipp. dixit, videndũ esse, an idem contingat, in vtroq; sexu, an cõtra. Et qđ hoc loco dubiũ facit est auctoritas Arist. qui scribit: masculinos fœtus septimestres magis fieri; foeminæ, magis decimestres. Opitulatur illi ratio, quia si citius fit mas, citius quoq; debet exire propter calorem: mulieres cum fiant a materia frigidiore & a calore imbecilliore, iure tardius exibunt. Quare videtur verissimum esse contraria debere contingere. Quid igitur est, quod Hipp. dubitat hac de re? Triplici puto ego ratione Hipp. hac de re dubitasse: quia si spectemus rationem propter quam foetus exeunt ab vtero eadem planè est in foeminis & maribus. quod autem sit eadem testatur Hipp. scribens: propter tres causas foetus vtero exire: quarum vna est, quia deficit alimentum, quo deficiente foetus quærit exitum: alia est, quia ligamenta non possunt pondus sustinere, vnde disruptis illis, cùm non contineatur foetus, sese mouens, tandem claustris erumpit: tertia causa est, angustia loci, vbi enim grandior est, cum non possit a loco contineri, quærit exitum. Quod ad defectum alimenti attinet, non est par in arterijs, quia masculi calidiores citius & magis consumunt alimentum; non ita foeminæ, quæ frigidiores sunt. Quod ad ligamenta attinet si pondus expendamus, sane neq; sensu, neq; ratione apparet insignem vllam diuersitatem esse. Sed angustia loci par semper est in vtroq; & propterea hac ratione debet semper eodem tempore exire. Quare ergo dubitat Hippocr. quia tametsi ratio aliqua apparet debere eodem tempore exire, tamen aliqua etiam est, vt defectus alimenti debere citius marem, tardius foeminam exire. Dicere deinde possumus, Hipp. illud, vt multa alia, obseruasse.

Margin notes: 1. b. de [illegible] in homine — 7 de H[illegible] mal [illegible] — 7. de H[illegible] mal [illegible]

Τῶν βρωμάτων καὶ πομάτων, οἱ ὦμοι καὶ οἱ μασοὶ ἐμφυσῶνται, καὶ τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ αἱ ἀκρησίαι, καὶ τὰ ἐμφυσήματα ποιέουσιν αὐξήσιας.

Ab edulijs & potibus humeri & mammæ inflantur, & eorum quæ sunt in capite intemperantiæ & inflationes faciunt incrementa.

Dubitari posset vtrum hæc particula sit de affectibus mulierum, veruntamen si contextum græcum recte expendamus, certè quoq; ad hos affectus pertinet. Et quantum ego existimo ad cognitionem foetus existentis in vtero. Sed videre oportet quomodo hæc verba accommodari possint, ad cognitionem foetus in vtero. Hippoc. & Auic. multa signa proponit ad cognoscendum foetum in vtero: inter quæ est in primis mammarum tumor, sunt etiam calores & affectus praui capitis & colli. Itaq; in hac prima parte dictionis proposuit Hipp. monere Medicum, ne facile credat foetum in vtero esse, quotiescunq; mammæ fiunt tumidæ, aut labores aut dolores in capite: quia huiusmodi affectus minimè semper fiunt ex prægnatione, sed ex edulijs & potibus, nec non ex incontinentia vitæ. Vt hac ratione debeant Medici semper in explorandis prægnantibus rogare, quo victu vsæ fuerint, atq; etiam atantur. Sed quo pacto fiunt tumores mammarum & vteri ex edulijs & potibus? tres sunt causæ, ob quas solent inflari, flatus, sanguis & lac. a flatu rarissime intumescunt mammæ, quia hæ sunt collocate in parte extima, & circa cor, ob cuius caliditatem facile fit vt flatus discutiantur, & dicebat Auicen. corpora omnia glandosa vt sunt mammæ, nunquam a flatibus dolorem sustinere. Cum ergo hæ rarissimè tumescant a flatu, cõsequens est vt fiat a sanguine vel lacte. Iam verò siue a sanguine fiat, siue a lacte [illegible]

Margin note: 5. A[illegible] 21 31

per

2. de Hist. animal. cap. 1. per hoc fit propter porum & edulia. Dicebat autem Arist. inter bruta ea ſemper plus lactis generare quæ ſunt edaciora, & ita nutrices plus lactis faciunt, quæ plus potant & edunt. Vt iure dicat Hippoc. tumores mammarum fieri ab edulijs, ſcilicet eos qui fiunt, vel a lacte, vel a ſanguine. Et hæc eſt ratio propter quam dicebat etiam Ariſt. fieri lac propter peculiarem naturam quorundam ciborum & eduliorum. Sed quomodo dicit, edulijs & potibus etiam humeros tumere? apertiſſima ratio eſt, quia cum hi ſunt veluti colligati ipſis mammis, neceſſario fit, vt quotieſcunq; mammę, vel propter lac, vel propter ſanguinem intumeſcunt ſimul etiam humeri fiunt tumidi, eo quod copioſum ad mammas attractum nutrimentum, etiam in humeros diſtribuitur, eoſq; creſcere facit.

Ἔς' ἂν τὰ ὀςέα ςερεωθῇ. Τῶν ἐπιμηνίων περίοδος, τὰ πρὸ τούτων βαρέα ἀδελφὰ τῶν ὀκταμήνων πόνων.

Donec oſſa induerint menſium circuitus: ante hos, labores ſimiles laboribus octimeſtribus.

Oratio hæc non admodum ſuperioribus cōiuncta eſt, neq; tamen admodum diſſentanea, cum & ipſa de rebus muliebribus ſit. Duas ſententias complectitur, vtraſq; & vtiliſſimas, & aliqua conſideratione digniſſimas, prior eſt, perdurare menſtrua in mulierib. donec oſſa indurentur. altera eſt, dolores qui fiunt ante menſtruorum aduentum eſſe ſimiles doloribus qui fiunt in parientibus octauo menſe. Circa primam ſententiam, inquiſitione dignum eſt, de quibus loquatur, an de foetus, an de mulieris: non enim ex verbis Hipp. ſatis patet de quibus loquatur. Auic. ſcribit aliquas eſſe mulieres, quæ etiam, dum vtero gerunt, purgantur ſingulo menſe; ſed paucas. quotidiana etiam experientia hoc cōfirmat. Itaq; poſſet forſan intelligi de iſtis, quaſi purgentur donec oſſa foetus ſolidantur. lib. de natura pueri. Scribit autem fieri ſolidiora oſſa, poſtquam articulata ſunt in vtero Hipp. Sed huiuſmodi 7. de Hist. animal. cap. 8. interpretatio minime ſuſtineri poteſt: ratio eſt hæc, quia, vt ſcribit Ariſt. dum foetus eſt in vtero, diuerſum ſitum habet in brutis, & in homine. bruta cum debeant ſtatim atque exeunt ambulare, & ſibi proſpicere de cibo & potu, neceſſarium eſt, vt habeant ſtatim oſſa ſolida: & propterea voluit natura in vtero habere omnia oſſa & membra extenſa, vt poſſint ſtatim ambulare. homines autem quia ab ortu ipſo matris tutelæ committuntur, in vtero conglobati ſunt, vt pedes habeant circa podicem, caput & brachia circa crura. hinc oportet ſemper eſſe mollia, flexibilia, vt etiam diu poſt partum ſunt. Propter quod præcepit Plato, vt nutrices diligentes ſint in confirmandis cereis corporibus. Si igitur oſſa, dum ſunt in vtero nunquam ſolidantur, non poteſt intelligi de oſſibus foetus. Supereſt ergo, vt de mulieris oſſibus intelligatur. Sed cur dicit menſtrua durare donec oſſa indurentur, ſiquidem eſt ſententia Ariſt. & Hippocr. & experientia docet, menſes durare ad quadrageſimum annum, plærunq; ad quadrageſimum quintum. Si hoc tempore durant, non eſt rationi conſentaneum, eo tempore durari oſſa, ſed multo prius. Durari poteſt dupliciter intelligi; vel de duratione progrediente, vel de confirmata. Si de progrediente intelligamus, certe duratio oſſium diu durat. Si de confirmata, hæc non fit niſi inchoante lib. de nat. oſſ. ſenectute, hoc eſt niſi poſt finitos menſes. Hippoc. dicebat: oſſa quidem fieri a calore; ſed indurari a frigore, & propterea frigida ſunt. Itaq; tunc perfectè indurantur, quando frigidiora ſunt. In mulieribus incipiunt fieri frigidiora quando deſinunt menſes. Itaq; rectè Hippocrates docuit, oſſa dum indurantur fieri menſium circuitus. Eſt altera ſententia huius dictionis, dolores ante aduentum menſtruorum eſſe ſimiles illis, qui in partu octimeſtri fiunt. Dolores fieri ante aduentum menſtruorum, non eſt ſemper verum, quia interdum abſq; illis erumpunt: ſed ſæpe contingit, quia tunc temporis venæ adhuc anguſtæ ſunt, vt propter anguſtiam non poſſit ſanguis ita exire: vnde fit maximus impetus & vis ipſi naturæ: atq; hinc fiunt dolores. imò ſæpe fit, vt cohibitus ſanguis, reſtagnet in viſcera, & mala plurima & peſſima inferat, vt docet libro de morbis virginum Hipp. Vbi ergo fiunt dolores, inquit ſimiles ſunt ei qui fit in partu octimeſtri. ſimiles ſunt magnitudine;

dine; quia vterq; acerbissimus est dolor: periculo, quia vterq; est exitialis. Iure itaque dicit esse similes partibus octimestribus.

Πρωτοτόκων τὰ γάλακτα. τῆς μὲν τροφῆς μεταβαλλούσης. τῆς δὲ ὀκταμήνου ἀπαρτιζούσης.

Primipararum lac, alimento mutationem accipiente octimestri verò perficiente.

Sequitur Hippoc. enarrare quædam alia pertinentia ad res mulibres. Sed differunt a superioribus, quia ibi agit de prægnantibus, iam verò de lacte. Dicit itaq; duo memoria digna, vnum est, lac primipararum fieri ex alimento mutato & perfecto, aliud est, huiusmodi lac perfici octauo mense. Circa primam sententiam videndum est, quomodo Hippoc. dicat, fieri lac ex alimento mutato & elaborato. Arist. disputans aduersus Empedoclem, qui dicebat lac esse alimentum putrefactum, inquit hoc falsum esse, sed potius nihil aliud esse quam alimentum perfectum & elaboratum. Iam verò (vt Hippocrates docet) libro de alimento, τροφῆ, siue alimentum triplex est, aliud quod est actu: aliud quod est velut alimentum, aliud quod est futurum alimentum, quod est alimentum actu, est caro ipsa, seu succus ille qui gluten appellatur. & est in proximo vt conuertatur in alimentum, quia proximus est vt nutriat. velut alimentum est sanguis, futurum alimentum, est chilus. lac non fit ex alimento actu. quia est fere caro alimentum actu. Sed fit ex sanguine immediatè: mediatè verò ex cibis & potibus. Itaq; quando dicunt fieri ex alimento mutato, intelligunt ex sanguine cum ipsis humoribus. Sed quis est iste sanguis ex quo fit lac? nihil est aliud, quàm sanguis menstruus probus superabundas perfectus: vt semen nihil est, aliud quàm sanguis probus superabundans, & ellaboratus optimè. Sanguinem menstruũ fecit natura propter nutrimentum in vtero & extra vterum. Quare vera materia illius, est sanguis menstruus. Sed quæ est vera ratio huius rei? quia fœtus dum in vtero est nutritur hoc sanguine. vnde æquum est vt postquam vtero exiuit, eodem nutriatur. Sed quia insuaue esset si vteretur eodem, propterea natura fecit vt præparetur, adeò vt sit & iucundus, & suauis gustui. Hæc est ergo ratio cur ex alimento mutato fiat lac. Causa materialis est sanguis menstruus. Locus, mammæ. Natura posuit mammas loco accommodato, vt scilicet posset tepore cordis fieri lac. Causa effectrix, nihil aliud est, quam proprietas ipsarum. Sicut autem proprieras ventriculi est causa effectrix chili: iecinoris sanguinis: ita mammarum est lactis. Et hæc est ratio propter quam in maribus non fit lac, quia non habent sanguinem menstruum, neq; habent mammas. quanquam Arist. scribit interdum inuentos esse mammas habentes, sed monstra inquit fuisse. Instrumentum est calor. Causa finalis, vt foetus nutriatur. Sed dicetis, nonne hoc commune est in omnibus mulieribus vt ita fiat, cur ergo dixit primipararum? Nonnulli videntes hanc difficultatem existimant dictionem primipararum esse coniungendam cum superioribus. Ego autem puto ita legendum esse, vt ego lego: quasi si verum est hoc in primiparis quarum mammæ sunt inassuetæ, multo magis verum est in omnibus alijs. Et propterea primiparas, vt omnes alias complecteretur: nam scribit Arist. nullum animal lac facere, nisi vtero gerat, addit neq; primùm neq; vltimum esse vtile. eo maximè quod Alber. Magn. scribit: esse potissimum verum in ipsis prægnantibus. Erat secunda pars propositæ dictionis, lac in prægnantibus perfici octauo mense, quæ sententia vt testatur Aristot. fuit quoq; Empidoclis, a quo forsan hanc didicit Hippocr. Sed hoc in loco dubitatio oritur, quandoquidem Arist. scribit: quadraginta diebus post conceptum, incipere fieri lac. Si igitur hoc est verum, non videtur rectè Hippocr. scripsisse, fieri lac octauo mense. Idem Arist. scribit: brutis vnum esse tempus pariendi, homini autem varium, & sicut bruta vnum etiam habent lactis efficiendi: homo autem cum habet diuersa tempora pariendi, habet diuersa lac efficiendi, & præsertim septimo mense perfectum facit lac. Dicere oportet, aliud esse, lac incipere fieri, aliud esse perfici. incipit fieri, tempestiuè scilicet, statim post conceptum, quia tunc temporis cum supprimũtur menstrua nec consumuntur in foetum

4. de gen. animal. cap. 8.

3 de Hist. animal. cap. 20.

lib 4. de Hist. animal. cap. 9

4. de gen. animal. cap. 8.
7. de Hist. animal. cap. 3.
4 de gen. animal. cap. 8.

tum,restagnant in mammas,& hinc hæ tument & fit lac. Atq; ita intelligendus est Arist. perfici autem lac,aliud est, & perfectum esse. incipit perfici septimo mense,ar octauo perfectum est. atq; ita loquitur Hippoc.& hoc esse verum habetis a Gal.vbi scribit:perfectū esse octauo & nono mense: Itaq; vere dicit Hippocrates & prudenter lac octauo mense, perfici.

Τρωμάτων ἢν ἰσχυρῶν ἐόντων. &c.

Si in vulneribus fortibus. &c.

Διὸ τὰ ἐπιμήνια, ἀδελφὰ τῶν ὀκταμήνων πρὸς δεκάμηνον τεινόντων γενόμενα, κακόν.

Propterea menstrua germana octimestriū ad decimum mensem tendentiū malum.

Hæc pars imprudenter inserta fuit subsequentibus verbis de vulneribus, quæ mox explanabimus. Vnde recte fecerunt,qui ex eo loco ad suum reduxerunt; siquidem nihil aliud est, quam quædam relatio. Sic propterea, particula relatiua est. nam si verum est lac octauo mense perfici,sequitur si menstrua fiant octauo mense,malum esse.Hic est sensus Hippoc. sed quomodo est malum octauo mense fieri menstrua? duplici modo:vt causa,quia cum (vt audiuistis)lac fiat ex alimento mutato,& in mammis elaborato,deficiente sanguine,deficit lac. Est etiam malum tanquam signum,quia vbi menses fluunt octauo mense, signum est foetum aut mulierem imbecillem esse,octauo mense ægrotare, malum est: sed quid significant illa verba octimestrium ad decimum mensem tendentium. Scilicet huiusmodi fluentes, esse germanos octimestrium ad decimum mensem tendentium. vbi enim octauo mense fiunt menses, necesse est si superuiuat vterque, vt duntaxat decimo mense oriatur foetus. Triplex autem est causa,qua exit foetus(vt nuper diximus) inopia alimenti debilitas ligamentorum, & angustia loci. Vbi foetus ægrotat,non consumit alimentum. vbi laborat,non augetur, & propterea non adest angustia. Non parat itaq; exitum. sed ad decimum mensem tendit. Ex vniuerso hoc discursu breuiter intelligere potestis,quædam documenta accommodatissima pro medicina facienda. primum est,vitales fœtus esse, qui septimo, nono, decimo mense, fiunt, ac potissimum eos qui nono mense græcorum oriuntur. Est hoc verissimum,nisi quid intra hoc tempus contingat. Et notandum hoc est,quia videbitis aliquas plurimos foetus edere,sed hos statim interire: quia vbi erant in vtero aliquid aduersi illis contigit. Præterea illud etiam memoria tenendum est,vt tempus partus metiatur a conceptione in peritis mulieribus, vel a menstruis aut inchoantibus,aut desinentibus. Deinde illud quoq; est animaduertendum vbi insignis aliqua intemperies humida inuasit prægnantes,vel foetus, siccissimam diætā optimum remedium esse, alia autem exiccantia & euacuantia aduersissima sunt prægnantibus & foetui.

Τρωμάτων ἢν ἰσχυρῶν ἐόντων, οἴδημα μὴ φαίνηται μέγα κακόν

Vulneribus si fortibus existentibus, tumor non appareat magnum malum.

Certissimum est hanc,& sequentes dictiones vsq; ad finem huius sectionis, nullam habere conexionem cum superiorib. quia est de vulneribus, clara & vtilissima: quod autem hoc ita sit,videre quia Hippoc. ex hac dictione sumpsit 65. 66. & 67. Aphor.lib. 5. Si illi omnes ex hoc aduersario sunt,vt propterea existimandum sit,totam hanc dictionem esse verè germanam Hippoc. siquidem ex hac fecit Aphor. illos. Sed differunt, quia hic est paulo confusior,in illis magis purgata oratio,quod libros Prog. nostrorum & Aphoris.ex Epidemiorum libris conscripsit Nos itaq; vt consolamus ingenijs & memoriæ vestræ diuida-

tidamus quoq; hanc dictionem in Aph. Incipiamus ergo a primo, qui est; In vulneribus magnis si tumor appareat magnum malum. Sententia aperta esse videtur, sed habet pulcherrimas contemplationes; prima est, cur in vulneribus validis hic dicit, at in Aphor. addit prauis. aliud expendendum est, cur Hippoc. dixerit in Aph. si tumores non apparent, hic si tumor. Quod ad primam partem attinet, Hippoc. quia (vt ego puto) & experientia & ratione obseruauit, semper verũ esse in magnis & prauis vulneribus tumoris absentiã malum esse, non de simplicibus vulnetibus magnis intelligendum putauit. Sed quæ est ratio quod hoc ita sit? Gal. in comment. Aphor. huius: dicebat esse in malum, quia signũ est humores restagnare in partes nobiles, & relinquere partem vulneratam. siquidem a natura ita comparatum est, vt vbi pars aliqua debilis est, aliæ nobiliores se exonerent in eas & excrementa sua deponant. Atq; cum pars vulnerata debilior sit, iure in hanc debeant illæ onus deponere. Vt si hoc verum est in omnibus vulneribus, multo magis est verum in prauis, quia κακοήθεις sunt, hoc est cum prauis humoribus, qui necesse est ferantur in partes nobiles. Sed video dubitaturũ esse ingeniosum aliquem; vtrum verum sit id quod scribit Gal. propterea malum esse non apparere tumorem in vulneribus, quia signum est redundare humores in partibus nobilibus, quia natura semper has tuetur ab omnibus iniurijs; imò sunt donatæ facultate robustissima, vt huius beneficio possint defendi ab omnibus iniurijs. Respondeo, hoc quidem verum est, quod semper partes nobiles se exonerant ab exctementis, atq; ea mittunt in partes debiles, sed vbi hoc non fit, proprer duas causas contingit, vel quia pars nobilis debilior est parte vulnerata, vel quia impeditur. si illa sit debilior, est vel propter insigne aliquod intemperamentum, vel propter aliquem vitiosum succum, nam si gubernentur a facultate robusta, necesse est his de causis fieri debiles. Nobiles partes in vulneribus magnis prauis esse sic affectas, magnum malum est. Si autem impedimentum aliquod est, necessario humores restagnant in partes nobiles. Arist. enim inquit: si ea quæ depelluntur, repellantur, ad ea loca repelluntur, vnde depulsa sunt: hoc etiam fit vbi impeditur depulsio facta a partibus nobilibus, quia cum facultas robusta depellat humores, si impediatur illa impulsio, restagnant humores in partes nobiles. Quare verissimè dixit Hippoc. malum esse non apparere tumores, quia signum est humores ad partes nobiles ferri. Circa secundum Gal. in expositione illius Aphoris. dicit, posse totam illam particulam tripliciter intelligi, quod in magnis vulneribus non apparere magnos tumores sit malum: quod in magnis vulneribus non apparere tumores, sit magnũ malum; tertio quod in magnis vulneribus nisi magni tumores fiant, sit maximũ malum veruntamen præfert cunctis alijs secundum modum. Ex quo loco mirari maxime soleo Cornarium maluisse sequi primam interpretationem; præsertim cum haberet Galenum magisttum pro secunda. Sed vsus est etiam aliqua ratione, quia non semper malum est, non apparere magnos tumotes, quia hi indicia sunt inflammationum, inflammationes semper sunt pessimæ: & hoc est quod scribit Gal. in comm. illius Aph. reuera tamen non sunt Galen. & Cel. Cæterum quæ sunt illa vulnera quæ appellantur magna? illa quæ fiunt in capitibus, & in fine musculorum, quia musculi desinunt in partes neruosas. Hinc compatare vobis potestis insignem vtilitatem, cum ad prædicendum, tum ad curandum: prædicendum, quia in vulneribus magnis non apparere tumores, malum; ad medicinam faciendam, quoniam monemur ab Hippoc. nos minimè vti debere refrigerantibus & repellentibus vllo tempore in his vulneribus, nam vt Gal. scribit: fuerunt aliqui qui ex hac oratione existimarunt Hippoc. nos monere, vt vtamur repellentibus, vt scilicet impetus sanguinis ferretur ad vulnus, quo faceret tumorem. Sed melius consulit Gal. non esse his vtendum, sed exiccantibus, & calefacientibus, vt ol. terebint. euphorb. & similibus, quæ laudat sexto meth. cap. 2.

Margin notes: li. 5. Aph. 66. — 7. Physic. — lib. 5. cap. 26. — li. 6. Ep. com. 5. tex. 12.

Τὰ χαῦνα χρηςόν. Τὰ ἄνω νεμόμενα, κάκιον·

Laxi, bonum, sursum repentes, peius.

Dixerat Hippoc. non apparere tumores in vulneribus malum; vt contrarium etiam fit verum, apparere in vulneribus, bonum. Sed quia varij sunt tumores, docet hic qui sint illi qui boni sint, qui mali. Dicit enim bonos esse, qui molles sunt, qui sursum repunt, quę
6.Ep. com. 1. tex. 13. dictio, vt Gal. scriptum nobis reliquit, potest equidem accommodari omnibus tumorib. quia molles omnes tumores, sunt boni, vt duri omnes, mali: imò quanto sunt molliores, tanto meliores: quanto duriores, tanto peiores. Verum quomodo videbimus, qui sint bo
1.Epid.com.1 tex. 10. ni & molles, qui duri, & praui? molles, vt Gal. propriè sunt illi qui cedunt digitis, & qui vbi premuntur excauantur. fiunt autem a materia molli, tenui, & facile dissipabili. Vnde iure dicuntur boni, quia cum sunt ex materia dissipabili, facile a natura & arte superantur. Hæc quidem clara sunt, sed illud forsan obscurum est, quid pro tumoribus sursum repentibus vult significare. Nonnulli existimarunt non legendum esse ἄνω νεμόντα, sed τὰ ὠμὰ cruda, vt habetur Aphor. 67. lib. 5. Alij existimarunt, nihil mutandum, sed legendum esse sursum repentes, quasi intelligat tumores manui remittentes. Sed vtcunque legatur, certissimum est, nullos alios tumores intelligere quàm illos, qui opponuntur mollibus, duros, qui non cedunt digitis, nec excauantur, non intra præmuntur. fiunt autem huiusmodi duri tumores a materia crassa & terrestri, quæ quia difficulter superatur a natura & arte, propterea duri tumores mali esse dicuntur. Sed sunt quoque aliæ causæ ob quas molles boni, duri mali dicuntur, quia molles, significant semper naturam rectè depellere a partib. nobilioribus, & partem tumidam facile recipere. contra duri, significant naturam ægrè depellere: tum ægrè recipere partem: præterea hi non suppurantur. vbi autem tumores non suppurantur, aut mortem indicant futuram, aut diu perdurant: & propterea mali sunt.

Ὅσοισιν οἰδήματα ἐφ' ἕλκεσιν, οὐ μάλα σπῶνται, οὐδὲ μαίνονται.

Quibus tumores in vlceribus, non admodum conuelluntur, neq; insaniunt.

Dixerat Hippoc. supra, tumores apparere in vulneribns bonum: dixit etiam qui boni sint: nunc verò in hac dictione quæ est Aphor. 65. lib. 5. Aphor. vult docere, qua ratione tumores in vulneribus sunt boni: inquit esse, quoniam vbi tumores fiunt in vulneribus non admodum conuelluntur ægri, neq; admodum insaniunt. Sed quæ est ratio propter quam tumores faciant, vt neq; conuellantur ægri, neq; insaniant? quia quando fiunt tumores, est, quia partes nobiles sese exonerant, & depellunt excremenra ad partes vulneratas. Quare cum cerebrum sit pars nobilissima, iure se exonerat, & humores noxios depellit. Vnde neq; conuulsiones, neq; insaniæ fiunt in vulneribus cum tumorib. Sed obijciet aliquis nonne hac ratione etiam tumores liberant ab alijs malis, a letargo melancholia, vertigine, & similibus? cur Hippocrates tantum dicit liberare a conuulsione & insania, non ab alijs morbis? Respondeo; Hippocratem sub his duobus voluisse nobis omnes morbos capitis significare. morbi cognoscuntur ex functionibus læsis. functiones capitis sunt motiuæ & facultas ἡγεμονικά. per insaniam intelligit ἡγεμονικήν. per conuulsiones intelligit, morus, actiones. Sed est etiam alia ratio, quia vbi vulnera lethalia sunt, rarissimè fit quin appareat insania, aut conuulsio: quia vulnera lerhalia sunt in partibus neruosis, quæ vbi vulnerantur necessariò communicant noxam cerebro. Sed non contentus hoc dixisse scilicet quod liberent tumores a conuulsione, & insania, aliam particulam addit σφόδρα, quam expendens Galenus dixit: Hippocratem voluisse significare, quod etiamsi tumores aliquando non apparent, nihilominus interdum fieri, scilicet quando sunt praua vulnera,

acra, vel quando sunt in partibus neruosis. Siue subiunxit, quod etsi interdum fiant insania & conuulsio non semper tamen fiunt. Sed quando fiunt? audite Hippocratem.

Τῶν δὲ ἀφανισθέντων ἐξαίφνης, οἷσι μὲν ἐς τὰ ὄπισθεν, σπασμοὶ μετὰ πόνων, οἷσι δὲ ἐς τὸ ἔμπροσθεν, ἢ μανίαι, ἢ ὀδύναι, πλευροῦ ὀξεῖαι, καὶ δυσεντερία ἐρυθρή.

His autem euanescentibus repente, quibus quidem in posteriora conuulsiones cum doloribus, quibus autem in arteriorem partem, aut insania, aut dolores lateris acuti, & dysenteria rubra.

Dicit ille, si tumores repentè delitescunt, si partes posteriores petant, fiunt conuulsiones. Si anteriores, insania, dolores lateris, & dysenteriæ. Quæ dictio habetur quoque quinto Aphoris. libro. Sed differentia est, quod in Aphoris. aliqua sunt addita, aliqua verò sunt mutata: addita vt suppuratio: fieri etiam tensiones mutatum ab illo est. Ratio autem qua ibi aliqua mutata, aliqua addita sunt, hæc est, quia Aphorismi sunt depurati, illustrati, & correcti. Gal. in expositione huius Aphorismi, videtur existimasse Hipp. loqui de vulnerib. partis posterioris & anterioris, quasi dicat, vbi fiunt in parte posteriori, fieri conuulsiones: vbi in anteriori, insanias, dolores, & dysenterias. & affert rationem, quia in parte posteriori sunt nerui plures: in anteriori venæ plures, sed si diligenter aduertamus Hippoc. verba, non loquitur de vulneribus quæ fiunt in hac vel illa parte. Et dicit si tumores apparentes repente extinguantur, malum est. malum est, quia si materia quæ faciebat tumores vertatur ad posteriora capitis, læduntur magnopere nerui: si vergat ad anteriora, fiunt insania. Si ad pectus, empyema, & dolores lateris. Si ad intestina, dysenteria. Vbi notandum vobis est, hunc locum magnopere fauere illis, qui afferunt diuersos morbos fieri in diuersis capitis partibus; quia dicit, si vergat ad anteriora capitis fieri insanias, si ad posteriora, conuulsiones. Addit Hippoct. si ad intestina fieri dysenterias. Gal. & præsertim quarto de articul. dicit, multas esse species dysenteriæ, sed summatim duas. alia cum vlcere est intestini: alia sine vlcere, sed per solam sanguinis per intestina euacuationem: hanc dicit vocari αἱματηρὰν idest cruentam, sicut cum vlcere dysenteriam sexto de loc. affect. cap. 2. atq; illam fieri vbi in vlceribus euanescunt tumores: quemadmodum etiam quarto de artic. dicit Gal. interdum fieri, vbi aliquod membrum est amputatum, ità vt sanguis qui deberet ferre ad membrum amputatum feratur ad intestina sicut etiam Hippoc. & Gal. dicunt fieri in ijs, qui consuetas amiserunt exercitationes.

6. de locis aff. cap. 2. & 3. de sympt. cau. c. 2

lib. de nat. hu. 3. de sympt. cau 2. & 6. de locis aff. c. 2

Τὰ οἰδήματα παραλόγως ῥιπίζοντα, κίβδηλον: οἷον τῷ τοῦ Ἀνδρονίκου παιδίῳ τὸ ἐρυσίπελας ἐπαλινδρόμησεν, ἢν μὴ ἐς τὸ αὐτὸ ἐλθὸν, χρηστόν τι σημαίνει. τοῦτο ἔκ τε γενέσιος παρὰ τοὺς περὶ ἥβην διεδόθη. ἑτέρῳ τριταίῳ ἐκ γενετῆς γενομένῳ ἀπεπύησεν ἐναταίῳ. γίνεται ἔτος ἑβδομαῖος ὑγιής. Κακοηθέστερα τὰ ἀφανιζόμενα ἐξαίφνης

Tumores præter rationem alleuantes, prauum: velut Andronici filio Erysipelas recurrit: si non ad eundem locum rediens, bonum quid significet. Hoc ex natiuitate circa aurem, ad pubem distributum est. Alteri tertia ex natiuitate die factum, suppuratum est nona. Hic septima die sanus euasit. Maligniora sunt quæ derepente disparent.

Ratio connexionis cum superioribus est, quia superius dixit: tumores repente euanescentes, grauia mala indu[cere] & quia interdum videntur etiam iuuare; ideò docet modum distinguendi hæc, & huiusmodi iuuamentum haud quaquam tutum semper esse, sed fallax, quod autem tumores euanescentes fallant, probat Andronici pueri exemplo, cui erysipelas euanuit, & redijt: sed dubitabit aliquis vestrum cur rem probat exemplo ac in-

puero. Exemplo probat, quia ratio sic firmior manet; erysipelatis verò, quia tumor cutaneus ex tenui materia ortus est, & pueri facultas valida. Vnde si in ijs in quibus minus deberet fit recursus, multo magis fiet in alijs. Iam verò modus cognoscendi bonam euanescentiam a mala, est si fiat recursus ad eundem locum, si fiat ad infernam & ignobilem partem. Et si significat aliquam vtilitatem exemplis duobus hoc probat, pueri cui tumor post aures euanuit & redijt in pubem: & alterius, cui factus tumor tertia die euanuit, sed redijt, & quarto die suppuratus est. Ex quibus docemur, non esse malos tumores euanescentes quotiescunq; redeunt in eundem locum, vel ignobiliorem, vel cum sanitate. Ex habito discursu potestis colligere tria documenta pro medicina facienda, primum est, vt vbi in vulneribus non apparet tumor circa labra semper timeatis, vel de motu, vel de aliquo graui symptomate. Et hoc debetis semper suspicari, vbi videbitis corpora contaminata. Aliud est, vt vbi in vulneribus tumores euanescunt, diligenter expendatis, quonam vergant tumores scilicet an in partem posteriorem, an in anteriorem; si in partem posteriorem, debetis nō solum formidare conuulsiones futuras, vt dixit Hipp. sed debetis occurrere medicamentis. In quo casu solemus parare in vnctiones spinæ ex oleo costino, vulpino & similibus, quæ solent principium neruorum a conuulsionibus tueri. Sed an occurrendū est fluxui, vel dysenteriæ futuræ? quando malum est a copia sanguinis; si confert minimè coercendū. & hoc est quod dicebat Gal. 4. de art com. 18. sæpe falli medicos, qui conantur huiusmodi fluxus cruentos coercere: quia sæpe vsu venit, vt vtilitatem afferant maximam. id quod habetis etiam 2. Prorh. Tertium documentum est, vt tumoribus euanescentibus, vel retrahantur medicamentis ad eundem locum (vt dicebam antea) post quam Hippoc. non damnat, vel saltem ad partes inferiores, atque ignobiliores. Concludit tandem cum omnia hęc mala sint deteriora, tumorum genera sunt, quæ sine vlla ratione repente euanescunt. Et hic est finis tertiæ sectionis libri secundi Hippocratis.

HIERONYMI
MERCVRIALIS FOROLIV.
IN SECVNDVM EPIDEM.
HIPPOCRATIS.

SECTIO QVARTA.

Ἡπατῖτις ἐν ὀσφύϊ, μέχρι τοῦ μεγάλου σπονδύλου κάτωθεν, καὶ σπονδύλοισι προσδιδοῖ ἐν τεῦθεν. &c.

Hepatitis in lumbis vsq; ad magnum verticulum, inferne etiam spondilijs se ingerit. &c.

SEQVITVR quarta sectio, quæ diuiditur in duas partes, in prima nonnulla tractat de venis & de neruis: in secunda more suo & dogmata & historias complectitur. Aggrediamur igitur primam partem de qua paucis agemus. De hoc tractatu de venis & de neruis, nonnulli dubitant, vtrum sit doctrina Hippoc. an ex schola illius; discipulisque. Causa dubitandi fuit, quia etsi nonnulla præclara doceat hoc tractatu, multa tamen interseruntur Hipp. indigna. Sed locus hic de venis celebratissimus est apud Gal. & libro de articulis celebratissimam huius mentionem facit, tanquam mere Hippocratica sic oratio. Si tamen diligenter expendatis locos a Galeno citatos, non celebrat omnia quæ hic dicuntur. sed quædam exigua. Itaque totam hanc tractationem pro genuina non habuit. Arist. disputat aduersus Polybium de ortu venarum a capite, & in refutando eo manifestè docet, Veteres omnes sensisse venas oriri a capite. Vtrum intelligat sub veteribus Hippocr. dubitatum est, quod multum abest a sententia eius hoc in loco, & libr. de alim: vbi docet, radicem venarum iecur: & arteriarum cor: quod etiam Gal. monstrat in comment. ad locum de nat. hum. haud esse consonum Placitis, Hippoc. vel Polybi. Quo fit vt existimem eum alios Medicos intellexisse. Quæ videtur etiam cognouisse Auerrh. qui scribit tempore Hippoc. nullum Medicum eruditum fuisse excepto Hippocr. Vt non mirum sit Veteres omnes excepto Hippoc. hoc sensisse. Et excusatione digni mihi videntur etiam illi, quia eo tempore addiscebant medicinam non ex commentarijs, sed ex operibus. exercebant se a teneris annis in medicina. Atq; ita non est mirum si anatome tum temporis non fuit elaborata, vt postea a Gal. & Erophilo quem scribit Tertull. libro de anima, septingenta

2. de nat. humana tex. 6. & 6. de plac. Hipp. et Plat. c. 3. & 3. de Hist. animal. cap. 3.

cadauera fecuiſſe, vt hominem cognoſceret. De neruis etiam pauca admodum tractat, quę licet fortaſſe ſint vera, hoc tamen in loco aut nō debebant tractari, aut multo longius atq; grauius. Sed quicquid ſit propter duas cauſas ſtatui hanc tractationem præterire, primò quia hęc res pura hiſtorica eſt, nihil aliud narrat niſi ſitum, quantitatem, & ordinē, quæ res potius collocata eſt in ipſa αὐτοψίᾳ: tum quia opto grauiora tractare, & vtiliora, & quæ forſan non peteritis reperire ipſi, quemadmodum hanc deſcriptionem de venis, & neruis. Aggrediamur ergo ſecundám partem quæ incipit.

Ἐν Αἴνῳ ὀσπριοφαγέοντες ξυνεχέως θήλειαι ἄρσενες, σκελέων ἀκρατέες ἐγένοντο, καὶ διετέλεον. Ἀτὰρ καὶ ὀροβοφαγέοντες γονυαλγέες.

In Aeno leguminum eſu continenter vtentes fœminæ, & viri crurum impotes fiebant, & ad finem vſque perſtiterunt. Verum orobum comedentes, dolentes genua.

Recitat præclaram hiſtoriam quæ relata etiam habetur ſexto Epid. ſed èo in loco non habetur interpretatio Gal. Puto ego non haberi, primum, quia Gal. in comm. circa hunc locum copioſiſſimè de hac hiſtoria tractauit, vt propterea noluit repetere ſexto Epidem. Potuit etiam fieri vt hæc eadem hiſtoria imprudenter ſit inſerta ſexto Epid. Sed vt vt ſit, hiſtoria eſt eiuſmodi, quod in Aeno quicunq; edebant legumina non poterant ambulare: qui autem orobo veſcebantur ijs genua dolebant. Itaq; magna dubitatione dignum videtur, quare legumina inducebant impotentiam ambulandi: & quare orobi dolorem genuum. Sed primum videre oportet quis locus eſſet Aenus: & cur populi illi cogerentur edere legumina, deinde reliqua myſteria videbimus. Tres ſunt apud Hippoc. vrbes & conſtitutiones lib. 2. Epidem. Perynthus, Cranon, & Aenus; quæ omnes erant vrbes Thraciæ, vt apud Plin. ſcriptum eſt. In Aeno erat Polydori tumulus & Virgil. ſcribit ab Ænea conditam. Strabo refert lib. 7. appellatam fuiſſe Poltiobria. Sed cauſa cur tantum de his loquatur nulla alia fuit, quàm quod Hippoc. ad perdiſcendam medicinam peruagatus eſt complures regiones, vidit enim hoc neceſſarium eſſe. Cum ergo ſcriberet hunc ſecundum commentarium peragrabat per Thraciam, & obſeruabat omnia quę pertinebant ad artem medicam. Vnde voluit hanc rem de Aeno obſeruare, quod hoc exemplum maximè conferat ad docendum rationem viuēdi, maximam partem habere in generatione omnium morborum. Id quod non ſolum habetis apud Platonem, ſed etiam apud Plutarch. vbi ſcribit victus rationem non tantum morborum particularium, ſed etiam vniuerſaliū eſſe cauſam. Sed quæ fuit cauſa propter quam populi illi cogerentur veſci leguminibus, & eruo, non enim dicit hanc Hippocr. Habetur cauſa apud Gal. vbi ſcribit: in Aeno propter famem coactos eſſe veſci leguminibus. Ex quo loco colligo particulam ἐν λιμῷ reſtituendam eſſe hoc loco, quia Gal. citat hunc locum, & addit. Ergo a fame natum. Quod autem hoc contingit, non ſolum Ariſt. tradit, ſed etiam ex infinitis exemplis habetur, & præſertim ab Auenz. in fine ſui libri, vbi ſcribit in Hiſpania quandoq; ortam eſſe exitialiſſimam peſtem, ob ingentem penuriam, quia non ſolum herbas commedebant, ſed ex ſepulchris cadauera: ex qua fame ſubiungit ingenrem peſtem ortam eſſe. Sed diceris cur Hippoc. diſtinguit orobum a leguminibus? nam Gal. definiens legumen, inquit illud eſſe quod inter cere alia non facit famem, & inter huiuſmodi numerat orobum: quæ igitur eſt ratio, propter quam Hippoc. diſtinguere videtur, ſecus quam facit Gal. dupliciter reſponderi poſſe exiſtimo; vno pacto, Gal. in eo libro de aliment. facultatibus locutum eſſe populariter, non autem exquiſite: nam ibi Gal. ſcribit fabam eſſe legumen, imò primū locum illi tribuit inter legumina. quàm Clemens Alexand. dicebat per excellentiam vocari legumen, cum ex fabis fiunt panes non ex legumine. Niſi dicamus fabam antiquorū aliam eſſe quam noſtram. Alterum eſt obſeruandum, quod ſcribit Hipp. dicens: legumina omnia flatulenta eſſe, ſubiungit id quidem verum eſſe, ſed quodlibet habere quidquam

lib. 4. cap. 2.

3. de Repub.
8 ſymp. 9.

2. de nat. hum

lib. 1. de alim. fac.

lib. 4. acut.

quam peculiare. Vnde legumina in Aeno hoc habebant particulare, vt redderent crura imbecillia: sed orobi hoc, vt genua dolerent qui his vescerentur. Erat postremò loco propositum quomodo legumina facerent crurum imbecillitatem, & orobi dolorem genuum. Circa quæ repetendum memoria est, quod scribit Hippocr. & Gal. scilicet legumina omnia tam cruda, quàm cocta flatum producere, pro cibis nequaquam bona esse, nisi cum alijs misceantur. & paucum atq; impurum alimentum producere. Plutarch. quoq; in Probl. rationem quærens, cur Ægyptij & Pythagorici abstinebant a fabis, inquit: idcirco esse, quia legumina impurum humorem & spiritum corporibus ingenerant. Sed quod magis est, Aeginet. scribit: ex morsibus hominum vulnera praua generari, & præsertim si quando mordent ediderint legumina & lentes, quasi solus halitus aptus sit violare corpora nostra. Quæ omnia dixi, vt intelligatis hanc vim habere, vt paucum & impurum alimentum generent. Quod si ita est, iam facile videbitis, cur ex his Thraces incidebant in impotentiam crurum, & genuum dolorem; nam ex his generabantur succi crassi, impuri, & praui, qui additi fami, & inopiæ quam patebantur, hanc imbecillitatem crurum faciebant. Arist. quærens rationem, cur illi qui fame præmuntur & qui vescuntur vitiosis alimentis, tumidos pedes habent, dicit: quod in vtrisq; generantur praui humores, qui præcipitati in pedes, illos tumidos reddunt. Itaq; cum hi fame præmerentur & nullis alijs cibis vescerentur quàm leguminibus, accumulabant magnam manum prauorū humorum, qui præcipitati in pedes induxerunt ambulandi impotentiam, & crurum imbecillitatem. De Eruo scriuit Gal. esse alienū a cibis humanis, difficulter coqui generare prauos succos. Dioscorides scribit: omnibus qui frequenter eruo vescuntur sanguinem per vrinam exire. Sed Plin. anumerans erui mala, inter cetera scribit esse cibum homini insuauissimum, vomitum mouere, & tandem inquit genua degrauare. Ita vt si examinemus verba illius non ex se, sed ex aliquo veterum, fieri potest vt intellexerit, vel legerit hunc locum apud Hippoc. quod in Aeno grauabantur pedes propter vsum erui. Satis hæc dura videntur esse. Sed tres tamē dubitationes sese offerunt, prima ex Theoph. qui scribit: eruo, lupino, & ciceri nullum animal innasci; nisi ciceri erucas, & tribuit hoc amarori horum leguminū. Quod si verum est immunes sunt ab omni putredine. ergo non ita damnandi. Alia est, cur eruum dicatur potissimum ab Hipp. tentare genua, est quidem rationi consentaneum quod legumina tendant ad pedes, ad partes infernas, sed cur potius ad genua, quàm ad aliā partē. Illud est dubium tertium, cur admiratione dignū putauit? siquidē nō videtur esse mirum: quia id quotidie videmus, eos qui huiusmodi cibis vtuntur, semper habent vires imbecilliores. Circa primam difficultatem respondeo, eruum & legumina posse adhiberi pro nutrimento, aut medicamento, si pro alimento, mala sunt; si pro medicamento hæc etiam suas vires, vsusq; habent. Et propterea quando Theophrastus commendat illa vt medicamenta, propter amarorem laudat illa. Igitur verè dixit. Verum est etiam quod dicit Hippoc. loquens de leguminibus vt alimentis. Circa secundam difficultatem dupliciter responderi potest; vno modo, quod legumina orobi propriè genuum imbecillitatem afferrant propter euacuationem sanguinis: quia, si verum est quod dicit Diosc. frequentem esum orobi prouocare sanguinis euacuationem per vesicam: fieri potest, vt hi populi propter sanguinis euacuationem acceperint imbecillitatem genuū. testis est Aret. qui de fluxu sanguinis per hemorroides, illud signum scribit certū, quod genua grauia & dolentia sunt. Aliter responderi potest, quod hoc facit ex arcana, & propria ipsius naturæ conditione; sicut enim lepus marinus pulmones duntaxat lædit; cantarides, vesicam; lolium, oculos: vt etiam apud Plaut. legimus: ita existimare possumus, eruum esse inimicum genibus proprietate quadam, cum Plin. hoc tribuit eruo vt degrauet genua. Sed si placet etiam aliquam aliam rationem afferre, possumus dicere, tanquam legumen crura petere orobum; sed quia succus eius acris & mordax est, vt dicebat Theophr. hinc fit, vt vbi genua tangit statim dolorem excitet. Ad tertium responderi potest Hippocratem quantum ego puto, propter tria voluisse hæc adnotare, primum, quia erat hic morbus promiscuus, & communis, tam viris, quàm fœminis: præterea, quia (vt ipse dixit) durauit hæc affecto,

quàm

lib 4. Acut. lib. 1. de alim. fac.

lib. 5. cap. 26.

sec. 1. Probl. 35.

li. de alimen. fac.

lib. 22. c. 25.

quam diu durauit fames, postremò, non quod in ea constitutione duntaxat hæc mala dominarentur. nam (vt ego puto) etiam alij morbi pestiferi coniungebantur, sed vt docetur præter cœli constitutionẽ pestiferam, adfuisse etiam prauum victum; & eo maximè, quod homines omnes attingebat. Ex hoc discursu potestis intelligere documentum egregium, scilicet, vt ante cætera vbi morbi populares vagantur, animaduertatis diligenter, an victus aliquis prauus communis adsit. præterea potestis colligere, maximè abstinendum esse omnibus his qui tuentur valetudinem, a leguminibus, & præsertim his, qui laborant cruribus aliquo pacto. Et non solum hæc aduersantur podagricis, sed illis qui cerebro laborant; Plutarch. scribit Sacerdotes Ægypti abstinuisse semper ab esu leguminum, quod excrementa impura & aduersa nobis gignant: vbi annotandum est huiusmodi Sacerdotes consueuisse vti pro cibis semine lini; id quod Gal. etiam habet. Addit quoque aliud Sacerdotes amasse vsum lini, propter candorem; & quia huiusmodi vestimenta putantur esse inimica animalibus, & non in ijs vllum generari.

lib de Isid. & Osirid.
li. 5. de alim. fac.

Επιτηδεύειν ὀξυθυμίην ἐμποιέειν, καὶ χρώματος ἀναλήψιος ἕνεκα καὶ ἐγχυμώσιος, καὶ εὐθυμίης, καὶ φόβος, καὶ τὰ τοιαῦτα: καὶ ἢν μὲν τὸ ἄλλο σῶμα συνοσέῃ, ξυνιῆσθαι, εἰ δὲ μὴ, τοῦτο.

Curandum iram inferre & reuocandi coloris causa, & effusionis succorum, & lætitiam, & timorem, & huiusmodi, atq; si aliud corpus simul ægrotet, simul curare, si autem non, hoc.

Plato in initio Charmidis tantum esse consensum & συμπάθειαν inter corpus & animum scribit: vt omnia fere mala nobis ab animo contingant. Neq; solum hoc de malis est existimandum, sed etiam de bonis. Hoc cognoscens diuinus Hippoc. nobis præclarissimum, & vtilissimum proponit documentum; est autem hoc, Medicum debere interdùm facere iracundiam gratia euocationis coloris, & effusionis humorum, atq; etiam lætitiam & timorem. Vt iure inter causas non naturales, quæ faciunt ægritudines & sanitatem recenseant Medici omnes, animi affectus. Sed cur Hippoc. post constitutionem Aeni, statim hanc sententiam subiungit? puto hoc consilio compulsum illud fecisse, quia cum in constitutionibus pestiferis animi maximè consternẽtur, ita vt magis hac de causa laborent, voluit annotare hanc sententiam tanquam maxime necessariam scitu. Est autem præclarissima & vtilissima, quia Gal. plærunq; eam celebrat, & Plat. in his laudat Gal. prudentiam & sapientiam Hippoc. in hac sententia. Vt igitur videamus quidnam in hac contineatur, duo summatim contemplari necesse est, cur cum sint multi animi affectus; Hippocr. trium duntaxat meminit. alterum quomodo dicat iram conferre ad reuocationem coloris, & ad effusionem humorum, quomodo etiam dicat, Medicum debere generare lætitiam, & timorem. Quod ad primum attinet, puto eo consilio duntaxat hos affectus referre, quia ab his maximè corpora nostra mutantur. Quod hoc sit verum perspiciamus singulatim. Ira fit ex ebullitione sanguinis circa cor, non quod fit ebullitio, sed quod fiat cum hac, vt Arist. scribit. A calore cordis gubernatur vniuersum corpus: quare si verum est, moto & alterato principio, necessario vniuersum corpus mutari, ita in ira fieri æquum est. Iure ergo iræ meminit Hippocr. quia maximè alterat corpus nostrum. De lætitia etiam satis constat, habere maximam vim ad permutanda corpora, vitæ, necisq; vt relatum sit ex lætitia quosdam interijsse. Idem de timore est existimandum, qui fit ex retractione caloris ad cor, ex quo omnia externa videntur mutari, quia pallidi timentes sunt. Cum ergo clarissimum sit ab his tribus maximè corpora nostra immutari, de his tantum fecit mentionem. Circa secundam, Gal. celebrans hanc sententiam Hippoc. scribit: iram excitare calorem natiuum & consequenter diffundere humores. effusis humoribus restituitur calor toti corpori, & color. quod calor restituitur clarum est, quia effunditur sanguis, & color, quia restituuntur humores in cute: nam Hippoc. initio libri de humoribus, dicit, tales esse colores, quales sunt humores. Hippoc. etiam & Gal. scribit: iram trahere cor & pulmonem

6. Epid. com. 5. tex. 9. & 6. de plac. Hipp. Cap. 9. & 3. de diff. resp.
sec. 26. Probl.
3. de diff. resp. cap. 10.
6. Epid. com. 5. tex. 9 & Gal. in 3. 5. et 6. de plac Hippoc. & Plat.

nem in sese, trahere etiam in caput necnon calidum, & humorem. Vt hinc facile colligi possit, necesse esse, quod scribit Hippoc. & Gal. iuuare ad reuocationem caloris & effusionem humorum. Lætitia etiam maxime iuuat, quia sicuti ira contrahit cor & viscera, ita lætitia dilatat. Vt magnus sit eius vsus: timor etiam maximè vsui est, quia cum reuocetur per timorem calor in interiora, fit vt propter hoc magnus etiam eius effectus sit vsus, & emolumentū. Sed duæ hinc oriuntur non inutiles dubitationes, prima est cur cum iracundia plures alios effectus facit Hippoc. tantum narrat reuocationē caloris, & effusionē sanguinis. præterea si iracundia sit affectus adeo potens, cur nemo sese ira interficit, vt scribit Gal. Quod ad primum dubium attinet, respondeo: Hippoc. contentum fuisse eum iracundiæ effectum commemorare, a quo omnes alij pendent. Quicquid facit ira, facit per ebullitionem sanguinis ad quam consequitur reuocatio caloris. Ad secundum dicendum est, propterea neminem perire, quia calor in ira feruet quidem magis, sed tamen non hebetatur, aut corrumpitur vllo modo. Hoc scribit Gal. loco comemorato & lib. de diff. resp. eodem capit. vbi dicit iram potius corroborare calorem, quàm obtundere. Si fiat febris statim desinit, quod indicium est mutari quidem, sed non corrumpi. In lætitia, diminuitur & hebetatur in ea effusione. Et hinc est quod moriuntur, quod calor sese diffundens, relinquit proprium principium. In metu occidunt etiam, quia propter metum, calor colligitur circa cor & suffocatur desertis a calore partibus extremis, & propterea etiam statim pereunt. Subiungit Hippocr. si quid aliud quoque est in corpore curandum est, si minus curandum & est hoc. Vult nos docere, vbi expedit medico, non solum eum debere animi affectibus introducedis studere, verum debere animaduertere, si quidquam est cum his quod mereat curationem: exempli graria, si quisquam mæret, videre oportet, an adsit tumor lienis, an feruor hypochondriorum. In ira pariter videre oportet, an aliquod lateat mali: quod curandum est. Si nihil fit, curandum est hoc, hoc est, ipsis affectibus commoderandis strenuè incumbat. Ex hoc discursu breuiter videndum est quam vtilitatē pro medicina facienda colligere possitis, erit autem hæc, vt videamus quādo, & quomodo debeamus huiusmodi affectus inducere, Galen. qui totam hanc rem diligenter distinxit videtur credidisse Hippoc. loqui de corporibus extenuatis & refrigeratis, quasi in his sit excitanda propter ebuliationem sanguinis, & reuocationem caloris ira. Et sane illud verissimum est, vbi corpora occurrunt refrigerata, debere iram facere. Vnde in melancholia interdum confert, in timentibus, & ijs qui in longos somnos inclinant. Habemus apud Horatium scriptum, auarum quendam a letargo seruatum esse, cum fingerent amici sibi pecunias & aurum velle substrahere. Veruntamen moderatè tamen illud scire oportet, quod scribit Galen. quod quemadmodum medici percipiunt ægris vt exerceant sese, sed moderatè: sic quoq; postulare rationem, vt excandescentia quidē excitetur, sed moderatè, vt calor natiuus excitetur. Pariter de lætitia est existimandum. Sunt multi morbi qui fiunt a mœrore, vt Gal. narrat qui possunt quādoq; inducere morbos pestilentiales. In his ergo inducere oportet lætitiā. & hoc est quod scribit Celsus, tripudijs & cantu curari. Timoris quoq; non exiguus vsus est ad coercendas nimias fluxiones, & præsertim sanguinis, fuerunt plærique qui ab ingentibus sanguinis fluxionibus solo metu mortis fuerunt liberati. Hinc aquam frigidam adhibent, & inopinata mala. Confert præterea vt ægri fiant obsequentes, scribit enim Gal. aliquos esse vsq; adeo pertinaces & inobsequentes, vt nisi medicus ijs metum incutiat nunquam pareant illius mandatis, & præcepto. Itaq; debet his minari mortem. Confert etiam ad euacuationem faciendam, dicebat enim Arist. metuentibus sæpe vrinam & fœces exire, atracto calore natiuo excrementa expellente.

Marginalia: 2. de sympt. caus. cap. 5. — 2. de tuend. val. — 3. de diff. resp. — Ser. 2. sat. 3. — 3 de presag. ex pul. cap. 4. — 2. sec. prob. 10

Ἡ Στυμάργεω οἰκέτις ἡ Ἰδυμαίη ἐγένετο, ὡς ἔτεκε θυγατέρα, ἐπέστραπτο τὸ στόμα τοῦ αἰδοίου, καὶ ἐς ἰσχίον καὶ σκέλος, οἰδύνη παρὰ σφυρὸν: τμηθεῖσα ἐῤῥήϊσεν. καί τοι καὶ τρόμοι κατὰ σῶμα πᾶν κατῆχον. ἀλλ' ἐπὶ τὴν πρόφασιν διελθεῖν, καὶ τῆς προφάσιος τὴν ἀρχήν.

Stymargi famula Idumæa erat, cum peperißet filiam os vteri contortum est, & in coxam & crus dolor iuxta, talum secta vena liberata est, etiamsi tremores secundum corpus eam tenebant. Sed ad occasionem oportet venire, & ad occasionis initium.

Cur post narrationem constitutionis Aeni subiungit hanc historiam nulla pene afferri potest firma ratio; existimandum est tamen propterea Hippoc. subiunxisse, quia fuit casus quem vidit in ea constitutione. Audite ergo historiam mulier quædam facta ast serua viri cuiusdam procacis, a quo compressa, grauida facta est, qucmadmodum solent veteres ex seruis sæpe liberos procreare, peperit. & quia a partu os vteri contortum est, hanc contorsionem sequutus est dolor coxæ, & tremor totius corporis. propter quos affectus Hippoc. misit sanguinem e talo, & liberata est. Subiungit huic historiæ relatæ præclarissimum Aphor. scilicet, veniendum esse ad occasionem, & ad occasionis initium. Hæc fuit historia, quę propterea ab Hippoc. litteris est consignata, quia aliquid & vtile, & admiratione dignum habet. Videamus ergo & vtilitatem, & id quod habet admiratione dignũ. Videbimus inprimis, cur Hippoc. apposuerit nomen viri, & cur apposuerit patriam ipsius mulieris, Idumea erat. Secundo videndum erit, cur ex partu fit consequuta contorsio vteri, & factus sit dolor, & tremor. Tandem videre oportet cur Hippoc. inter remediã duntaxat retulit sectionem venæ. Primum de nomine videamus, Gal. in lib. de ling. in nomine Στυμάργε, & innuens hanc historiam inquit, duplicem fuisse lectionem in vno Στυμάργε famula, in altera, συμάργε quam acceptauit Dioscorid. & videtur Gal. potius acceptasse Στυμάργε lectionem. Docens autem, quid hoc nomen significet, inquit: significare virũ procacissimum, & valde libidinosum. Adeo vt existimandum sit hanc, seruam fuisse viri maxime libidinosi. Quod pertinet ad cognomẽ seruæ, erat Idumæa Idumei erant Populi Syrię inter Iudeã & Arabiã, qui pulsi aliquando a proprijs latibus, venerant in Iudæã & extremã partẽ Iudeæ habitabant. victitant hi semper fere palmis. Confert cognitio harũ rerum ad intelligendam veram causam contorsionis vteri. Et propterea videte, quam admirabili iudicio Hipp. nobis singula verba proponit. Contorsio vteri est affectus, in quo os vteri discedit a propria regione, & modò in vnum, modò in aliud latus inclinat, est enim velut luxatio, quæ fit a sanguinis multitudine collecta in vtero: qui vbi colligitur in vna parte, reddit eam grauem, & hinc fit vt inclinet & discedat a propria regione. Inter causas externas, inprimis solet esse coitus exercitatus, vbi grauida est mulier: prægnantibus enim os vteri durum euadit, & etiam prominet paulisper: facile enim tangitur os vteri, quando volunt experiri, an grauida sit mulier. Solet etiam hic affectus fieri quotiescunq; statim a partu vir congreditur cum muliere, eo enim tempore, mulier a partu est labefactata: fit etiam a laborioso partu: sæpe enim fit, vt in partu non adhibeatur illa cura, quæ debet adhiberi, & propterea e loco mouetur. Ergo hæ sunt causæ contorsionis vteri. Videamus quàm apposité, apposuit nomen Στυμάργε. nam si significat virum maxime hircosum, & libidinosum, par est existimare eum ob cõgressum cum muliere, ante partum, & post partum, in causa fuisse, vt os vteri luxaretur. Potuit etiam alia causa fieri, quia cum hæc mulier erat ancilla, non poterat eas commoditates habere, quæ requirũtur. Adderat etiam aliud, quod sibi puerperia importunè sint suppressa; quia forsan parũm curæ habuerunt illius. & hinc os vteri contortum est. Quia secta vena liberata est, hoc indicat a repletione sanguinis fuisse os vteri contortum. Quod ad cognomen patrię ipsius mulieris attinet, est compertissimum apud omnes Medicos, & præsertim apud Gal. fructus palmæ frequẽter esitatos inducere capitis infirmitatẽ, & tremorẽ, tremor; vt dicit Gal. fit a facultate imbecilli: quæ nequit substinere corpus; vnde fit velut lucta q̃dam, ac ꝓpterea dum onus deorsũ vergit, & facultas motrix tota ꝓpagatur a cap. in vniuersũ corpus. Itaq; qui habet caput

De simp. med. & 2. de alim. facult.

Lib. de trem. et li. de sympt. caus. cap. 2.

caput debile facile in tremorem incidunt. Vnde cum hæc mulier habuerit caput debile ex vsu palmularum, incidit in tremorem, quia propter debilitatem cerebri non potuit ea facultas motrix communicari corpori, quæ erat necessaria. Hinc voluit aponere nomen palmæ. Sed cur non meminit vllius remedij, quàm venæ sectionis? & cur potius a talo secuit quàm a poplite, cuius vena tamen proximior est vtero? Voluit Hippoc. duntaxat commemorare sectionem venæ tali, quia hoc remedium minimè videtur conuenire. proponit rara Hipp. Gal. narrans hanc historiam inquit neminem alium quam Hipp. hoc facturum fuisse, quia sicuti in hydrope, qui est affectus frigidus, non videtur conuenire venæ sectio: ita etiam in tremore. Sectio venæ refrigerat magis corpus, & labefactat vires. propterea non videbatur conuenire. Nemo alius adhibuisset hoc remedium, nisi Hipp. qui maximo ingenio & consilio subiunxit consilium litteris aureis signandum, scilicet, veniendum esse ad occasionem, & ad occasionis initium. Quasi dicat, vbi mittere oportet sanguinem, non debet Medicus solum spectare affectum, & naturam affectus, sed causam, & occasionem illius causæ: vt ipse Hipp. fecit, qui dimissa cogitatione ipsius affectus, qui erat totus frigidus, se totum contulit ad spectandam causam & occasionem huius mali. Sed quæ erat illa? interna, (quia non spectantur externæ, nisi per accidens, quatenus indicant internas, in venæ sectione) erat multitudo sanguinis, qui dum oneraret partem vnam vteri, fecit ipsam propendere. Sed quæ fuit causa copiæ sanguinis? retentio puerperiorum. Hæc erat serua, & forsan optimi habitus, & sanguinei, & propterea debuit habere copiosa puerperia. sed quia retēta fuerunt, iure missione sanguinis libera euasit; quia causa coniuncta ipsius contorsionis vteri tota fuit sublata: & consequenter existimandum est sublatum esse dolorem coxæ, & cruris. Sed cur potius voluit secare venam tali, quam poplitis? Posset aliquis forsan respondere, venæ poplitis incisionem non esse vsitatam. Sed hæc responsio non mihi placet, quia chirurgi imperiti nesciunt facilè pertundere hanc venam: tempore Hipp. erat remedium frequentissimum. Et propterea potestis etiam obseruare, inter remedia affectuum mulierum recenseri quoq; sectionem venæ tali, fuit ergo alia causa. Gal. (in quo loco præclaram doctrinam nobis tradit mittendi sanguinem) ex omni parte inquit plenitudinē corporis maximè exinaniri per sectionem venæ internæ cubiti dextri, quia ibi sunt plurima vasa. Vbi autem propter imbecillitatem virium non licet, optimum est a cruribus iubere sanguinem detrahi, per venæ sectionem, vel per scarificationem: quia etiam per eas, plenitudo totius corporis euacuatur. & addit, quod nobis nullum detrimentum ex ea incisione inuritur. Hoc itaq; si verum est, vt ego puto esse verissimum, iure voluit secare venam tali, vt minor noxa huic contingeret: peperit enim, & peperit puellam; partus puellarum semper solet esse grauior, quia minus auxiliantur partui fœmellæ, quàm mares; præterea tremebat, tremor est soboles & effectus debilitatis facultatis. Igitur Hippocr. vt auerteret detrimentum debilitatis facultatis maius, iure ibi sanguinē detraxit, vnde minor virium noxa & debilitas posset inferri, scilicet a talo. Addo etiam aliam vtilitatem, quia maxime confert ad dolorem leniendum. Scitis optimam illam esse diuersionem, quæ fit ad loca contraria, pedes sunt extrema corporis nostri, & veluti aduersa omnibus alijs partibus nostri corporis. Et hinc factum est vt cessauerit dolor, delata materia dolorifica ad illum locum. Ex hac historia illud documentum vobis comparare potestis, vt mulieres in parturitione recte gubernentur, & ante partum, & post partum fugiant virum. Præterea obseruate, locum hunc maximè aduersari ijs, qui putant indicationem sanguinis mittendi desumendam esse a quantitate & natura morbi: quia si Hipp. hic respexisset affectum, qui erat frigidus, & vires debiles, non seccasset venam; sed respexit ad causam quæ erat copia sanguinis, & propterea indicatione sumpta a plenitudine, adhibuit hoc remedium & contulit. Vos ergo debetis semper respicere ad causam affectus in venæ sectione, quia hoc remedium non est curatiuum, si exquisitè loqui volumus, quia aufert causam, ea propter debetis potius animū adhibere ad ipsam causam.

l. de ven. sect. aduer. Erasist. cap. 5 & li. de trem. cap. vlt.

lib. 4. de sanit. tuend.

HIERONYMI MERCVRIALIS FOROLIV. IN SECVNDVM EPIDEM. HIPPOCRATIS.

SECTIO QVINTA.

Ὁκόσοι πυῤῥοὶ, ὀξύῤῥινες, ὀφθαλμοὶ σμικροὶ, πονηροί. ὁκόσοι πυῤῥοὶ, σιμοὶ, ὀφθαλμοὶ μεγάλοι, ἐσθλοί.

Quicunq; ruffi sunt & acuto naso, ac paruis oculis, praui, qui verò ruffi, simi, & magnis oculis, boni.

QVOD sæpe dixit Hipp. verissimum est, medicos non minus debere curare sanitatem animi, quàm corporis; & sicut necesse est eum cognoscere statum corporis: ita quoq; animi statũ debet scire, & hac ratione fecit libellum Galen. quomodo cognoscendi sunt morbi animi. Cognitio morborum omnium habetur per signa: quæ pertinent ad artem illam medicinæ, quæ σημειωτική appellatur. sicut φυσιογνωμία, signa morum animi explicat. Vt propterea magnus Hipp. qui multa docuit de morbis corporis, & animi, non dubitauit etiam aliquid tradere de signis quibus cognoscitur animi status; vnde multa quoque habet ad physiognimiam pertinentia initio quintæ sectionis libri huius. Est autem physiognomia, vt Aristot. dicit, nihil aliud, quàm cognitio morũ animi sub aspectu. quę autem sub aspectu cadunt sunt, vt Aristot. testatur lib. 2. de anima, & lib. de sen. obiecta communia, & propria. obiecta propria sunt colores: communia autem obiecta aspectus numerantur quatuor, figura, magnitudo, numerus, motus. Ita signa cognoscendi mores animi, quæ pertinent ad physiognimiam, capiuntur ex his fontibus, colore, figura, magnitudine, numero, & motu. Quare tractaturus Hippoc. de signis his, iure cepit a coloribus capillorum, a figura, & magnitudine. Est sententia Hippoc. eos qui pilis ruffis sunt, oculis paruis, & naribus acutis, malos esse: eos vero qui sunt ruffis pilis, sed naribus simis, &
96. Prob. 1. oculis magnis, bonos esse. Videamus ergo quæ in hac dictione lateant scitu digna. Arist. quærens rationem, propter quam consueuerunt homines effigiem solum faciei depingere dicit: nõ ob aliud hoc fieri, nisi quia ex facie maximè cognoscitur, qui, & quales sint homines.

res. Diuinus etiã Plato in dialogo qui Eutyphron inſcriptus eſt dicebat: ad dignoſcẽdos homines inter ſeſe maximè conferre capillos, barbam, & naſum; vnde cum accuſatores Socratis, vt Plato in Phædone teſtatur vellent eum depingere, depinxerunt ex capillis, barba, & naſo. Atque hæc eſt etiam cauſa propter quam maximè homines inter ſe differunt, quod non habent bruta, quia multo inter ſeſe diſſimiliores facies habent homines, quàm bruta. quod ſiue fit ob imaginationem, ſiue ob aliam cauſam, non eſt opus nunc definire. Igitur maxima ratione traditurus Hippoc. ſigna cognoſcendi mores animi, prius incipit a capillis, naſo. Et vt ſingula perſcrutemur primo occurrit nobiliſſima dubitatio; cur dicit pilos ruffos, æque indicare bonitatem, quàm prauitatem; bonitas & prauitas duo ſunt contraria, non itaq; videtur rationi conſentaneum eſſe, vt ab vno & eodem ſigno contraria indicentur. Pro huius rei reſolutione, illud ſciendum eſt, colorem (qui πυῤῥὸς appellatur, a Latinis ruffus dicitur, ſed forſã melius eſt, vt interpretarerur fuluus) fieri ex flauo, & pallido, vt Ariſt. docet; perinde ac ſi parum ſandrachę aquæ miſceas, fit flauus, qualis color apparet in aurichalco & auro: ſed inſignis oritur dubitatio circa huiuſmodi colorem ruffum: nam Gal. ſcribit colorem ruffum ſemper ſequi frigidum temperamentum. Ex alia parte eſt idem Gal. qui ſcribit: pueros habere pilos ruffos. Sed hi ſunt calidi & humidi, non igitur color ruffus ſequitur frigidum temperamentum: præterea Hippoc. & Gal. ſcribunt Germanos, Dalmatas, Illiricos, Scythas eſſe omnes ruffis capillis. Sed huiuſmodi corpora maximè calida ſunt. Igitur non eſt verum quod ruffus color fit a frigore. Quod autem calida ſunt, teſtatur Ariſt qui ſcribit habitatores plagarum ſeptentrionalim propter cœli frigiditatem maximè calidos eſſe, ita vt ſemper ſint ebrijs ſimiles: qua ratione ſunt ſemper ingenio admodum confuſo. Præterea ſi verum eſt, ruffũ colorem fieri ex bile cum aqua: bilis calida eſt. ergo non poteſt ſequi hic color frigus. poſtremò Ariſtot. poſt rem a ſec. Probl. ſecundo dicebat, purpurarios & piſcatores eſſe omnes ruffos, propter maris caliditatem & ſiccitatem. Ex quibus omnibus facile patet euidentiſſimã contradictionem eſſe in Gal in tractatione huius coloris; Hippoc. & Ariſt. Eſt quidem hic locus apud me valde difficilis, & ſemper fuit. Sed dicam tamen quod reſpondendum putem. Ruffus color (vt Gal dicit) dupliciter accipi ſolet, vel propriè, vel communiter, quãdo communiter. nomine ruffi, intelligitur, quicunq; color eſt veluti medius inter flauum & pallidum: Si propriè accipiamus ruffum colorem, qui conſtituit propriam & ſingularem differentiam, certè hic ſemper ſequitur caliditatem, & de hoc Gal. loquitur & Hipp. & Ariſt. Si communiter accipiamus, dico huiuſmodi colorem poſſe etiam ſequi intemperiem frigidam: & de hoc exiſtimo Galen. loqui. His ita conſtituris videre poſſumus, quo conſilio Hippoc. dicat ruffos poſſe eſſe bonos, & malos. nam ſi ruffus color communiter accipiatur, cum poſſit ſequi temperamentum frigidum & calidum, iure poteſt nobis denotare bonitatem & prauitatem: quia cum ſequatur contraria temperamenta: & temperamenta ſequuntur mores: de vtroq; nos certiores reddit. ita hiſtoria ſacra meminit, Eſau ruffum, fuiſſe ſceleſtiſſimum. Dauidem ruffum, Deo acceptiſſimum. Poſſumus etiam alio pacto reſpondere, ruffos pilos poſſe eſſe vel mediocriter, vel intenſè; mediocriter ruffi pili boni ſunt, hoc eſt bonos mores indicant illi: verò qui ſunt ruffi valde, praui ſunt, hoc eſt prauos mores indicant. Et hoc verum eſſe intelligere poſſumus ex Ariſtot. & Polemone, ex Ariſt. qui ſcribit valde ruffos, prauos eſſe. Quare vbi ſcribit ruffos indicare prauitatem, intelligendum eſt de ruffis pilis intenſè; vbi dicit indicare bonitatem intelligendum eſt de ruffis pilis, non intenſè. Non minor dubitatio videtur eſſe circa nares, Hippoc. enim (vt audiuiſtis) ſcribit: eos qui naſum acutum habent eſſe malos: eos verò qui habent naſum ſimum eſſe bonos. Ex altera parte Polemon, & Adamantius docent: eos qui ſimum naſum habent eſſe, guloſos ebrioſos, & luxurioſos, qui verò habent aduncum eſſe præclara mente, & ingenio prædltos. Itaq; videtur inter hos eſſe contradictio. Hæc difficultas poteſt tolli ex ijs, quæ habentur apud Plutarchum, naſum acutum dupliciter dici, alij enim a ſupercilijs vſq; ad extremitatem ſemper acutum habent, & appellantur [illegible] alij duntaxat circa medium. ſi loquamur de prioribus omnes mali ſunt, &

Lib. de colorib.

Sec. 14. prob. 15

6. Epid. com. 1. t. 6.

2. de temp.

lib. art. med. cap. 58.

de ijs

de ijs loquitur Hipp. inquiens habentes nasum acutum, esse omnes malos. Si autem loquamur de naso adunco. secundo modo, procul dubio huiusmodi potius bonos mores indicat. Dicit autem Arist. in physiognomicis, huiusmodi semper indicare præclaram mentem, & hæc est ratio, quare Persæ maximè diligere solebant homines naribus aduncis, scilicet quia Syrus fuisset hac figura, quem cum maximè diligebant existimabant omnes simili naso, esse bonos. Patet ergo quomodo contradictio soluenda sit inter Polemonem Arist. & Hippoc. postremo inquit Hippoc. Habentes oculos paruos, malos esse: eos verò qui magnos oculos habent, esse bonos. quasi mansuetudo oculorum maxime faciat ad indicandam bonitatē vel prauitatem animi: quod oculi hanc potestatem habent non solum indicat Hippocr. qui scribit, quales sunt oculi, talia etiam esse corpora; sed demonstrat etiam Arist. semper colorem totius corporis sequi colorem oculorum. Verum difficultas est, quia Hippoc. damnat oculos paruos; laudat autem oculos magnos, contra Polemon & Adamant. scribunt, habentes oculos magnos esse amatores vini, & luxuriæ, imò verò Sueton. in vita Tyberij, narrat ipsum magnis oculis fuisse: Tyberius fuit omnium truculentissimus, & scelestissimus, & præsertim in postremo imperij. Itaque non videtur esse verum eos qui habent oculos magnos, esse bonis moribus. Pro solutione huius contradictionis recurrendum est ad Gal. vbi scribit oculorum magnitudinem vel posse iungi cum concinnitate figuræ, vel cum inconcinnitate. Si iungatur cum concinnitate figuræ inquit Gal. æque indicare bonitatem morum, atq; prauitatem, si cum inconcinnitate & prauitatem oculorum cum concinnitate, bonos, cum inconcinnitate prauos arguere testatur. Vel possumus etiam dicere totam hanc dictionem posse accipi collectiuè vel partibiliter. si partibiliter, non est verum. habentes nasum acutum, aut oculos paruos semper esse malos; sed si collectiuè accipiamus: vt si quisquam habeat oculos paruos, nasum acutum & pilos ruffos, esse malum: & si aliquis habeat nasum simum, oculos magnos & pilos ruffos, hunc esse bonum. Sed dicet aliquis vestrum, fateor omnia quæ nobis reliquit Hippoc. verissima esse. Sed optamus scire, quæ sit potissima causa cur hæc indicent bonitatem, vel prauitatem? Ratio huius rei potissimum in eo est posita, quod mores animi sequuntur, corporis temperamentum. & addo ego, quod mores animi sequuntur particulariter operationem cerebri, vt ex Gal. & Hippoc. facile vnusquisque vestrum potest colligere. Si itaque hoc verum est, mores animi necessario oriri ex temperatura cerebri: necesse est signa, quæ indicant bonitatem animi, indicare etiam bonitatem cerebri: & signa quæ indicant prauitatem morum animi, indicare etiam prauitatem cerebri. Videamus modò quomodo hæc indicant diuersa temperamenta. In primis ab oculis incipiamus, certissimū est, vbi magni sunt oculi & concaui, indicare magnitudinem cerebri, quia oculi (vt dicit Arist.) semper sequuntur constitutionem cerebri. Si etiam concinni sunt, indicant non solum copiosum esse cerebrum, sed etiam esse bene temperatum, quia ab his decor & concauitas oculorum ortum ducit. Pariter si parui sunt, indicant prauitatem si inconcinni; quia indicant prauitatem cerebri, & eius intemperiem parui & concinni oculi, indicant quidem paucum cerebrum sed temperatum; & propterea existimandum est truculentissimum illum Tyberium habuisse oculos magnos & inconcinnos. Idem de naribus est intelligendum. Audiuistis quæ dixerit Hippoc. de ijs qui capillos ruffos habent. Circa quę dubitari potest, ad quid nam hæc tractatio vtilis sit, in medicina facienda, maxime quia aliqui physiognimiam contempserunt: inter quos fuit Ioan. Francisc. Pic. Mirandulan. Sed cum Hippoc. hæc tractat qui nihil superuacaneum & inutile recenset, iure censendum est, hanc partem minimè inutilem esse, maxime quia veterinarij solent ad cognoscendam brutorum indolem, ea vti. Puto ego ex vsu huius artis tres vtilitates comparari; prior est, ad cognoscendum temperamentum. Scitis quantopere refert in facienda medicina cognoscere temperamenta corporis. ad hæc cognoscenda maximè refert scire, mores & ingenia hominum: quippè, quæ sequuntur temperamentum, teste Arist. & Gal. libello in id edito. Alius vsus huius facultatis est, ad cognoscendos non solum animi, sed corporis morbos, siquidem si verissimum est, intemperanta facile incidere in mor-

[Margin notes: 6. epid. com. 4 tex. 28. — 1l. art. med. c. 4. & 25. — 6. de Hist. ani mal. — 6. præter c. 1.]

bos

bos ſibi ſimiles cum ex his ſignis intemperamenta cognoſcuntur, facile inuenire vnuſquiſque poterit morbos. vt exempli gratia, ſi quiſquam ſit temperamento calido & ſicco, facile conijciet morbos qui illi contingunt, eſſe a bile. idem de alijs putandum eſt. Tertius vſus & poſtremus eſt, ad curanda corpora ægra: ſiquidem vbi ex cognitis morbus cognitum eſt temperamentum, & conſequẽter morbi: habetur etiam ratio & curationis & præſeruationis, vt ſi quis facile iraſcitur, ſignum eſt biliosum eſſe ægrum, & ſignificat ſemper eſſe habendam rationem bilis in curando & præſeruando. Adeo vt certiſſimum ſit eum proponere illa quæ maximè vtilia ſunt. Illud autem diligenter animaduertendum eſt quod ſcribit Gal. in quo loco monet medicos, ne fallantur, vt nonnulli fallebantur, ſcilicet ne ex temperie vnius partis faciant iudicium de toto corpore, vt ſi quis habeat naſum acutum vel ſimum, ſtatim iudicet illum vel humidum vel ſiccum eſſe, aut ſi quiſquam habeat oculos cæſios, vel glaucos. Sed de vnaquaq; parte iudicium eſſe faciendum ex illius ſignis. Vt de temperamento oculi, ex ſignis oculi. Dabat autem regulam, & præceptum memoria dignum, ſcilicet vbi iudicium eſt ferendum, debere animaduertere, vtrum intemperamentum corporis ſit æquale, vel inæquale: quia vbi inæquale eſt, non licet arguere de vno, ad aliud; ſed vbi eſt æquale: licet. Vt ſi habeat aliquis oculos cæſios, & temperamento ſit calido, licet de toto arguere. Sed hic oritur pulcherrima ſpeculatio, ex contradictione in verbis. Gal. vult a temperamento vnius partis non eſſe colligendum temperamentum totius corporis: & affert exemplum oculorum. Et hoc non ſolum ſcribit 2. de temp. cap. 16. ſed etiam tertio in tertium Epid. com. 70. Contra hoc, eſt ſententia Hipp. & eiuſdem Gal. qui ſcribunt quemadmodum oculi ſeſe habent: ita quoq; ſeſe habere totum corpus. Vnde apparet manifeſtiſſimè contradictio. Præterea Auic. ſcribit manus breues, iudicare iecur paruum: & longas, magnum. quod, ſi verum eſt ſequitur, non eſſe verum quod ſcribit Gal. ab vna parte, colligi tantum ſtatum illius cum a ſtatu manuũ m̃, colligitur ſtatus ipſius iecinoris. Pro reſolutione contradictionis dicendum eſt, ſtatum corporis duplicẽ eſſe, vel naturalem, vel morboſum, ſtatus naturalis totius corporis niſi ſit temperamentum æquale, nũquam poteſt colligi ex cognitione ipſorum oculorum, ſic enim intelligenda eſt auctoritas Ariſt. quando ſcribit colorem oculorum ſequi colorem totius corporis: vt in habitatoribus plagarum ſeptentrionalium. oculi omnium ſunt glauci, ob humiditatem. in habitatoribus plagarum meridionalium cæſij, propter ſiccitatem corporis. ſed ſi loquamur de ſtatu morboſo ſecus eſt. Et ſic loquitur Hippoc. & Galen. quando dicunt oculos valere, vt valet totum corpus, intelligunt de ſtatu morboſo: quia vbi totum corpus ægrotat, cognoſcitur a ſolerti medico ex ſtatu oculorum. cauſa apud Gal. in comment. illius loci eſt, vbi ſcribit: proptetea oculos indicare ſtatum totius corporis, quia maxima pars ſpirituum animalium pertingit ad oculos a cerebro. Vnde cum hi gubernent totum corpus, & diſtribuũtur a cerebro ad oculos, & ad totum corpus, fit vt ſtatus totius corporis ab oculis cognoſcatur. Adeo vt intelligendum ſit, quoad vires motrices & ſenſitiuæ dependent a cerebro, omnia ſymptomata motricis & ſenſitiuæ facultatis dignoſci potiſſimum ab oculis. Sed quid ad Auic. reſpondebimus? Auerr. irridet Auic. quaſi ignorauerit valorem & ſubſtantiam facultatis formatricis: vnde ſum hac in re cum Auerr. huiuſmodi ſententiam ab Auic. propoſitam, non eſſe acceptandam: quia neque a Gal. neq; ab Hippoc. ſed ſolum ab vno Auic. fuit propoſita.

2. de temp. c. vltimo.

6. Epid. ſect. 4 com. 28.

2. 1. doc. 3. c. 1 et 14. 3. tract. 1. cap. 3. et 30.

4. ſec. prob. 14

6. Epid.

4. coll. cap. 4.

Ὑδρωπιώδεες, χαροποὶ, φαλακροὶ ἔωσιν.

Hydropici charopi, & calui fuerint.

Sequitur Hippoc. nonnulla alia ſigna proponere: quæ tametſi quoq; phyſiognomica dici poſſunt, habent tamen perſpicuam vtilitatem in medicina facienda, eſt autem ſententia Hippoc. Hydropicos caluos, & charopos eſſe. Quæ ſententia vt exacte intelligatur, ſingula verba diligenter ſunt expendenda: ex qua contemplatione ſpero vos no exiguã vtili-

vtilitatem percepturos esse. Vox ὑδρωπιώδης duo significare potest, vt ego obseruaui, vel eos qui actu hydropici sunt, vel eos qui naturam habent paratam & dispositam ad suscipiendam hydropem, quod autem habeat hanc postremam significationem colligo ego ex simili voce qua frequenter vtitur Hippoc. Obseruabitis sæpe ab Hippocr. commemorari hanc vocem φθινώδης. Et ex sententia Gal. huiusmodi vox plærunq; significare solet eam naturam quæ parata est ad suscipiendam pthisim. & quando dicit πτερυγώδεες esse φθινώδεες, vult dicere omnes alatos esse aptos ad suscipiendam pthisim. Sic ergo hydropici dicuntur illi qui apti sunt ad suscipiendam hydropem. Cum verò hydrops sit collectio aquæ: hæc aqua colligi potest in aliqua parte, vel in toto corporis ambitu. Si in ambitu fit ὑποσαρκα, vel ἀνασάρκα: quando colligitur in cutem, carnibus, necnon in ipsis venis. Siue colligitur in aliqua parte, aut colligitur in thorace, de qua Hippoc. scribit.

l.1.de morb.

Si colligitur in vtero, appellat hydropem vteri, de qua idem eodem in libro agit. Si in scroto, vocatur ὑδροκήλη. si in abdomine adhuc duplex ea est, vel pura aqua, vel flatus & aqua. si fit pura aqua appellatur communi nomine ἀσκίτης ὕδερος si flatus & aqua τυμπανίτης. Nec obstat quod Gal. & Hippoc. dicunt in timpanitide coaceruari dumtaxat flatus, quia vt Cœl. Aurel. appositissimè scribit fabulæ sunt posse hydropem fieri a solo flatu, quia nomen hydropis necessario significat collestionem aquæ. Intelligenda est sententia ipsorum, quod timpanitis fiat a maxima parte flatus.

4.acut.tex.iij

Quando ergo Hippoc. dicit ὑδρωπιώδεες, intelligit omnes eos qui ad aliquam ex speciebus prædictis hydropis suscipiendam sunt parati. Sequitur χαροποι. χαροπος color est ille qui fit ex fuluo & nigro. Latini, vt Fest. Plaut. Plin. rauum appellarunt. Non desunt qui existiment hunc eum esse colorem, qui a Latinis glaucus dicitur. sed falluntur, quandoquidem Arist. distinguit; quia χαροπος maris similitudinem immitatur, glaucus, potius alb. est. Theodor. Gaza apud Arist. transfert hunc colorem fuluũ. At alibi ruffum; sed vtrunq; male vt Simon Portius rectè annotauit. Verũ vtcunq; sit Gal. scribit colorem χαροπον semper sequi calidi & sicci temperamentũ, ac propterea tribui leonibus qui sunt calidi & sicci & Arist. solebat dicere esse argumẽtum magnanimitatis, vt propter hoc sit leonibus ab Homero attributus.

in phis. et l.de colorib.
1.de Hist.animalium.
lib.5.de gen. anim. cap.1.
3. in 3. Epid. com.70.

Sed si res ita se habet, dubitatio oritur, quomodo fieri potest, vt hydropici habeant oculos charopos, qui fiunt a calido & sicco cum hydropici frigidi sint & humidi. Galenus loco citato videns hanc difficultatem inquit: veteres hac de re diuersa sensisse: alios dimisisse hanc dubitationem: at Sabini præceptoris sententiam fuisse, locutũ esse Hipp. hoc loco de pthisicis (hoc est ijs qui parati sunt ad pthisim) quia hi sunt calidi & sicci. ipse autem Galen. videtur magis acceptare hanc interpretationem, quod intelligendum sit de glaucis. Sed (pace Gal. dixerim) non possum illi assentiri, quia non est mos Hipp. pro calido & sicco sumere frigidum & humidum. Quid ergo respondendum est? Hippoc. pro charopis intelligere eos qui habent oculos cæsios, subnigros, & sententiam ipsius fuisse quod in ea constitutione omnes caperentur peste: hoc autem in loco, existimo etiam cæsios intelligere, hoc est, hos esse paratos ad hydropem. Sed quomodo hi possunt esse parati ad hydropem? primum nuper dicebamus, statum oculorum non posse indicare statum totius corporis, & multo minus statum corporis contrarium; similem quidem potest. Hæc res est a paucis tractata & admodum difficilis captu. Sed puto ego esse & raram & vnam ex ijs, quæ ab Hippocr. sunt obseruata, & posteris tradita. Nam secus deberet esse, quia oculi cæsij sequuntur caliditatem & siccitatem, nò videtur rationi esse consentaneum, vt isti fiant hydropici. Sed quoniam ea quæ fiunt, solent etiam fieri cum aliqua ratione, quænam potest afferri ratio propter quam fit vt hi sint dispositi ad hydropem? Non est alia huius rei ratio, quam illa quam habet Hippoc. quando scribit interdum fieri a morbis acutis, illud quidem necesse est, omnem hydropem fieri refrigerato iecinore, hoc enim scribit Gal. plurimis in locis, & præsertim 6. de loc. aff.

4. acutor.

Cæterum refrigeratur iecur, vel a frigore, vel a summo calore, quia summus calor æquè calorem naturalem hebetat, quàm frigus. Quare fieri potest, vt corpora calida & sicca fiant interdum hydropica, quando extinguitur calor, aut hebetatur, & quia hoc rarissimè fit, ideo Hipp. annotauit. Postremò inquit. Hydropicos fieri caluos:

quæ

quæ res non minus admiratione, quàm scitu digna est: siquidem omnes dicunt caluitiem fieri propter siccitatem, quando deficiente pabulo capilli decidunt; sic dicebat, non fieri caluitium eunuchis Hippocrates, aut mulieribus. Quomodo ergo hoc verum est quod dicit Hippocrates? Dicendum est, caluitium duplex esse, vel naturale, vel morbosum. naturale fieri non potest in hydropicis, neque illis qui sunt parati ad hydropem. sed caluitium morbosum potest quando nimium humiditates accumulantur in corpore nostro, quæ corruptæ & salsæ redditæ erodunt radices capillorum. Et hoc est quod scribit Hippocrates caluitium fieri a pituita, hoc est, a pituita putrescente. Vnde cum in his aliquando humiditates corrumpantur, & salsæ fiant, fit vt calui euadant. Quo etiam pacto defendendus est Hippocrates quando scribit, mulieribus & eunuchis non fieri caluitium. Neq; enim verum est de caluitie naturali, sed de caluitie præter naturam. Et hoc est quod dicebat Seneca tempore suo visas mulieres caluas, quia modus viuendi alius erat longè, quàm tempore Hippocratis.

Ἰσχνοφωνίην κιρσὸς λύει, ἐς τὸν ἀριστερὸν, καὶ τὸν δεξιὸν ὄρχιν ἄνευ τούτου τοῦ ἑτέρου οὐχ οἷοί τε λύεσθαι.

Vocis gracilitatem soluit varix ad sinistrum & dextrum, absq; horum altero fieri non potest vt soluatur.

Pars hæc nullam plane cum superiorib. cõnexionẽ habet, veruntamen tota ad medicinã faciendam non parũ conducit. Habet autem hęc dictio duas partes, quarũ prior est, ἰσχνοφωνίην solui varicibus in testibus superuenientibus. Secunda pars est, fieri non posse vt hæsitantia linguæ soluatur nisi alterum contingat, idest, nisi in altero teste varix fiat. Res hęc si superficietenus consideretur, clara est: sed si intimius perpendatur, non minus obscura, & difficilis quàm vtilis est. Vt autem clarior fiat, prius examinabimus priorem partem: deinde secundam. Circa primam, videre oportet, quid sit ἰσχνοφωνίη, quid sit varix, & quaratione varix soluat ἰσχνοφωνίην. Ἰσχνοφωνίην & ἰσχνοφωνίαν multi interpretes Hippocratis transferunt, gracilitatem vocis, Theodor Gaz. transfert hæsitantiam linguæ. Adeò vt manifestum sit, huiusmodi vocem duo significare gracilitatem vocis, & hæsitantiam linguę. Gracilitas seu acuitas vocis, fit a duabus causis, quemadmodum habemus apud Galenum fit inquam, vel propter angustiam asperæ arteriæ, vel propter infirmitatem facultatis motricis pulmonis, vel propter vtrunq; videmus enim vbi per fistulas angustas a puero fit ex sufflatio, fieri sonum tenuem, pariter vbi facultas pulmonum imbecilla est, vt non possit satis mouere, fit ἰσχνοφωνία. Cæterum hæsitantia linguæ, quæ quoq; ἰσχνοφωνία vocatur duplex est apud Galenum, & tribus de causis fieri solet. Nam quæ propriè hæsitantia linguæ vocatur, est quotiescunq; homo non potest continuare verba, & cogitur repetere (vel non possunt benè proferre, fit itaq; hoc vitium tribus de causis, vel propter imaginationis, vel propter facultatis imbecillitatem, vel propter vitium instrumentorum, & musculorum linguam mouentium. Quomodo fiat ab imaginatione explicat Aristoteles ni fallor, vbi scribit, melancholicos fieri læsitantes lingua, quia adeo celer est ipsorum imaginatio, vt præueniat linguæ motum, ac propterea cum lingua non potest esse sequax, hæret. Oritur huiusmodi vitium non solum ab imaginatione, sed a succo melancholico. Et de hac loquitur Hppocrates, inquiens; si quisquam repente mutus fiat, melancholicum est. Alia causa est, quando lingua adeo larga est, vt non possit agiliter circa palatum ferri. fit postremò, propter vitium neruorum septimæ coniugationis, qui famulantur motui linguæ: vbi enim grauidi fiunt, tumore melancholico, vel pituitoso, nequaquam transmittunt illustrationem facultatis motricis, & propterea fit, vt lingua hac illustratione facultatis motricis priuata, hæreat. humor autem impediens neruos duplex est, semper autem crassus est, vt docet Galenus primo Epidem. comment. sec. tex. tertio. Et vt fit, siue fit gracilitas vocis, siue hæsitantia linguæ, semper oritur a causa frigida, vel ab intemperie, vel ab intemperie cum humore crasso frigido. Sed hæc de voce ἰσχνοφωνία, & de causis ipsius.

11. Prob.

1. Epid. com. 2. tex. 78.

sec. 11. probl. 38.

sec. 7. aph. 40.

Sequitur vt videamus, quid sit vatix. Varix ab Hippocrate & Aristotele dicitur modo
βαρὶξ, modo κιρσός, modo ἴξια, & ab Hippoctate etiam βδέλλα vocatur, vt docent Erotian.
in Onomast. & Galen. in expositione linguarum Hippocratis. Est autem varix, vt scri-
Aphor. 2. bit Galen. 6. Aphor. & lib: de atrabile, tum lib. de tumoribus præt. nat. nihil aliud quàm
vena dilatata, & amplior reddita, quàm naturæ conueniat. correspondet hæc affectio il-
li quæ fit in arterijs, quando hæ nimis dilatantur: quæ affectio appellatur ἀνευρισμα. lo-
cus vbi fit hic affectus varius esse solet, vel enim fit in cruribus, vel fit in scroto: fit etiam
in pulmone, qui ramex pulmonis fuit appellatus & (vt ait Aet.) aliquando in palpe-
bris. Ita vt dicere possumus, in omni loco posse fieri huiusmodi affectum, in quo venæ
sec.6. Aph 21 sunt, quæ possunt dilatari. Causa huius affectus, vt Galen. sctibit nulla est alia, quam
sanguis melancholicus & crassus, qui in venis dilatatis aut suscipitur ob ipsarum imbe-
cillitatem, aut attrahitur. attrahitur vero in venis, vel propter equitationem, vel propter
attritionem, vel propter ambulationem, vel propter laborem, vt colligere ex Hippocra-
7, Epid. te possumus. Hæc quidem omnia plana sunt, sed videre oportet, qua ratione varix sol-
uat ἰσχνοφωνίαν: & vtrum sit verum, huiusmodi affectionem non posse solui alio remedio,
quàm a varicibus. Ratio verò cur varix soluat hunc affectum nulla alia est, quàm trans-
mutatio ipsius materiæ melancholicæ: quia si verum est, varicem fieri ab humore melan-
cholico, necessarium est, vt humor melancholicus, qui præcipitatur in varices, sit causa
ἰσχνοφωνίας. Vt autem fiat hic transitus & transmutatio, tria concurrunt: Primò συμπάθεια.
habetis enim apud Hippocr. secunda sectione huius libri, maximam esse consensionem
inter partes genitales & pectoris: propter quam dicebat alias: solui tussim a superuenien-
te tumore testium: & finiri tumorem testium a superueniente tussi: non alia ratione, quàm
quod est mirus consensus. Alia causa concurrit crassities & pondus materiæ, cum enim
affectus materia, sit crassa, frigida; illa pondere suo facile inclinat, & præcipitatur in par-
tes insernas. Tertia causa est, amplitudo & situs loci. amplitudo, quia scrotum vas est
amplissimum, capax. Situs verò est non solum insra morbum, vt laudat Hippocrares, sed
est etiam in loco inferiori. adeò vt propter has causas facile fiat transmutatio huius hu-
moris, qui facit ἰσχνοφωνίαν, a supernis ad inserna. Ex quo colligere potestis, eos omnes qui
existimarunt Hippocratem loqui de hæsitantia linguæ a gracilitate, & ab alia materia er-
rare falsissimum est, quia illud Galen. & Hippocratis compertissimum est, naturam mali
potissimũ indicari a curatione. Cur ergo alia de causa fiat, quã ob trãsmutationẽ humoris
melãcholici manifestũ est? Sequitur, postremò vt videamus, id quod multo difficilius est;
scilicet quomodo dicat fieri non posse vt soluatur hic affectus nisi superueniat varix in al-
tero teste: nam Hippocrates, qui longa obseruatione cognouit huius nostræ artis incer-
titudinem non solet ita loqui. Neque etiam rationi consentaneum esse videtur; quia si
vitium fit propter melancholiam, non desunt remedia, quibus licet euacuare & consume-
re superuacaneos humores. Duobus modis existimo hanc Hippocratis sententiam de-
fendi posse: primum est, huiusmodi vitium duplex esse, vel naturale; vel adscititium. Vi-
tia omnia adscititia & noua, illud habent, vt fiant a causis externis, vel si fiant a causis in-
ternis, semper fiunt a causis recentibus. Verum naturale vitium, fit semper a causis inter-
nis atq; ijs non recentibus, sed vetustis. Itaque vbi vitia hæc sunt adscititia, sicut fiunt a
causis externis, & recentibus, ita quoque possumus huic malo auxiliari. Cæterum vitia
naturalia cum habent causas valde fixas, nunquam possunt solui nisi magno motu natu-
ræ: qui nullus est alius, quàm transmutatio humoris morbifici. Itaque hoc verissimum
est non posse vitia naturalia finiri vnquam, nisi aliquo magno impetu naturæ. Cæterum
non omnis motus naturæ aptus est hunc humorem ita deponere, vt non redeat: quia
oportet vt fiat in loco vnde exire non potest. hic verò locus sunt testes, propter com-
munionem, & amplitudinem loci. Igitur magna prudentia dicit Hippocrates, non
posse hunc affectum solui, nisi per transpositionem materiæ ad testes infernam. Alia res-
ponsio est, Hippocratem non dixisse absolutè, quod nullis alijs remedijs possit solui,
sed vult dicere, non reperiri vllum remedium aliud naturale, quod possit soluere

hunc

hunc affectum. Quasi natura habeat remedium, quàm efficax, varices. Ex hoc discursu colligere potestis insigne documentum in medicina facienda: scilicet, vbi circa vocem, pectus, & gulam aliquod contingit vitium, omni studio & industria enitendum esse, vt hæc materia ad partes infernas & præsertim ad scrotum feratur: quod fit, attractionibus, equitationibus, fit etiam cauterijs. Et ego in affectibus partium spiritualium vocis, & gulæ, quandoq; fœlicissimè vtor, cauterijs scroti. nam si Medicus debet naturam rectè operantē immitari, quis non videt vbi natura hac via vtitur medicum posse immitari. Inter alia remedia est vox clara, & continuata oratio, vt Aris. scribit. Demost. multa quidem habebat naturæ vitia, vocem exilem, pectus angustum, & hæsitantiam linguę, sed edoctus a Retore sese exercuit circa littora, clamando, & ore lapillos continendo, adeo vt ita curauerit: soleo ego dicere, eum docuisse, quantum industria humana valeat aduersus naturæ vitia. sec. 11. Probl. 54.

Μεγάλοι, φαλακροὶ, τραυλοὶ ἰσχνόφωνοι, ἐσθλοί.

Magni, calui, balbi, lingua hæsitnntes; boni.

Optarem hanc Hippoc. dictionem esse paulo clariorem, vt & mihi explicandi, & vobis intelligendi labor adimiretur. verum secus est, quandoquidem tota est satis obscura, conabor tamen quantum fieri potest, claram eam reddere. Dicit ergo bonos esse magnos, caluos, balbos, lingua hæsitantes. Si verba superficietenus considerentur, non videtur obscura hæc sententia, sed si penitius intueantur, non carent difficultate, siue enim disiunctim legamus, siue coniunctim vt nonnulli interpretes, non caret difficultate. Si disiunctim legamus, magnos esse bonos, contrarium est verum: quia si legetis historias, neminē magnum fuisse bonum, aut paucissimos inuenietis. Si etiam balbos esse bonos legatis, neque hoc verum est: quia reperietis hos plærunq; esse malos: vnde irridet Cicero quendā quod lingua & mente balbus esset, pariter de caluis possumus dicere plęrunq; hos esse malos excipientes Cæsarem Imperatorē strenunm. Sed summatim videre vnicuiq; licet non esse bonos. Veruntamen non defuerunt qui existimarunt, esse legenda coniunctim: bonos esse, magnos, caluos, balbos, quia cum huiusmodi conditiones sint quasi contrariæ, & intra se colligantur, temperamenti bonitatem producunt. Sed vix fieri potest, vt hæc omnia sint in vno, quia caluities est soboles siccitatis, balbuties humiditatis, scribit enim Gal sec 6. Aphor. 32. balbos tentari profluuio aluî, quia humidi sunt. Vt ex his, & similibus rationibus liceat colligere, minimè reperiri posse aliquem qui hasce cōditiones omnes coniunctas habeat. ego sum huius sententiæ, hoc tanquā rarum, & ab vsu quotidiano alienum fuisse ab Hipnotatum. Nam queadmodum dicebā, si sequentia cōsiderentur, certe maiori ex parte magni, calui, balbi, improbi sunt. Sed vsu interdum venit, vt aliqui reperiantur boni; & ratio est, quia omnes hi sunt melancholici; ratione melancholiæ fiunt interdum boni. habemus apud Aristot. omnes sapientes fuisse melancholicos, sed video statim dubitaturum esse aliquem, vtrum hoc verum sit, homines melancholicos bonos esse, nam si naturam hominis melanchalici consideremus, falsissimum esse videtur, quia humor melancholicus deterrimus est, & propterea necesse est ab omni viscere repelli. præterea scribir Gal. nōnullos morbos a melancholia, vt elephantias, esse vocatos ab Hippoc. ferinos. Si ergo vsque adeo prauus est melancholicus humor, quomodo fieri potest, vt bonos mores producat? 6. Ep. com. 5. Tota hæc res definienda est, vt definiuit Arist. vbi scribit, idem contingere de humore malancholico quod de vino; vinum enim si sit moderatum, facit homines lætos: si immoderatum maniacos, ferinos. Ita melancholicus humor, si sit moderatus, & temperatus, facit homines bonos, & sapientes, si immoderatus, ferinos sec. 30. Prob. 1

Νοσήματα δὲ ἔχουσι τραυλὸς, ἢ φαλακρὸς, ἢ ἰσχνόφωνες, ἢ δασὺς; ἰσχυρῶς μελαγχολικά.

Morbos autem habent balbus, vel caluus, vel hæsitans lingua, vel hirsutus, valde melancholicos.

Particula (autem) quam vsurpat hic Hippoc solet esse index continuationis cum supe-
sec.6.aph.57. rioribus. Videte Hippocr. & Galen. vbi dicit fiunt autem apoplectici a quadraginta an-
nis vsq; ad sexaginta. & Gal. continuari cum superiori scribit, propter illam particulam.
Pari pacto dicendum est hæc connecti cum superioribus. perinde ac si dicat, magni, calui,
balbi, boni sunr quoad mores: sed morbos valde melancholicos incurrunt. Hæc est ger-
mana hoc loco Hippoc. sententia. Quod autem verum sit huiusmodi homines obnoxios
esse morbis melancholicis probatur, & quasi demonstratione: quia dispositi sunt ad illos
facile suscipiendos, & inter corpora talia, atq; morbos melancholicos maximus est con-
sensus. ergo facile transitus fit. Inductione probari facile hoc potest. primum de caluis
sec.6.aph.34. probatur, caluos enim esse necessario melancholicos, habemus apud Hippoc. vbi scribit,
varices superuenientes facere caluitium, & si varices curentur, capillos redire. Varices
sunt soboles humoris melancholici, ea propter caluitium quoq; fieri ab humore melan-
cholico hac ratione probatur. Balbos etiam esse melancholicos. Arist. plurimis in lo-
cis docet, vt 11. sec. Prob. 38. & alijs in locis, in quibus dicit manifestissime effectus me-
3.de loc. aff. cap.7. lancholiæ: non secus atq; hæsitantes lingua, quod Gal. scribit. Vt minime dubitare opor
teat, quin præscripta ab Hippoc. corpora, sint omnia melancholica. Vnde facile concludi-
tur, omnes hos tentari morbis melancholicis. Sed pro integra intelligentia huius dictio-
nis, duo sunt perquirenda, vnum est, cur Hippoc. hoc in loco non dixerit hos tentari mor-
bis melancholicis, sed dixerit valde melancholicis: secundum est; quomodo fieri possit, vt
balbutientes capiantur morbis melancholicis: balbi humidi sunt, morbi melancholici
sunt frigidi & sicci; quomodo ergo corpora humida possunt tẽtari morbis frigidis & siccis
ἰσχυρῶς valde, apud Hipp. duo significat λίαν & μάλιστα: quasi dicat, tentari valde, maximeq;
melancholici. Cur addit hanc particulã valde? Quod corpora simpliciter melancholica
tẽtãtur, melancholicis morbis verissimũ est: vt biliosa biliosis, pituitosa pituitosis. Cæterũ
Hipp. nõ cõsueuit hæc vulgata annotare: sed semper aliquid reconditi habet, vt hoc loco,
quod tententur huiusmodi corpora, morbis valde melãcholicis; quia cũ magni calui balbi
sunt humidi, nõ videtur rationi esse cõsentaneũ, huiusmodi corpora tentari morbis valde
melãcholicis. Sed quę est huius rei ratio? inuenio tres causas potissimũ esse: Prima est, quia
melancholici nõ adhibent remedia accommodata suis morbis, quia errore mẽtis & furore
sunt ꝑpediti: aut si adhibent, nõ cõtinuant: quo fit, vt cum nõ adhibeantur morbis melan-
cholicis debita remedia, neq; oportuno tempore, neq; etiam hi pertinaciter diu hærent in
remediorum recto vsu: fit vt materia morbifica succrescat. Alio modo respondere licet,
sec.11.Prob. 38. vt Arist. scribit: balbi & melancholici habent valde celeres imaginationes, ob quas con-
tinuo vigilant, agitãtur & vix stare loco suo possunt. propter quod morbi necessario fiunt
validissimi. Tertia ratio est, quia vitia naturalia nisi compescantur, facile sua sponte in
pessimos morbos ruunt, Quamobrem ex his omnibus videre potestis, quam prudenter
dixerit Hippoc. magnos, caluos, balbos tentari morbis valde melancholicis. Erat secun-
da dubitatio, quomodo fieri possit vt balbi subijciantur morbis valde melancholicis, nam
lib.de nat.pu. balbi sunt humidissimi quo solent facile laborare fluxibus alui, vt dicit Hippoc. Quod si
hoc verum est, qua ratione fieri potest vt capiantur ab humore valde melancholico, qui
frigidus & siccus est? Dupliciter responderi potest huic quæstioni, vno modo primo hu-
morem melancholicum potentia quidem esse siccum, sed actu humidum, quia fluidus est,
Hippoc. appellat humorem melancholicum aquam: quia semper humori melancholico
multum seri commistum est. id quod quartanarij docent: in quibus cur fiunt copiosissimi
sudores cum sit humor siccus? quia humidus est actu, & huic iungitur magna copia humi-
di serosi, & aquosi. Hac ratione forsan Trallian. censet hanc ab humore melancholico

fieri, quia fluidus est & humidus, & ratione huius humiditatis potest facere paralysim. Alio modo etiam responderi potest, humorē melancholicum fieri quoq; ex pituita: quia cui post quotidianas febres solet succedere quartana? non alia ratione sane, quam quia ex pituita fit genita melancholia, vt etiam in balbis fieri existimandum est. Sed dicet aliquis hoc nunquam a Gal. traditum est: imò verò inquit ille, si pituita ex coquatur fieri aquam. Respondendum est verum esse, quod mediate non potest fieri ex pituita combusta humor ater ita vt ex pituita fiat sanguis, aut bilis, deinde melancholia, sed potest fieri melancholia calore & teporenã si pituita calefcit, & merito caloris, partes tenuiores & aquosiores consumuntur, quis nõ videt reliquias illius humoris nõ esse bilem, sed necessario esse melancholiam: a pituita, resolutis partibus tenuioribus. Et hoc vobis Auic. tradit de humoribus, vbi locupletissimè nobis describens genera omnium humorum, & præsertim melancholiæ, dixit: ex cinere pituitæ fieri humorem melancholicum. Ex hoc discursu potestis documentum colligere pro facienda medicina saluberrimum, vbi huiusmodi homines magni calui, & balbi vobis occurrunt, semper in memoriam vobis reuocetis, huiusmodi modi corpora facile incurrere morbos valde melancholicos: & propterea abstinendum esse a medicamentis valde calefacientibus, & exiccantibus. na ego vidi quosdam phreniticos esse factos ex importuno vsu Anacardinæ confectionis. *pri. pri. c. de Hum. 11.*

Ὅσοι τῇ γλώσσῃ παφλάζουσιν. χειρῶν μὴ ἐγκρατέες ἐόντες, ἀνάγκη λυομένων ἐμπύες γίνεσθαι.

Qui lingua titubant & mannum non sunt potentes, necesse est cum hæc soluuntur, suppuratos fieri.

Dixi sæpe Hippoc. nostrum varios & diuersos morbos referre, sed ita tamen, vt non sint nisi rari, quia vulgata semper fugere conatus est: In superioribus annotauit eos, qui morbis melancholicis subijciuntur: nunc verò eodem quasi cursu proponit sententiam memoratu dignam, scriptam etiam ab eo lib. de crisib. est autem hæc, eos qui lingua titubant, & manuum impottentes sunt, si liberantur ab his affectibus quandoq; fieri suppuratos. Vt autem illud quod vult dicere Hippoc. recte consequi intelligentia, possitis operæpretium est, vt videamus, qui sint lingua titubantes, & qui manus impotentes habent. quid sit suppuratio, & quomodo hi suppurentur necessario. Titubare παφλάζειν græcis, est, diductum a mari quod quotiescunq; æstuat, semper spumam facit, & aquam longe lateq; fundit. Arist. vtitur etiam hac voce, vbi quærens rationem propter quam aqua dum feruet non effunditur extra vas, sed dum coquitur pulf. lens: & inquit; aquam bullientem non effundi extra vas, quia etsi fiant vapores, exeunt, & propterea aqua manet integra; alias hi retinentur ob crassitiem, donec magna vi erumpunt & eiaculantur, quemadmodũ fit in mari. Vtitur ergo hac voce ἐκπαφλάζειν: Et nihil aliud significat quã effundere aquã extra vas. Gal. in expositione linguarum dicit Hippoc. hanc vocem sibi finxisse, & significare eos qui lingua hærent & repetere coguntur sermonem, quo pacto Aret. quoq; vsus esse videtur. Sed quamquam non diffitear ita esse vt Gal. dicit, potest tamen fieri, vt vtatur hac voce pro ijs, qui inter loquendum emittunt spumam ab ore; & propter latitudinem, & humiditatem linguę coguntur repetere. Iam verò suppuratio, seu suppurari, ἐμπύημα, seu ἐμπύειν habet duas significationes apud Hippoc. vt docet Gal. plurimis in locis, primum enim significat, omnem humoris in pus mutationem: quemadmodum docet 1. progn. contex. 40. propriè autem vox hæc significat conuersionem humoris in pus, circa pulmonem, & in thorace. quod habetis plærisq; in locis apud Hippoc. & præsertim apud Gal. Nunc videamus quomodo titubantes eos, cum liberati sunt, sequatur suppuratio. Nonnulli existimauerunt illum loqui de conuersione propriè dicta, hoc est conuersione humoris in pus intra thoracem & pulmones, propter consensum inter locum coniungationis neruorum, vnde fit impedimentum in lingua & inter partes pectoris. potest etiam, his opitulari illud Hippoc. phrenitidem nonnunquam commutari in peripneumoniam,

24. sect. prob. 9 *lib. 1. de diut. paß. cap. 7.* *2. Progn.*

hoc

hoc est, affectus capitis, in affectus thoracis. Sed quanquam hæc sententia non sit ex toto damnanda, intelligi tamen puto de omni humoris in pus cõuersione, quasi dicat Hipp. si titubantes velint liberari, necessarium esse materiam in pus conuerti. Idem intelligendum est, de incontinentia manus, nam qui hoc vitio laborant, non possunt eleuare manus nisi tremant. vtrunq; vitium originem ducit a neruis sextæ coniugationis, qui crassefacti propter humorem melancholicum non admittunt illustrationem facultatis motricis: vnde titubatio oritur, & impotentia manuũ. quãobrẽ iure fit, vt si debent hi verè liberari, hæc materia quæ facit illud impedimentum, necessario depelli debeat ab eo loco; si depellatur, & firmetur in aliquo loco, aut necesse est redeat, aut suppuretur. Si redeat, non
6.epid.com.3. tex.11. liberantur: si non redit necessario debet in pus conuerti. Et hoc est quod dicebat Hippoc. vbi scribit, illud quod suppuratur esse sine recidiua, quia est, coctio crisis & abscessus. Itaque maxima ratione dicit, si liberantur necessario sequi suppurationem in aliquem locũ; alioqui retrocedit materia, & non verè dicitur morbus esse solutus. Ex hac perspicua & explicata sententia, iam licet colligere, vbi tale vitium curandum vobis proponitur, oportere studere semper suppurationi materiæ: alioqui retrocedet, & morbus verè non soluitur; procuratur autem suppuratio medicamentis internis & externis. Et aduertatis, quod si humores suppurandi sint intimi, nihilominus non est desistendum, quia materia suppurata intus, vel repellitur per vias arcanas, vel dissipatur & consumitur.

Ὀδύνην ἐν τοῖσι κάτω χωρίοισιν, ἰσχυρὴ κωφότης λύει. Καὶ αἷμα πολλὸν ἐκ τῶν ῥινῶν, ἢ μανίη.

Dolorem in infernis partibus fortis surditas soluit, & sanguis multus ex naribus, aut mania.

Pergit Hipp. nobis ostendere, quomodo natura sępe in morbis, ex morbis morbos facit: & cũ morbis morbos curet; vt nuper docuit titubantiã solui suppuratione. Vnde apparet aliqua connexio. Et hæc sententia est etiam lib. de crisib. apud Hippoc. Est autem eiuscemodi: dolores inferiorum partium solui a surditate forti, a fluxu sanguinis, & a mania. correspondet ita contraria quadam ratione Aphor. 28. & 60. lib. 4. quanquam pars prior 28. sit fere eadem cum hac, vbi scribit: deiectiones biliosas solui superueniente surditate, quemadmodum surditas a fluxu alui superueniente. Sed pro explicatione huius sententiæ dignũ quæstione est, quomodo dicat eos morbos solui, quos grauiores sequũtur morbi: dolores partium inferiorum non sunt ita graues, vt mania, fluxus sanguinis; prætereà dignum quæstione est, cur Hippoc. nominauerit duntaxat hos tres morbos, surditatem, fluxionem sanguinis, & maniam. Ex solutione dolorum inferiorum partium possunt fieri etiam alij affectus per διαδοχὴν seu διάδεξιν. Pro prima quæstione dicendum est, hanc vocẽ λύειν soluere, dupliciter accipi, vno pacto hæc vox accipitur ꝓ perfecta crisi,
lib.1. & 2. de cris. pro integra solutione morborum, & hoc intelligere potestis ex Gal. & plærisq; alijs locis. Alio pacto accipi solet, pro qualibet transmutatione morbi in alium morbum; sic loquitur Hipp. vbi scribit varices superuenientes soluere maniam; sic etiam intelligere possu-
sec.6. Aphor. 21. mus, febrem superuenientem soluere maniam, vel sæpe (vt Celsus dicebat) esse præsidio. Hoc in loco hæc vox λύειν accipitur non pro vera crisi, sed pro qualibet morbi mutatione. Circa secundum, scilicet cur Hipp. tantum hos tres affectus commemorat, dupliciter responderi potest: vno pacto, surditatem, fluxum sanguinis, & maniam, complecti omnes morbos capitis; quasi possint fieri omnes morbi capitis ex solutione dolorum, & morborum partium inferiorum. Per surditatem intelligit omnes affectus sensuum exteriorum; per fluxum sanguinis, omnes euacuationes. per maniam, omnia deliria. Nam vt Galen.
1.Epid.com.2 tex.59. scribit: hæc vox mania significat aliquando melancholiam, iam maniam, iam omnia deliria. Itaq; si hoc pacto interpretemur, sententia illius erit; dolorem partium inferiorum solui ab omnibus morbis capitis. Et quod ex huiusmodi doloribus solutis fiant morbi & affectus capitis, non solum ratio ostendit, sed etiam multa clarissima exempla; proposita

ab Hipp.

ab Hippoc. Inter cætera eſt vnum lib. 3. Epid.com. 3. ægro. 5. Erat caluus quidam habitans in Lariſſa, huic obortus eſt acerbiſſimus dolor circa pectus. tertia die ſolutus eſt, & (vt inquit) ſtatim mente commotus eſt; cœpit ſe iactare, noctem inſomnē ducere, & quarta die mortuus eſt. Ex quo loco apparet doloribus partium inferiorum ſolutis, neceſſario ſequi affectus capitis. quaſi velit nos docere, vt aliquando ſubſequantur morbi ſed non ſemper hi terminant. Alius modus reſpondendi eſt, verè vbi dolores ſoluuntur partium inferiorum, fieri vel ſurditatem, vel fluxum ſanguinis, vel maniam. Hoc non ſolum Hippoc. ſcribit, quia frequenter obſeruauit; ſed quia ita etiam ratio ſuppeditat. ſi dolor debet ſedari partium inferiorum per tranſmutationem materiæ ad ſuperiora: neceſſarium eſt vt fiat magno impetu, quia ſi humor grauis eſt, debet magno impetu ferri. & præterea neceſſe eſt habeat aptitudinem, vt ſurſum ferri poſſit, & oportet vt hæc mutatio fiat per ſanguinem. Quod ſi hoc eſt verum, aut hic ſanguis colligitur in pectus, in mammas, & collectus (vt Hippoc. teſtatur) facit maniam. Si autem hic ſanguis fertur in caput, aut neceſſerio impellitur ad cauitates aurium: vbi facit ingentem ſurditatem. quia ſanguis eſt, quia magno impetu fertur, & quia calidus eſt: & non poteſt hoc facere alius quam calidus humor. Si ad nares fertur, fluxum ſanguinis producit, quia vaſa illius loci ſunt laxa, aperta, & hinc Ariſtot. dicebat ſolum hominem inter cuncta animalia pati fluxum ſanguinis e naribus: tum quia cerebrum habet præ omnibus alijs humidiſſimum, tum quia laxa habet illa vaſa. Si autem in cerebrum ipſum ſanguis feratur, neceſſario facit maniam, melancholiam, quia hæc vox illa ſignificat. Ex quo colligatis, vbi dolor partium inferiorum ſine aliquo ſigno finitur, vt in Caluo Lariſſæ, ſemper pertimeſcendum, vel delirium futurum, vel ſurditatem, vel fluxum ſanguinis, & propterea in his motibus non debetis imitari naturam, ſed potius diuertenda eſt materia.

ſec. 5. aph. 40.

ſec. 10. prob. 2

Ἢν λέχοις σπασμὸς ἐπιγένηται, πῦρ ποιεῖ. Καὶ ἐς κύστιν κηρωτὴν ἐγχέας πολλὴν χλιαρὴν, χλύζειν.

Si puerperis ſpaſmus fiat, ignem fac, & in veſicam ceratum infundens multum tepidum lauare.

Illud certiſſimum eſt apud omnes medicos, vbi natura rectè operatur debere Medicum eam imitari; vbi verò male operatur iure dubitatur vtrum debeat imitari. male operatur, quando ex morbis morbos grauiores vel æquales facit, vt cum ex doloribus partium inferiorum facit inſaniam, ſurditatem, fluxum ſanguinis. Quia ergo hoc in dubium poſſe vocari viderat, vt quemadmodum natura ex morbis morbos facit: ita quoq; poſſit medicus; ea de cauſa proponit, modum tēpus, & occaſionē, quando poſſit imitari naturā male operantem. Habet autem hæc ſententia duas partes: prior eſt, vbi puerperæ incurrunt conuulſionem, ignē facito. Hic eſt caſus in quo poſſit imitari naturam male operantem. Altera pars eſt, ceratum infundens in veſicam, lauato. Quia hæc tota pertinet ad medicum practicum, propterea diligenter examinabimus. & primum illud videre oportet, an natura vnquam intendit facere morbos vt morbos ſoluat: quia ſi narura hoc agit, cur nō conceſſum ſit Medico, eius miniſtro & imitatore? Puto ego naturam nunquam hoc intendere, quia morbus non eſt bonum, ad quod natura ſemper collineat. Quomodo ergo ex doloribus partium inferiorum facit morbos? facit per accidens, quia ſollicita natura magno impetu mouetur, in quo nixu & conatu contigit alium morbum fieri. Itaque debet Medicus nunquam imitari naturam male operantem, ſed potius omnia facere pro ſoluendo morbo, etiamſi ſequantur alia mala. Quomodo ergo dicit, ſi conuulſio fiat febrem facit? Caluus legit non πύρ ſed πύριαμα fomentationem: quaſi velit faciendas eſſe fomentationes, vbi fiunt conuulſiones puerperis. Sed puto ego etiam πύρ legendum eſſe, hoc eſt ignem ebrem magnam, vt hæc vox apud Hippoc. ſæpe accipitur. Vult autem dicere Hippoc. vtere calefacientibus ijs medicamentis, etiamſi febris ſit ſubſequutura. Hoc pacto obſeruo Ariſtot. locutum eſſe, vbi loquens de quartanarijs dicit. medicum debere

ſec. 1. Probl. penul.

bere generare in corpore πυλὺ πυρὸς, hoc eſt vti remedijs valde calefacientibus, etiamſi febris augeatur. Iam verò & intelligatis, qua ratione debeat in conuulſione vti igne, & calefacientibus: ſpaſmus nihil aliud eſt, quam motus præter naturam, quo membra & muſculi mouentur, circa propria principia, vt in ſanitatem quemadmodum Gal. refert. Hic motus præternaturam, proculdubio eſt actio deprauata, vt habet Gal. Cum ergo ſit actio deprauata, omnis actio deprauata, ſequitur morbum. Dubitatur quis ſit ille morbus. Aliqui dixerunt, nullum ſequi morbum, ſed errorem externum. Ego autem puto ſequi morbum in figura, & magnitudine: quia magnitudo augetur in plenitudine: minuitur in ſiccitate. eſt etiam in figura, quia muſculi debent ſemper eſſe recti, at in conuulſione curuantur. Itaq; verè dicit, conuulsionem ſequi hos morbos. Cauſa conuulſionis (teſte Hippoc. repletio eſt, & inanitio. contingit enim neruis, quod cordis: quæ ſi replentur vt hyeme abbreuiantur & in ſe redeunt: ſi verò exiccantur, ſimiliter ſeſe contrahunt. ſed hic dubium oritur, vtrum etiam fiat a materia improportionata. De hoc alias ſuo loco dicemus.

2. de ſimp. cau. 2. & ſect. 6. Apho. 39. & lib. de trem. 2. de ſimp. cauſ. cap. 1.

ſec. 6. aph. 39.

Cum ergo duplex ſit cauſa conuulſionis, ſi videamus remedia quæ proponit Hippoc. non eſt in dubium vocandum, loqui eum de ea conuulſione in puerperis quæ fit a repletione: quia vult vt ignis fiat. accedit etiam quod de conuulſione ex ſiccitate rariſſime loquitur, quia eſt incurabilis: dicit enim Hippoc. plurimis in locis, conuulſionem ex vigilijs fluxu ſanguinis & helleboro læthalem eſſe. Ergo de conuulſione adeo pernitioſa non loquitur Hippoc. hoc in loco. Sed ſi hoc ita eſt, dubitari poſſit, cur ſit quod Hippoc. non commemorat remedium, quod ſolet eſſe præſentaneum in conuulſione a repletione, nimirum venæ ſectionem, maximè in puerperis, cum retinetur ſanguis. Præterea quæſtione dignum eſt, cur cum remedium in conuulſione ſit vniuerſale, quia ſcribit Hippoc. conuulſioni febrem ſuperuenientem, eam ſoluere; tamen loquitur de puerperis. poterat dicere, cum ſit ſpaſmos, fiat febris, quia ſic natura facit. Circa primum, nonnulli interpretes ob hoc Hippoc. quod venæ ſectionem omiſerat, male fecerunt. Ego enim dico, quod millies a me dictum eſſe puto, Hippocratem nunquam vulgaria proponere. quis neſcit, quod vbi conuulſio fit a repletione in puerperis, venæ ſectionem eſſe neceſſariam. Voluit ergo proponere remedium non adeo vſitatum, febrem: & ob hoc voluit caleſacientibus remedijs vtendum eſſe, etiamſi febris ſequatur. Quàm verè hoc reſpondet alto conſilio ſextæ ſectionis huius libri, vbi dicit, mulieri febricitanti & dolenti, multam aquam affundendam eſſe. Semper perſequitur ea remedia, quæ non ita graues Medici audeant facere. Circa ſecundum puto ego Hippoc. potius voluiſſe accipere exemplum puerperarum, quàm ab alijs: quia hoc obſeruauit plærunq; in his. cum alias ſe deceptum ſateri non erubuit quarto de fractur. tum in puerperis omnia medicamenta ſunt admodum ſuſpecta: quia hę maxime turbatæ a partu, omnia medicamenta reſpiciunt, & ſi pereunt, medicamentis attribuunt: Cum ergo opus difficile ſit, & non ſine periculo, in conuulſione puerperis facere febrem ea de cauſa Hippoc. annotauit. Eſt ſecunda pars, ceratum infunde in veſicam & lauato. Proponit alia remedia pro curandis puerperis, & proponit remedia, vt etiam audaces reddat Medicos in huiuſmodi caſibus ad veniendum ad remedia. Ergo pro meliore doctrina inſtituenda, & vt melius capere poſſitis Hippoc. ſententiam, tria hîc explicabimus: primum erit, quod ceratum ſit accommodatum in hoc caſu, quia Hippocrates hoc non explicauit. ſecundum erit, quomodo cerata poſſint infundi. tertium, cur cum conuulſio ſolet capere originem a nucha non admouerit nuchæ, ſed veſicæ remedia: ſciunt iſti qui vulneribus medentur, etiamſi vulnus ſit in pede, ſi timetur ſpaſmus, ſemper adhibent remedia ſpinæ. Quod ſpectat ad ceratum, ad euitandas conuulſiones remedia omnia debent dirigi, vt emolliantur, tum vt confirmentur partes neruoſæ. Itaq; ſolemus communiter vti ol. coſtino, vulpino. Sed quod eſt hoc ceratum? puto ego eſſe illud quod ab eodem propoſitum eſt lib. de nat. mulier. & morb. mulier. vbi ſermonem habens de ſimilib. malis, inquit, vtendum eſſe ceraro ex adipè anſerino, terebinthina, ol. coſtin. & cera. Si huiuſmodi remedium diligenter examinetur, emollit, penetrat, concoquit materiam, corroborat; & ratione ceræ conſiſtentiam acquirit. Sed quomodo vult vt infundatur ceratū?

ſec. 4. aph. 57.

Gal.

Gal. fermonem habens de componendis ceratis fcribit:apud Veteres in vfu fuiffe parare cerata modò mollia, modò dura,& abdit infundi folere olea. 3. de comp. med.fec. loc.lo quens de vnguento foliato, & fpicato,inquit:huiufmodi fuiffe folidiora & craffiora. & fi quando opus erat infundere,iubet Galenus addi ol. natdin. & fimilia.. Præterea fcire oportet, Veteres appellaffe vnguenta quæ nos olea appellamus: & cerata illa,quæ nos vnguenta. Vult ergo vt infundatur,addi oleum. Gal. fcribit etiam in more fuiffe potare vnguenta, poftremum erat,quomodo Hippocrates pro curanda conuulfione adhibeat remedia veficæ. In puerperis vbi fit conuulfio ex retentione puerperiorum neceffario replentur vafa vteri: adeo vt duobus malis femper vterus laboret repletione,& laffitudine, quam patitur in puerperio. Itaque opus eft quidem curare vterum, fed non patitur medicamenta. Igitur quia confilium eft Hippoc. femper veniendum effe ad occafionem, & ad occafionis initium,cum vterus non pateretur,nihil accommodatius erat,quam modus adhibendi remedia ab Hippocrate præfcripta. vefica eft inter inteftina & vterum,& propter hoc remedia adhibet veficæ. maximè enim conferunt,& virtutem communicant ipfi vtero. Quamobrem cum affectus eft vterus,vtilius eft adhibere remedia veficæ. Vnde iure dicit infunde ceratum in veficam, quia ita vis communicatur etiam vtero. Dicit poftremo;lauato.fed quid eft illud,primum(vt audiuiftis)pro conuulfione curanda opus eft emollire partes neruofas,ne contractæ nimis,maiores dolores inferant. & hac ratione conueniunt lotiones. Cui loco? puto ego etiam ablutiones faciendas in vefica, confuluiffe: vt iuffit infundi ceratum in veficam. Vtrum conueniant lotiones totius corporis nō dixit,fed cum hæ moleftæ funt & periculofæ,nō nifi magno confilio funt adhibēdę.

lib.10. Meth.

lib. de compon. med.fec.loc.4

Ἢν τῆς κεφαλῆς τὸ ὀστέον καταγῇ, διδόναι γάλα καὶ οἶνον πίνειν, ἴσον ἴσῳ. Ἢν δὲ ἕλκος ᾖ, φλεβοτομέειν τὰς εἴσω, ἢν μὴ πυρεταίνῃ, ἢν δὲ παραφρονέῃ τὴν κεφαλὴν καταβρέχειν, ἢν μὴ τὰ ὑποχόνδρια ἐπηρμένα ᾖ.

Si capitis os fractum fit,dare lac & vinum potu æquale æquali: fi autem vlcus fit fecandæ funt venæ internæ, nifi febricitet. Si autem deliret caput irrigare, nifi hypochondria eleuata fint.

Hæc pars tractat de fractura & vlcere capitis,& eft referenda ad partem medicinę,quę Chirurgia dicitur,in qua veteres mirum in modum valuerunt: & ita, vt nunquam habuerint pares: imò vfq; ab Homeri temporibus ad Hipp. hæc pars fola erat, appellabantur enim Medici,qui chirurgi erant. Habet autem tres partes: Prima eft, fi os capitis fit fractum,dandum effe lac,& vinum æquale æquali. Secunda fi vlcus fit,fecandam effe venam internam, nifi febricitent. Tertia fi delirium adfit, madefaciendum effe caput, nifi hypochondria fint elata. Vt autem figillatim intelligatis quod fit confilium Hippoc. fciendum eft κάταγμα fiue fracturam,effe in capite diuifionem offis caluariæ, quemadmodum habetur libro qui infcribitur introductorius a Gal. & vt docet Paul. Aeg. vbi etiam fracturæ quinq; fpecies facit,fractura offis capitis interdum fimplex eft;interdum verò coniuncta alijs fymptomatibus: fymptomata quæ coniunguntur cum fractura offis,complura funt: vt præ ceteris indicat Cornel.Celf.li.8. vbi præclare admodum etiam de curatione huius affectus loquitur:fed præcipua quæ folent cōmitari fracturam offis funt vlcus, & delirium. Quare fumma ratione Hippoc. primum loquitur de fractura cranij fimplici, tum de fractura cum vlcere,& delirio,quia cum fit breuitatis amantiffimus non debet omnia fymptomata proponere,fed tantum ea quæ maximè refert fcire. Dicit Hippoc. fi os capitis fractum fit dandum effe lac,& vinum æquale æquali: quod confilium fi diligenter examinemus,videbimus effe contra rationem,quia vinum caput petit, & propterea Gal. primo ad Glauc. capite decimo quarto tractans de fymptomatibus febrium inter cætera, prohibet vinum vbi caput affectum eft: imò verò narrat Plutarchus in vita Marci Antonij vbi in Alexandria fibi manus intuliffet,nec videret vulnus ita lęthale effe,vinū bibiffe

lib.6.cap.9.

quo citius moriretur. Est etiam præceptum contrarium Hippoc. ipsi, quia 5. Aphor. 65. dicit: lac dare dolentibus, malum: quomodo ergo vult Hipp. si malum est, date in fracturis ossis capitis. Vbi os in capite fractum est, scopi medicorum esse debent, primum vt inflammatio arceatur; deinde, vt os fractum conglutinetur. & quia ossa non possunt generari, quia sunt partes spatmaticæ, hinc fit vt loco ossis, natura vinculum glutinosum generet, quo ossa combinari possunt. Ad vinculum generandum conferunt ea quæ nutriunt multum, & generant viscidum alimentum; huiusmodi autem est lac. Quapropter conuenit lac, vt nutrit. Si damnauit Hippoc. damnauit vt medicamentum, quando datur in magna quantitate adhoc vt sit remedium. Vt vt sit Hippocrates vult eo consilio dari lac, vt possit generari vinculum, quo vniantur ossa fracta. Dabat etiam vinum, quia lac non penetrat ad caput, vt nutriat & generet vinculum: eget vehiculo. Sed quia videbat lædere caput, addit aquam æqualiter: vt vis illa demulceatur vini, aqua æquali pondere. audiuistis enim alias Hippocratem consueuisse laudare hanc mistionem, æquale æquali. Vtrum autem velit Hippocrates lac & vinum simul esse miscenda antequam sumantur, non dicit. Et puto ego parum referre: quia in ventriculo miscentur. quanquam si mihi curandum foret os fractum, ab vtroque abstinerem, propter rationes allatas: & quia habemus multa, quę possunt sine detrimento facere illud vinculum, & penetrationem promouere. Sed dicet aliquis, cur ergo Hippocrates de his agit, tempore Hippocratis erant pauci Medici, & omnes pænè ignari, vt etiam inter alios commemorat mirabilis ille Auenzoar, & cum Medici illius temporis maximè etiam errabant, errabant tamen maximè in vino, vt in initio lib. de vict. rat. in morb. acut. legimus apud Hippocratem, qui etiam inscribitur de ptisana, & de Gnidijs sententijs, vbi voluit Medicos monere de erroribus, vnde forsan loqui voluit de lacte, & vino, quia frequens erat vsus eorum eo tempore. & copiosa manu. Cum ergo hoc videret Hippocrates, voluit indulgere non præcipere in fractura simplici ossis. & forsan Hippocr. fecit hoc, quia eo tempore altercabantur Medici hac de re: scilicet de exhibendo vino, & lacte. Et quia altercabantur, dixit concedendum esse lac, & vinum. Secunda pars est, si vlcus sit cum fractura ossis, secandas esse venas internas, nisi febris adsit. Primum scire debetis vlcus, quod græci ἕλκος appellant, nihil aliud esse, quàm diuisionem carnis, quemadmodum κάταγμα est diuisio ossis, & καταβασμα neruorum, sic est in in carne ἕλκος. Huiusmodi vlcus solet plærunq; coniungi cum fractura ossis; vnde periculum quod imminet potissimum est ab inflammatione, quæ cum maximè formidiari debet in omni parte potissimum tamen in capite. Vnde debet Medicus diligens esse ad prohibendam inflammationem. Primum remedium est repulsio, repulsoria enim repellunt sanguinem, & auertunt a sese inflamationem. Sed tutissimum est auersio & diuersio. Et hoc fit missione sanguinis secta vena, cucurbitulis scarificatis, hirudinibus. Sed inter omnes sanguinis missiones nulla est, quæ magis retrahat a capite, quàm sectio venarum internarum, hæ enim sunt amplissimæ & proximæ visceribus, & præsertim iecinori: solent euacuate a toto, & præsertim a capite. Quare summo iure Hippocrates in osse fracto cum vlcere vult secandas esse venas internas. Sed quare Hippocrates inquit: secandas esse venas internas nisi febris adsit; nam hæc suapte natura postulat missionē sāguinis: imò dicebat Gal. lib. 11. meth. med. c. 15. saluberrimū esse & optimū in omnibus febribus putridis mittere sanguinem, quomodo ergo vult prohibere? Respondere oportet, vlcus cum osse fracto necessario semper coniunctam habere copiosam sanguinis euacuationē, maxima sanguinis copia effusa, maximū detrimentum affert viribus. Tria autē sunt fractura cum vlcere, & effusio sanguinis, atq; febris, quę omnia diminuunt vires. Si itaq; addideris missionem sanguinis, & venarum internarum, procul dubio æger morietur. Quare videre potestis quanta cum ratione dissuadeat venæ sectionem in fractura ossis capitis cum vlcere & febre. Medici tamē omnes hodie mittunt sanguinē, & maximè si febris adest. Sed illud hoc in loco annotare oportet, nō Hipp. dissuadere omnē missionē sanguinis, sed ex venis internis. Quare vbi opus est potestis tuto vti cucurbitulis scarificatis, & nō scarificatis, hirudinib. & incisione venarū partiū inferiorū. 3. & postrema

pars

pars est, si fractum sit os capitis & vlcus adsit, & delirium, irrigandum esse caput, si hypochondria non sunt eleuara. Propter duas causas solet contigere delirium, primo, quia vbi vlcus est, ibi est calor præter naturam: vbi est calor præter naturam, necessario cerebrum incalescit; præterea vbi adest febris, continuò feruntur vapores a partibus infernis, in cerebrum, qui inducunt delirium. Itaq; vsitatissimum est semper in his vulneribus irrigare caput: scilicet medicamentis repellentibus, & refrigerantibus, vt & calor vlceris compescatur, & reprimantur vapores, qui sunt in causa delirij. Propterea solemus vti panis madefactis in vino, qnod habet vim repellendi: nam dicebat Hippoc. vulnera omnia non esse tentanda, nisi solo vino quod corroborat & repellit. Vtimur etiam oleo rosato eadem ratione, & oxirodinis. Quare quod ad hanc rem pertinet, remedium irrigatorium satis vulgatum est. Illud autem quod rarum est, est, debere Medicos vti irrigationibus, sed si hypochondria non sint elara. Videbat quidem omnes chirurgos in hoc conuenire, vtendum esse irrigationib. sed vult vt aduertatur, an hypochondria sint tensa, quia si sint elata, dicit non esse vtendum his. Nonnulli etiam clarissimi inrerpretes videntes huius rei obscuritarem, nec forsan assecuti abditam illius mentem, dixerunt: pro hypochondrijs elatis, intelligenda esse hypochondria contracta: quia dicit in Prognost. hæc significare futuram crisim per sanguinis exitum e naribus, inquiunt illi, tum non esse expellendum: scilicet, ne impediatur crisis. Hæc interpretario videtur esse ingenio aliquo digna, sed nulla est, quia aliud est hypochondrium elarum, aliud est contractum; imò verò contraria videntur. Hippoc. dicet album pro nigro? absit. Præterea febres quæ cõmirantur vlcera accidentia potius sunt: quæ nunquam iudicantur per sanguinis exitum e naribus: quia hoc proprium est febrium essentialium. sed sit ita; quod possint iudicari per sanguinis fluxum e narib. dico huiusmodi crisim esse inhibendam, quia vbi fit crisis, fit insignis motus naturæ cum magno impetu materiæ. Itaq; si crisis futura esset per sanguinis exitum e naribus, procul dubio necessariũ esset vr magnus impetus fierer in caput. Quis est qui hoc in fractura capitis, in vulnere non videat esse læthale? Imò ego vidi in hoc casu in fluxu sanguinis e naribus multos perijsse. Quomodo ergo intelligendus est Hipp. Vox qua vtitur Hipp. ἔπαρματα significare semper solet tumores. ita vt de tumoribus hypochõdriorum sit intelligendum: Hi tumores sunr inflammationes in febribus: a quibus continuo eleuantur vapores in caput; qui faciunt deliria. In his, nequaquam vtendum est repercutientibus: quia cum vapores eleuantur a partibus inflammatis, si repellamus a capite ad partem inflammatam redibunt, & augebunt inflammarionem, atq; deliriũ. Quare manifestissimè appatet, quàm sit admirabilis aphorismi Hippoc. sententia.

lib. de vlceib.

Ἢν τὴν κεφαλὴν ἀλγέῃ, ἐς στῆθος ἔρχεται, ἔπειτα ἐς τὸ ὑποχόνδριον, ἔπειτα ἐς τὸ ἰσχίον· πάντα δὲ οὐχ οἷόν τε ἀλγέειν.

Si caput doleat, in pectus descendit, deinde in hypochondria, deinde in coxam. omnia autem non poßunt dolere.

Antea egit de fractura ossis capitis, nunc agit de dolore capitis. Ex quo apparet aliqua connexio. Habet autẽ duas partes: prior est, Si dolor capitis adsit cum materia, in pectus descendit deinde in hypochõdria deinde in coxã. secunda. Non omnia posse simul dolore affici. Vt autẽ more nostro totã hanc dictionẽ explanẽmus, supponendum est doloris naturam hanc esse, vt sit solutio continui. Et quia dolor capitis est, solutio continui partis alicuius capitis. Locus affectus solent esse membranæ, quæ extra & intra pericranium sunt: tum illæ, quæ dispersæ sunt per substantiam cerebri. Et præter has membranas dolore etiã afficiuntur ipsę arterię: interdũ sinistra, nõnunquã dextra capitis pars, iã anrerior, iã posterior, iã media. Causa est diuellẽs materia, modò vaporosa, modò humorosa. Quidquid sit, aut fit in capite, aut aliũde trahitur vel suscipitur; & trahitur, vel suscipitur a toto

 corpo-

lib.4. de morb corpore,aut a partibus,& præsertim a iecinore & ventriculo . nam Hippoc.dicere solebat caput instar cucurbitulæ superimpositum esse ventriculo,& propterea ab ipso pituitam attrahere . Hoc autem loco Hippoc. loquitur de eo dolore , qui fit in vniuerso capite, & qui fit non a vaporibus,sed ab humorib. Quod ex verbis Hipp.elici potest:quia dicit dolorē capitis descendere in pectus , tum hypochondria,dein in costas . Sed vapores non possunt descendere : humores possunt : Humores autem dum descendunt, æqum est descendere in loca ampla,vt sunt pectus,hypochondria,& potissimum inter articulos coxæ . At- *lib. de Gland.* que hęc est causa cur Hipp.dicit septē esse vias per quas materia delabitur in infernas partes,nunc tamen meminit hypochondriorum, pectoris , & coxæ : quia hæ partes maximè omnium suscipiunt a capite humores destillantes . Sed circa hanc primam partem tria occurrunt consideratione digna,vnum est: quomodo humores & materia a pectore mittatur in hypochondria,ab hypochondrijs in coxas,hoc enim inquit Hippoc.quasi velit huiusmodi materiam ex his locis cōmutari. Neq; videtur esse verum:quia nulla est communio. Aliud consideratione dignum est,quomodo cum a destillatione fiunt dolores in oculis & auribus,& grauissimi;non inquit ab oculis aut naribus deriuari,sed tantum a capite. Tertium est , quæ sit vtilitas comparanda ex hoc aphorismo. Circa primum , dupliciter responderi potest:vno modo,non dixisse Hippoc. quod a capite materia descendit in pectus,& hypochondria, denique in coxas; sed dixisse materiam prius decumbere in caput, tum in pectus , deinde in hypochondria , denique in coxas . Sed potest etiam alio modo responderi,quod quanquam non sit conspicua via ad partes eas , tamen natura sibi parat vias(vt cum Hippoc. loquamur) incognitas. Et minimè dubitare oportet,quia interdum ex doloribus hypochondriorum fiunt dolores articulorum, sicut Paul. Aegin. memoriæ prodidit libro tertio tractans de dolore colico, aliquando ex colico dolore, fieri dolorem articularem. Sed rogabat aliquis vestrum forsan,quotiescunq;materia a capite defluit in pectus, in hypochondria,in coxas,per quas vias delabitur ? Hippoc.lib.de Aff. inter. quē sequuti sunt omnes Arabes & præsertim Albucasis,videntur existimasse descendere in coxas,per vias intra cutim & carnem. Et hoc intelligitur ex curatione, iubent enim ad præseruandum a doloribus articularibus,obturari spatulas,vt viæ intercipiantur inter cutim & carnem. Hanc sententiam videtur sectasse disertissimus Fernelius , qui loquens de arthritide,podagra,chiragra,libro pathologiæ, inquit:omnes a capite inchoare, & materiā a capite præcipitari inter cutim & musculos . Sed quemadmodum existimo , naturam in- *lib.de Gland.* terdum hanc viam tenere,ita quoq; sum huius sententiæ,magna ex parte,mitti per venas & arterias: quandoquidem Hippocr. inter vias illas septem , per quas materia præcipitatur in articulos,ponit venas & arterias:quia vbi quisquam podagra,vel chiragra tentatur semper videbitis vasa illa valde tumere: ac signum futuræ chiragræ, & podagræ illud est. Circa secundum puto Hippoc. nihil aliud docere voluisse quando dixit a capite,quam totum caput, vt compræhendat oculos nares , aures . siquidem ab omnibus his locis præci- *lib 25. cap.3.* pitatur,materia. & Plin.imitatus in pluribus Hippoc.dicebat:acerbissimos dolores esse renum, secundo loco esse stomachi, tertio eos qui sunt in capite: quasi hoc in loco etiam intelligat dolores omnium capitis partium . Circa tertium, puto scopum Hippoc. fuisse in proponenda hac dictione,vt doceret Medicum quo pacto debeat prædicere dolores partiū inferiorū,& pſertim articulorū . Vbi enim videbitis podagricos capite dolere semp debetis suspicari dolorē podagricū,aut coxendicū futurū. Deinde conuertendū esse medicationis studiū in his affectib. depellēdis. Erat secunda pars,nō omnia hæc simul posse dolere:quę si diligenter conspiciatur,nō videtur esse vera,quia interdum contigit,vt doleant secundum omnes has partes,sicuti iam vidimus Bononiæ. Quod Hippoc. nos hic docet, est id,quod non frequentissimè,sed quod rarissimè contingat ; solebat enim dicere Seneca . omnes graues dolores aut finire citò,aut finiri . Sed quæ est causa propter quam non possunt simul dolere? Duplex est,quarum prior est,quia vbi semel præcipitatur materia in aliquā viam solet semper illum cursum tenere,nec deflectit aliò,si in pectus, facit pleuritidem,peripneumoniam: si in hypochondria,hepatides. Alia causa est, quia cum hi loci sint

ei sint admodum distantes, si debent simul dolere, oportet vt præcipitatio materiæ sit ingens; quod fit rarissimè. Addit Hippoc. duo verba æterna memoria digna.

Ἀνεμίαν, φλεβοτομίη.

Flatuositatem, venæ sectio.

Quæ sit hæc vox ἀνεμίαν dubitatur. Aliqui existimarunt significare gonorrhœam, sed hæc sunt puerilia. alij impetum ex flatu contento in venis. Ego verò aliter sentio: & puto nihil aliud quàm flatum significare, quia ἄνεμος ventum significat, vnde ἀνεμία. Tum Gal. in expositione linguarũ, exponens ἀνεμῶται, vnde ἀνεμία dicit significare πνευματοῦται hoc est in flatus conuertitur. Sed quid vult dicere Hippocr. flatum, venæ sectio? potest huiusmodi dictio duo significare, vel venæ sectionem facere flatum, vel soluere. Sed receptũ est apud Hipp. vbi vtitur hac voce, potius intelligere oportere de curando flatu. Verum durum & difficile est intelligere, quomodo possit Hippoc. dicere, venæ sectionem cũ rare flatuositatem, quia flatus & ventus, vt est apud Arist. efficiuntur a debili calore. Sectio venæ debilitat calorem. Quomodo ergo potest flatum soluere & dissipare? sed est hoc, quod obseruatum est ab eo: scilicet, quod venæ sectio interdum flatum soluat. Sed quo pacto soluit flatum? Diximus fieri flatum a debili calore. Calor debilis redditur ab immoderato calore, & a frigore. Vbi fit a frigore, non conuenit venæ sectio. vbi autem calor natiuus debilis fit a calore immodico, tum potest sanguinis missio vtilitatem afferre. Et hoc ego expertus sum flatum copiosissimum in ventriculo, refrigerantibus, & præsertim venę sectione esse imminutum, adhibito remedio ad incendium diminuẽdum. Et hoc est, quod dicit Hippoc. veniendum esse ad occasionem, & ad occasionis initium, quia sicut in famula Stimargi adhibuit venæ sectionem, quia tremebat respiciens originem retentorum puerperiorum: ita vbi flatus fiunt a causa calida, venę sectio conuenit. at quod hoc sit obseruatum ab Hippoc. intelligere potestis ex libro quarto de morb. acut. tex. 3. vbi sermonem habens de hydrope, dicit: timpanitidem esse valde grauem, & indigere ægros bona fortuna vt cutentur; sed si in ætate virenti sint, vires valent vigentque & quid pluribus? si nihil prohibeat, vnicum præsidium esse venæ sectionem. Sed dicetis, nonne Gal. damnat hunc authorem in vsu huius remedij? scribit enim in Anasarca quę interdum fit ex suppressione sanguinis conuenire quidem sectionem venæ propter repletionem, sed non in timpanitide? Fateor hoc sensisse. sed quemadmodum Anasarca fit ab obstructione a multitudine sanguinis crudi, & ob hoc vult mitti sanguinẽ Gal. ita potest fieri, vt à caloris incendio natiuus calor hebetatur. Vnde sublato incendio, redit ad sese calor natiuus & recreatur. lib. 2. Meteor.

Τῷ φαρμάκῳ τὸν ῥόον ἴσχειν, ἐπαλείφων· ὁ δὲ γὰρ ὁ ῥόος, ἐκ τῆς μεγάλης φλεβός. Ἢν δ' αὐτόματον ῥέῃ πολλόν, νηστευέτω, ἢ γάλα, δύο ὕδατος τέσσαρας, γάλακτος.

Pharmaco fluxum prohibere oportet inungendo, hic enim fluxus s ex magna vena, sin autem sponte fluat, multum ieiunet, vel lac summat aquæ duas, quatuor lactis partes.

Hæc dictio exiguam habet cum superioribus connexionem: & pertinet ad practicam medicinæ partem. Scopus Hippoc. est docere, quomodo fluxus sanguinis exuberans sit cohibendus. Habet autẽ duas partes; vna est, fluentem sanguinẽ, medicamento inuncto sistendum esse, quia hic fluxus ex magna vena est. altera est, si sponte multum fluat debere ieiunare, aut potare lactis quatuor partes, & duas aquæ. Hæc est Hippoc. sententia. quę si ita superficietenus inspiciatur, non videbatur forsan adeò magni momenti. Sed maximoperè facit ad medicinam faciendam. Quod igitur spectat ad primam partem, scire opor-

oportet ante cætera, hanc vocem pharmacum, apud Hippocr. propric significare medicamentum purgans, id quod sæpissimè docuit nos Galen. sed potissimum primo lib. Aphor. 22. vbi autem aliquid adiungitur, non significat. Vnde cum Hippoc. hic dicat, vtendum essé pharmaco inuncto, loquitur de alio, & externo medicamento. Illud quoque scire oportet, in priore hac partè loqui de fluxu sanguinis a causa externa, in secunda, de fluxu sanguinis a causa interna. Vult igitur dicere Hippocr. quòd vbi sanguis effluit propter aliquam causam externam esse vtendum statim medicamento externo. Sed hoc in loco statim sese offcrt vtilissima dubitatio, quo pacto Hipp. vult adhibenda esse statim remedia localia sine reuulsione & euacuatione totius corporis. & quod admirationem parit, illud est, quia Gal. l. 1. de Hum. tex. 12. in meth. & alibi, legẽ tulit, ne medicus vnquã medicamẽta localia adhibeat, nisi prius facta totius corporis euacuatione. Si igitur hæc debet esse certissima lex Medicorum, quomodo Hipp. nunc dicit statim adhibenda esse remedia localia? Nonnulli interpretes, qui gustarunt hanc difficultatem, dicunt Hipp. breuitatis amantissimũ semper supponere ea, quæ antecedere debent; localia debent præcedere euacuationis totius corporis, & reuulsiones. Ergo hæc hoc loco vt supposita omisit. Sed vt liberè dicam, non placet mihi hæc interpretatio, quia Hippoc. nihil noui nos doceret, & reconditi. Vult ergo dicere quod vbi magnus adest fluxus statim Medicum debere vti medicamento inuncto externo. Et quod intelligit de fluxu immani facilè vnusquisque vestrum colligcre potest ex ipsius Hippoc. verbis, cum dicit, quia hic fluxus est ex magna vena. quo fit vt certe sit magnus.. In magno fluxu fit ingens virium lapsus. Et propterea cum sit præsentaneum periculum, oportet statim supprimere. Et hoc fieri non potest nisi localibus medicamentis. Vnde vult docere Medicum ne semper cxpectet euacuationem totius, sed vbi fluxus sunt iugentes statim deueniat ad localia. Et propterea optime faciunt illi Chirurgi, qui statim in magnis sanguinis profluuijs in vulneribus adhibent medicamenta sanguinem supprimentia, vt albumen oui, pulueres constrictorios, & deueniendum est aliquando ad chalcantum vstum. Sed quæ causa quamobrem Hippoc. non nominat pharmacum aliquod peculiare, sed dicit simpliciter vtendum esse pharmaco? Audite consilium Hippocratis admirabile. Medici dum volunt inuenire proposita medicamenta ab Hippocrate sæpè frustrantur; & in casibus præsentaneis mora peticulosa est. Ergo dicit Hippoc. in huiusmodi casibus non debere Medicum peculiari adherere, sed delectum habere nullum, & obuio quolibet: ne dum quærit & non inuenit, æger deficiat. Et propterea vtuntur quidam stuppa & quolibet alio adstringente. Vt hac de causa nullius pharmaci mentionem fecerit. Vt poneret in iudicio Medici, & in occasione præsenti. Secunda pars est, ieiunandum esse, vel sumendas esse lactis quatuor partes, & aquæ duas. De ieiunio certissimum est in omnibus fluxibus maximè commendatum esse. Sed vbi ieiunare quis non potest, summendum est lac cum aqua. Quapropter videndum est, cur præscribit lac, & cur potius cum aqua. Præscribit Hipp. lac potius, quia est medicamentum
lib. de alim. accommodatum & alimentum, dicebat autem Hipp. medicamentum optimum esse quod est in alimento. Quomodo verò sit medicamentum, & alimentum audite, sanguis qui effluere solet & præsertim a causa interna, effluit, quia vas aliquod eliditur, vel quia eroditur, vel quia recluditur osculum illius vasis, vel quia substantia ipsius dilatatur. quomodocunq; sanguis effluit siue per ἀναστόμωσιν, siue per διαπήδησιν, siue per διάβρωσιν, siue per διαίρεσιν, vtcndum est constrigentibus & conglutinantibus, vt Hippoc. docet, vbi ait sanguinem vomenti, si febris non acccdit, bonum est: curatur frigidis & adstrigentibus. Ergo in omni fluxu sanguinis operæpretium est statim deuenire ad refrigerantia. In fluxu autem qui fit a vase corroso, illud quoq; peculiare est, vt non solum adstringantur vasa, sed reficiantur partes consumptæ. Iam lac habet has partes; quod refrigerat nutrit, & reficit partes consumptas; atq; si sit ouillum adstringit. Hoc habetis apud Hippoc. vbi sermonem
lib. 2. de dieta habens de lactis generibus dicebat, lac ouillum adstringere. Sed eo facilius adstringere solet, si præparetur chalyb. aut lapide candente: si animal quod daturum sit lac, reb. ad-
lib. 24. cap. 7. stringentibus sit vsum. Scribit enim Plin. Democratem illum Medicum insignem, qui

fuit

fuit autor Mytridaticæ confectionis consueuisse curare hæmopticos, hoc est eos qui reijciunt sanguinem, lacte a capra nutrita folijs lentisci. Quas maximè semper valet in vsu lactis, animalia nutrire ijs, quibus curare nos volumus. Sed cur dicit vtendum esse lacte cum aquæ dimidia portione? Puto ego propter tres causas hoc annotasse, primò quia aqua commixta lacti reddit illud frigidius. Vt autem audiuistis, curantur fluxus sanguinis frigidis, & adstringentibus. Altera causa fuit, quia lac suapte natura non ita facillimè penetrat, & præsertim quando ad intimas partes penetrare debet. Tertia causa fuit vt redderet lac minus nutriens. Laudauerat Hippoc. ieiunium. a ieiunio transire ad rem quæ maximè alit ineptum est; & a Medico maximè alienum sit. Idcirco Medicum docuit, vt non transiret a ieiunio ad rem quæ multum aleret, sed quæ parum. Sed aliud dubiũ est, quomodo commendet lac in fluxu sanguinis. nã Hipp. loquens de lactis vsu inquit: ipsum maximè aduersari cruentis omnib. deiectionib. cruentæ deiectiones sunt a causis internis, hic loquitur de causis internis? Respondeo, fluxus sanguinis esse puros, & impuros, si fluxus sanguinis sit purus, semper bonũ est lac. & hoc pacto hic loquitur. est autem bonũ, tum quia comprimit fluxũ sanguinis, tum quia nutrit. Sed si pirmixtus est fluxus, nõ cõuenit, quia ab humorib. permixtis sanguini fit vt non solum alteretur, sed etiam corrumpatur, & ita loquitur in Aphor. vbi dicit, lac aduersari deiectionibus cruentis. Sed huic resolutioni obstare videtur Trallian. vbi loquens de dysenteria cruenta, inquit inter cætera maximè præsentaneum esse lac. Igitur non videtur esse verum quod conuenit in fluxu sanguinis puro, & non in dysenteria. imò verò etiam Aetius, Paulus, & Oribasius, inter prima remedia habent lac. Respondendum est, lac vsurpari solere a Medicis, vel purum & simplex, vel medicatum. In dysenteria non conuenit lac simplex, sed medicatum. eapropter Alex. Trall. & græci omnes vbi lacte curant huiusmodi dysenteriam, semper loquuntur de lacte calibeato, vel aliter medicato, vt acquirat vim adstringendi. Igitur vbi fluxus sanguiuis vobis occurrit curandus purus, semper debetis spectare an sanguis ille sit copiosus, an non. si non sit copiosus, antequam ad localia veniatis, semper accedatis ad euacuationem totius, & ad reuulsiones. Vbi est copiosus, statim omne studium conuertere debetis ad illum comprimendum; si in parte conspicua, localibus medicamentis: si autem in parte interna, primum victus ratione tenuissima, aut ieiunio. tum si hæc non iuuant lacte & aqua, vt commendat Hippocrates. *sec. 5. aph. 65.* *lib. 8. cap. 7.*

Τὰς ἀγόνους πυριᾶν, καὶ φαρμακεύειν.

Steriles fouere, & medicamento vti.

Hæc dictio nullam cum prioribus connexionem habet, nisi quod quoq; ad praxim pertinet, & ad curationem sterilitatis muliebris. Sed quia obscura est, operæpretium est, sigillatim vnumquodq; verbum expendamus. Initium autẽ capiam ab eo, quod heri quoque animaduerti: scilicet hanc vocem φαρμακεύειν semper significare, vti purgantibus medicamentis, vt explicatissimè docuit Galen. sed addo ego, non solum significare simplicem purgationem, sed purgationem, quæ fit medicamentis grauibus. Quod cum sit, dubitare licet, quo pacto Hippoc. dicat, steriles prius esse fomentandas, deinde purgandas: nam celebratissima est omnium Medicorum lex, semper purgationem debere antecedere omnes fomentationes, omnia localia. quomodo ergo dicit steriles prius fomentandas esse, deinde purgandas? Vt hoc intelligatis, breuiter percurremus omnes causas sterelitatis, quod priusquam faciam, sciendum est, duas apud Medicos & præsertim Hippocr. esse voces: vna est, quando ἄγονοι dicuntur mulieres, altera quando ἄφοραι: latini propter penuriam linguæ, steriles appellant. Apud græcos est tamen differentia, quia ἄφοραι illæ dicuntur, quæ concipiunt quidem, sed non maturant: ἄγονοι quæ ne concipiunt, quidem. Vnde cum hoc loco vtatur voce ἀγόνοις necesse est eum existimare loqui eum de ea sterelitate, propter quam neq; maturant, neq; concipiunt. Vt autem inueniamus omnes causas, in *1. Aff. 22.*

memo-

memoriam reuocare debetis, conceptum semper fieri, vt apposìtissime dicebat Lucret. li. 4. quotiescunque semen viri & mulieris proportionatum est, atq; simile. frustratur autem conceptus, cum nulla est proportio inter vtriusq; semen. hoc accidit aliquando vitio mulieris. Vitium fœminis mulieris vel proficiscitur a toto, vel proficiscitur ab vtero: à toto, quia non mittitur, vt par est, vel si mittitur, impurum est, & ineptum ad generationem. Semen vitio vteri infœcundum est, quia corrumpitur. vtrunq; autem fit, vel propter instrumentalem vteri morbum, vel propter similarem. Hæc est summa omnium causarum sterilitatis, quas non est opus hoc loco diligentius perquirere. Sed illud videndum est, cum tot sint causæ sterilitatis, cur dicit hic curandam esse illam fomentis, & purgationibus. Nonnulli qui gustarunt hanc difficultatem, dixerunt, intelligi sub nomine fomenti, omne genus medicamentorũ localium, & sub nomine purgationis, omne genus medicamentorum internorum: quasi dicat steriles esse curandas medicamentis internis & externis. Sed huiusmodi interpretatio mihi nullo modo placet, & prorsus Hipp. indigna esse videtur: primo medicamenta interna quæ vsurpanrur a Medicis in sterilitate, non sunt purgantia solum, sed alterantia, & roborantia; præterea non omnes causæ curatur his remedijs, vt morbi instrumentales. Sed quod maximum est, si hoc voluisset docere, non esset mirnm. quis nescit sterelitatem curandam esse medicamentis internis & externis? Itaq; dicam, quæ ego excogitaui in hac obscurissima sententia. Fui interdum eius sententiæ in hac dictione aliquid desiderari, & forsan a Scriptoribus detruncatam esse hanc dictionem: sed succurrit mihi cogitanti etiam aliud consilium Hippoc. Veteres habuerunt hanc opinionem, sterilitatem plærunq; proficisci a Deo. Audite Hippoc. vbi loquens de sterilitate Scytharum dicit fuisse opinionem omnium, illud vitium contigisse propter Deos, & conatur euertere hanc opinionem, quod omnes morbi sint quasi a Deo, tantæ pietatis erat, & religionis. Vt igitur hanc opinionem euerteret docet, conuertendum esse studium ad naturalia, non credẽdum esse a Deo proficisci, & ab eo sperandum, atq; petendum esse auxilium: sed non esse alia ratione incedendum, quam fomentis & purgatione. perinde ac si dicat, vanum est Dijs attribuere, & diuinis remedijs velle vti, quia vt habet causas naturales: ita habet etiam remedia naturalia. Et hinc lib. de morb. mulier. potissimum vtitur purgationibus & fomentis, illis aduersus vitia totius corporis his aduersus vitia peculiaria ipsius vteri. Sequitur Hippoc.

lib de aer. ap. & loc.

Οσοι ἐξαπίνης ἄφωνοι ἀπύρετοι ἔωσιν, φλεβοτομέειν.

Qui repente voce priuantur si sine febre sint, sanguinem mittere.

Quæ sententia si expendatur vt decet, nullam aliam connexionem cum superiorib. habet, quàm quod sit practica, & ex ijs rebus quas Medici etiam non imperiti vix facere vnquam audent. Dicebat autem Areteus in curatione Apoplexiæ maximum esse in his casibus mederi, quia minimum errare est exitialissimum, quasi vbi aliquis Medicus videat quempiam fieri statim sine voce, semper formidat aut mortuum esse, aut moriturum. morituris adhibere remedium, omnes iure timent. Quapropter prudentissimus noster senex, vt adimeret hanc formidinem ex animis Medicorum, proposuit nobis hoc exemplum: quod si quispiam fiat subito sine voce, sanguinem esse mittendum, nisi febris adsit. Sed vt intimius perscrutemur Hipp. admirabile consilium, etiam breuiter videre oportet: quid sit apud Hippoc. ἀφωνία qua voce vtitur: deinde quomodo ἀφωνίαν curet venæ sectio: postremò cur addiderit, nisi febris adsit: nam febris, vt febris, non videtur prohibere sectionem venæ. Circa primum illud scire debetis, quod nos perspicuè docuit Gal. in historia Pythionis, duas esse voces, quæ vt sunt sonu diuersæ, ita etiam significatione; vna est ἀφωνίη: altera est ἀναυδίη. ἀναυδίη est priuatio sermonis, non vocis: & huius modi sunt muti, quibus Hippoc. & Arist. tribuit quidem vocem, sed adimit sermonem. ἀφωνίη, nihil aliud est quam priuatio simul & sermonis & vocis. Hæc vt dicit Gal. duplici ratio-

3 in 3. Epid. lib. de locis in hom. lib. 4. de hist. animal.

ratione fieri consueuit, aut fit propter vitium instrumentorum deseruientium voci, quod vitium, vel est intemperies cum materia, vel tumor, vel est quispiam alius affectus: aut fit propter vitium facultatis. de priore non loquitur hic Hippocrates, quia nulla est ratio propter quam debeat solui sanguinis missione. Sermonem ergo habet hic Hippocrates solum de ea, quæ efficitur ob vitium facultatis. Causa autem huius vt habetis apud Hippocratem efficitur potissimum; quotiescunq; venæ & arteriæ replentur sanguine, ita vt nõ pateat excursus facultati, & in hac non solum læditur vox, verum etiam omnes sensus ratio, memoria, & motus. Iam verò videre oportet, quomodo huiusmodi ἀφωνία curetur missione sanguinis, nam Hippocr. loquens de hac eadem affectione, & quasi iisdem verbis, inquit; curari per sectionem venæ internæ cubiti dextri. Iam verò cum perficiatur, propter interceptionem facultatis, vera ratio curandi nulla alia est, quam vt plenitudo illa totius corporis auferatur. Aufertur autem plenitudo potissimum sectione venæ, & non qualibet, sed eius quæ fit a vena interna cubiti dextri, quippe quæ solet magis quàm omnes aliæ venæ euacuare totum corpus. Itaque summo iure dicit ἀφωνίαν curari missione sanguinis. Quod forsan Medici non auderent facere nisi essent eo iudicio præditi, & ea ratione instructi qua erat Hippocr. Sed cur est quod Hipp. ergo addit nisi febris ad est? Idem Hippoc. dicebat loquens de ebrijs, si quisquam ebrius repente obmutescat, mori, ni si febris accedat. Gal. interpretans hunc locum dicebat: febrem esse remedium omnium morborum a multitudine humorum. Igitur facile patere potest, Hippocratem non absque summa ratione addidisse, nisi febris adsit, aut nisi sanguis sit impetus, vt quarto de acut. dicebat Hippoc. Neque enim vult docere febrem impedire omninò, sed vbi est febris non esse necessariam sanguinis missionem, quia est auxilium, ipsa febris, quandoquidem humores crudos & pituitosos in sanguine venas intercipientes sua natura absumere, atq; exiccare potest. Et vbi natura affert auxilium, non sunt tentanda alia remedia. Atque quod hoc sit verum, ab Hipp. non damnari videre potestis ex insigni illius sententia, 6. Ep. sec. 7. vbi scribit in pleuritide prohiberi a sputo cruento, non quod sputum cruentum impediat sanguinis missionem, sed quia vbi adest huiusmodi sputum, vt dicit Galen. non est necessaria venæ sectio. Sed dubitabit aliquis an debeat Medicus semper abstinere a venæ sectione in ἀφωνία, vbi febris adest, quia Auic. in curatione Apoplexiæ, vult vt semper mittatur sanguis, & eo maximè quando fit a plenitudine sanguinis. Igitur siue adsit febris, siue non, iuxta illum videtur semper necessaria esse venæ sectio; imò omnes practici, vbi suscipiunt curandos apoplecticos ἀφώνους vna cum sanguinis copia, semper ante cætera sanguinem mittunt. Quomodo ergo Hippocr. vult, non esse necessariam sanguinis missionem si febris adsit. Respondeo ἀφωνίαν posse considerari, vel in progressu, vel in initio. Si consideretur in progressu, cum sit morbus acutissimus, necessario semper habet febrem coniunctam; & propterea in progressu morbi non est necessaria sanguinis missio, vt in principio, cum semper est simplex, & nulla febris adest. Igitur quod vult docere Auic. est consonum cum Hippocr. non esse sanguinem mittendum, quando febris adest necessario. Videre ergo potestis quam sit vtilissima hæc Hippocr. oratio pro medicina facienda, nam vult Medicos docere, ne timeant in hoc casu secare venam.

lib. 4. acut. 23

loco cit. 24.

sec. 5. Aphor.

Φλέγματος κατάῤῥοι ἐκ τῶν μαζῶν ἕλκουσιν οἱ ὀφθαλμοὶ καὶ ἐξερεύγεται κατὰ τὰς ῥίνας ἐς τὸν πνεύμονα.

Pituitæ fluxus ex mammis trahunt oculi, & eructatur per nares in pulmonem.

Præsens Hipp. sententia nullo pacto cõiugitur cum præcedentib. imò nusquã apud eũ reperitur quã hoc in loco. Quo fit vt summa diligẽtia necessit hanc explanare. Habet autẽ duas partes, vna est, oculos pituitã a mãmis attrahere: altera est, pituitã è narib. in pulmones eructari. circa primã sentẽtię huius partẽ difficile admodũ est, captu quo pacto possint

oculi pituitam a mammis attrahere. Difficultas autem est, tum ex parte oculi: tum ex parte humoris, tum ex parte mammarum. Ex parte oculi, quia oculus est pars humida, nulla humiditas vim habet attrahendi, tota vis attrahendi collocata est in sicco. Itaq; non videtur rationi esse consentaneum oculos posse attrahere. Difficultas etiam est ex parte humoris, quia pituita humor est crassus ponderosus qui difficiliter trahitur a partibus superioribus. Est etiam difficultas ratione mammarum, quia inter mammas & oculos nulla est conuenientia, ratione cuius possit fieri huiusmodi attractio. Nonnulli qui gustarunt hanc difficultatem, dixerunt Hippoc. his paucissimis verbis docere caput repletum trahere a mammis repletis, & a toto repleto, & vsum esse exemplo oculorum, quia oculi sunt argumentum capitis repleti: mammarum autem, quia hæc indicium sunt corporis repleti. Sed huiusmodi interpretatio haudquaquam mihi placere potest, quia hoc non est interpretari Hippoc. sed est fingere interpretationem, multum enim abest vt Hippoc. verba hoc significent, Præterea non est verum, mammas semper repleri repleto corpore, & maximè in viris, in quib. nulla ratione solent extuberare mammæ ob repletionem corporis. Quapropter alia ratio quęrenda est. Primum autem puto Hippocr. hanc rem nobis reliquisse, quia obseruauit. Et ne videar ad hunc asillum confugere videte Hipp. imò Gal.
sec 5. aph. 40 dicit ille eo in loco; quibus in mammis colligitur sanguis furor significatur, Gal. interpretatus hanc Hippoc. sententiã: inquit eam sententiam esse ex ijs rebus quas experientia probauit, Hippoc. Et quanquam Gal eo in loco conatus est afferre aliquam rationem, tamen ea est indigna omnino Gal. Sed multo melius est dicere, eam rem esse obseruatam ab Hippoc. Itaq; cum hæ sententiæ sint similes. Galenum imitatus, puto dicendum esse, ex ijs esse quæ Hippoc. obseruauit. Quod si vobis hoc minime placeret possumus etiam aliter interpretari: quod ego accipio ex littera græca vulgari, quæ habet, oculos laborantes pituita attrahere pituitam a mammis. Vbi oculi pituita vehementer laborant, solent etiam laborare inflammatione oculorum, & lippitudinem appellant, pituitam oculi. Vbi oculi sunt inflammati, & vbi pituita in ipsis putrescit, propter calorem attrahunt a capite. Et vt hoc doceret dicit etiam attrahe a pectore, & mammis. Nec est etiam præter rationem, quia si accipiamus hoc in loco mammas pro pectore, erit certissimum attrahere a pectore oculos affectos & inflammatos. Circa secundum non ita videtur difficile intelligere Hippoc. mentem, est enim sententia Hippocratis, pituitam per nares deferri in pulmones. Est autem facilis intellectu, propter nares quidem, quia quotidie expetientia videmus a naribus defluere pituitam, in pectus. Et hinc est, quod post κορύζαν, sequitur plærunq; tussis. Est etiam facilis propter pituitam, quia hæc sua natura grauis, facile sponte præcipitatur in inferna. Et vltimo propter pulmones, ob maximam conuenientiam.
sec. 33. prol. 1 Aristot. quærens rationem, cur singultus passio pulmonis (vt ille putat) finiatur sternutamento, dicit hoc fieri propter maximam conuenientiam inter pulmones & nares. Itaque facile mittentibus naribus, deffluente pituita, & recipientib. pulmonibus, fit quod Hipp. scribit. Sed dicetis ad quid hæc Hippoc. adfert? Puto consilium illius fuisse, Medicos velle docere ex morbis narium, ex pituita oculorũ, posse præsagire morbos pulmonis, Medici ineruditi, atque etiam aliqui periti non facile vident quod ex pituita narium possit prædici morbus pulmonum. Ea propter vt doceret aliquid arcani Medicos, hoc annotauit. Aliud etiam quod voluit docere est, debere Medicum, vbi oculi laborant, vbi nares, munire pectus, ne noxam recipiat.

Ὅσοισι βῆχες ξηραὶ οὐ παύονται ἢν μὴ ὀδύνη ἰσχυρὴ ἐς τὰ ἰσχία, ἢ ἐς τὰ σκέλεα, ἢ ἐς τὸν ὄρχιν.

Quibus tussis sicca, non soluitur, nisi dolor fortis in coxam, aut in crura, aut in testem.

Hæc particula cõmemoratu digna habet hanc conuenientiam cum superioribus, quod vtraq; sententia est de conuenientia. Hippoc. in lib. de alimento dicere solebat, omnia corporis nostri membra esse inter se conspirantia, & sexto Epidem. quarto, dixit: naturã inuenire sibi vias arcanas, quas homo, & Medicus non cognoscit. Et propterea cum hoc Hippoc. tanquam oraculum haberet, conatus est, sæpe experimentis probare: superius a defluxione pituitæ a naribus ad pulmones, a pituita oculorum: hic dicit, quibus tussis sicca fit, non soluitur nisi magno dolore in coxam, crura, & testes. In principio huius secundæ sectionis (si memoria tenetis) dixerat tusses siccas curari tumorib. testium, & e conuerso, tumores testium curare tussim siccam; in quarta sectione dixit: incontinentiam linguæ solui varicibus superuenientibus in testibus. Nunc autem ait, tusses siccas non solui nisi superueniat dolor in coxã, cruribus, & testibus. Quam sententiam vt exactè intelligatis scire oportet, apud Medicos duplicem esse siccam tussim, aliam in qua nihil expuitur, & nihil est quod expui possit: aliam in qua nihil expuitur, est tamen quod expui possit. Atq; hæc postrema est, vel recens vel vetusta. Tussis sicca illa pura vel fieri solet ab intemperie vt febre hæctica, vt in frigore summo, vel a summo calore, vt in febre ardente, vel a tumore partium, vt in hydrope & tumore lienis. Huiusmodi tussis solui nequaquam potest, dolore coxarum, crurum, testium. aufertur, ablata causa a qua fit. Ideoq; de hac Hippoc. hoc in loco non loquitur, sed de illa in qua nihil expuitur; est tamen quod expui possit. quæ cum sit recens, vel vetusta, recens curatur ab ipsa natura, sæpe enim tusses siccæ sunt, & ita facile curantur; curantur etiam ope Medicorum, & puto plærosque eorum qui hic presentes sunt eas curasse. Vetusta autem non curatur nisi eo pacto, quo natura consueuit curare omnes morbos vetustos. Sed quomodo curat morbos vetustos? Audiuistis sæpe Hippoc. dicentem, abscessus qui fiunt infra morbum, & in partibus infernis, curare morbos diuturnos. Vnde cum hic dicit, tussim curari dolore, nihil aliud dicit, quam abscessu, quia dolor aut est solutio continui, aut fit a solutione continui. Soluitur continuũ propter peregrinam materiã in parte decumbentem, & continuitatem soluentem. Itaq; soluitur dolore, quia materia autor mali, mittitur ea in parte, vbi solutionem continui & dolorem parit, & abscessum. Neq; omnis abscessus potest soluere tussim, sed opus est, vt sit magnus, quia morbus est magnus, & qui retrocedere nequeat, & propterea prudentissime dicit, nisi fiat ingens dolor. Sed video hic dubitaturum esse aliquem, cur cum sint aliæ viæ per quas natura solet facere abscessus, & curare morbos diuturnos, nempe per vrinam & aluum, dixit potius curari dolore, hoc est abscessu crurum, coxarum, & testiũ, quã per aluum, aut vrinam. Respondeo nullum euidens iter reperiri quo possit materia ex pectore euacuari per aluum aut vrinam. Ego quidem factum vidi: sed rarissime. At illud sæpe fit per venas & arterias in eas partes deferri materiam, quia crura, coxæ, & testes sunt partes, quæ vt Theophrastus dicit maximè patiuntur attritionem, & motum quib. natura inuitatur ad deponendam eò materiam, & hinc qui inambulant sæpè multumq; & equitant facilè tentantur morbis harum partium. Alia quoq; est ratio, quia partes sunt remotiores & imbecilliores, & propterea aptiores ad recipiendos humores. Sed quod nã emolumentum potestis habere pro medicina facienda ex hac Hippoc. sententia? manifestissimum contra illos, qui audent damnare vsum cauteriorũ: quia hęc sunt remedia illa, quæ facit natura ad faciendos morbos diuturnos. Vt propterea quemadmodum dicit Hippoc. tusses siccas finire dolorem coxarum, crurum, aut testium, quis non videt, si cauteria in his partibus fiant, tussim siccam curari. *lib. de lass.*

Ἢν ὑδρωπι ὄντι βὴξ ἔχῃ, ἢν μὲν αὐτίκα λειποθυμέῃ, θερμοῖσι πᾶσι διαχρῆσθαι· ἢν δὲ μὴ θωρῆξαι καὶ σιτίων ἐμπλῆσαι.

Si hydropicum tussis corripit, si quidem statim animo deficiat, calidis omnibus uti debet. si verò non, vinum bibere, & cibis repleri.

Habet hæc dictio cum præcedenti aliquam connexionem, cum vtraq; sit de tussi. & est sententia multo vsu (quantũ ipse puto) ab Hippoc. confirmata, quippe quam inter Aph. retulerit sec. 6. Aphoris. 35. Cæterum cum in græco contextu desideretur vox κακὸν, idest malum, nonnulli existimarunt supplendam esse hanc vocem quasi Hippoc. esset sententia si hydropicum tussis habeat, malum, si quispiam animo deficiat, vtendum esse calidis, vel si non iuuant, vtendum esse vino, & replendum esse cibis. Ad supplendam hanc dictionẽ *sec.6.aph.35.* compulsi sunt eruditi interpretes, quia Hipp. eandem sententiam affert, scilicet: malum esse hydropicos tussire. Cæterum (ni fallor) nulla necessitas nos cogit quidquam addere præsenti dictioni, quandoquidem spero me eam vobis perspicuam redditurum. Habet ergo hæc dictio duas partes, prima est, si dydropicum tussis habet, si animo deficiat, vtendum esse semper calidis: secundum, si hæc non iuuant vtendum esse vino, & replendum esse cibis. Hæc perspicua sententia si diligenter animaduerteris, ex paris Hippocr. verbis elicitur. Cum autem vtilissima sit cum ad iudicium ferendum, tum ad praxim exercendam & curationem faciendum, operæpretium est sigillatim vnam quamq; particulam percurramus. Et quod pertinet ad priorem partem, videndum est qua ratione in hydropicis fiat *sec 6. Aphor. com. 35.* tussis. Diligentissimus Gal. scripsit: in hydropicis fieri tussim, quoniam aqua ingreditur asperam arteriam, qua stimulata vis expultrix insurgit ad expellendum, & tussim facit, quæ propterea exitiosa est, quod periculum imminet ne a copia aquæ stranguletur æger. Cardanus qui libentissime debacchatus est in Galenum, arrepta occasione hoc in loco nititur damnare Galenum, quasi merę fabulæ sint aquam hydropicorum posse ingredi asperam arteriam. Et vt suam sententiam proponeret, non propter rationem a Gal. allatam fieri tussim in hydropicis dicit, sed quia crescente aqua putredo cõcipitur, a qua deinceps vapores elati in asperam arteriam tussi generandæ materiam præbent. Ego non diffiteor id verũ esse quod scribit Cardanus, sed non video etiam qua ratione non possumus Gal. sententiam sectari, quia quod nos illo loco vult docere est, ab aquæ copia refrigerari humores, ac thoracem velut opprimi. ac propterea non modo tussim fieri, sed exitium maximè impendere. Itaq; possumus etiam alia ratione eum tueri, quia Hippoc. secundo de morbis mentionem facit hydropis thoracis, & nos sæpe explorauimus intra thoracem fieri aquam. Quod si verum est, quid mirum est, aquam in thorace colligi, vt in abdomine & ita facere tussim? Malè ergo Cardanus erga Gal. qui nunquam temerè est carpendus, inuchitur. Porrò cur fiant defectus animi in hydropicis apertissima ratio est; quia defectus animi λειποθυμία ἀψυχία græcis & præsertim Aretæo exanimatio, nihil aliud est, quam præceps virium omnium lapsus, propter paupertatem caloris natiui. In hydropicis, & præsertim vbi tussis adest, certissimum est totum corpus refrigeratum esse, & calorem natiuum languere, vnde facile fit vt ruuant vires & animus concidat. Itaq; videre etiam potestis, quam recte dixit, huiusmodi tussim sempet curari calidis. Sed dicat aliquis quomodo Hippoc. illud scribit, quod omnibus est notissimum, nemo enim est vix medicinæ initiatus, qui ignoret, omnibus hydropicis, præsertim in summo gradu, conuenire calefacientia? Est mos Medicorum vbi animi defectus cuipiam contingit, ilico frigidis affusionibus recreare. Illud quotidianus vsus docet. Itaque vt peccandi ansam amoueret dixit, in hydropicis cum animi est defectus, & tussis, nunquam vtendum esse frigidis, sed semper calidis. nunquam illis inquam, quia in hoc extremo gradu fractus est adeo calor natiuus, vt quolibet frigore externo offendatur. Sequitur secunda pats: vtendum esse vino & replendum cibis. Quod pertinet ad vinum; Hippoc. hoc loco vtitur voce θωρῆξις quã

etiam

etiam vſurpauit ſecundo Aphor. 11. de morb. 2. de nat. hum. eſt enim vox familiariſſima Hipp. Gal. in explicatione linguarũ, ait: ſignificare crapulam, ſed minimè verum eſt hanc ſignificationem habere, quia nemo eſt qui non videat in animi defectu crapulam non conuenire. Quare hoc loco intelligenda eſt vox hæc de vini exhibitione, conuenit enim vinum deficientibus animo multis de cauſis: primò quia ſtatim apponit nutrimentum partibus; prætcrea ſtatim recreat & reficit ſpiritus: deinde vino languens calor facilè veluti reuiuiſcit. Itaque ſummo iure dicit, ſi cætera non conferant, vtendum eſſe vini exhibitione. Sed quo pacto conſulit in hydropicis cum animi deliquio replendum eſſe cibis? Hæc vox ἐμπλῆσαι καὶ ἐμπλησθῆναι duo ſignificat aliquando verè replere, iam reficere. Sic intelligendus eſt Aphor. lib. 2. facilius eſt impleri potu, quàm cibis: vt hoc etiam loco interpretandum eſt; quaſi dicat reficiẽdos hydropicos cum animi deliquio, cibis, ſed accommodatis. Qui porrò ſint illi plæriſq; in locis docet Galen. & præſertim loco citato Aphor. 21. lib. 2. panis cum vino, oua, & ſimilia.

Τάμνειν δὲ τὰς εἴσω, τοῦ νοσήματος τοῦ μεγάλου ἐν τάσει γινομένου. Λύσις ἰσχίων ὀδύνη, ὀφθαλμῶν διαστροφαί, τύφλωσις, ὀρχίων οἴδησις, μαζῶν ἄρσις.

Incidere venas internas morbo magno in intenſione facto, ſolutio, dolor coxarum, oculorum diſtorſiones, cæcitas, teſtium tumectio, mammarum eleuatio.

Hæc dictio ſicuti vtiliſſima & pulcherrima eſt, ita quoq; diuerſo modo a diuerſis interpretibus fuit tractata. Nonnulli exiſtimant eſſe partem antecedentis, ac ſi dicat, hydropicos animo deficientes ſi non iuuant cibi, ſanguinis miſſionem ex venis internis iuuare: magno autem morbo in intenſione exiſtente, ſolui dolore coxarum, peruerſione oculorũ. Sed non poſſum exiſtimare hanc eſſe veram interpretationem, quandoquidem læthaliſſimum eſt hydropicis euacuare ſanguinem, qui non percipiunt vtilitatem. Alij verò exiſtimarunt, eſſe veluti aphoriſmum: perinde ac ſi dicat, cauſam ſanguini mittendi eſſe morbũ magnum exiſtentem. Hæc interpretatio ſi vera eſt, illi qui putant indicationes ſummi a morbi magnitudine haberent auctoritatem Hippoc. luculentiſſimam. Sed non puto etiam hanc veram eſſe. Hoc Hippoc. ſæpe dixit, & præſertim lib. de morb. & de acut. Non ſolet idem frequenter repetere. Quapropter perſpicua eſt & vtiliſſima hæc Hipp. ſententia, ſcilicet venam ſecare magno in morbo, comitiali internam, exiſtente in intenſione, eſſe morbum ſoluere. Similiter huiuſmodi morbi ſolutionem, eſſe dolorem coxarum, peruerſionem oculorum, cœcitatem, tumeſcentiam teſtium, & eleuationem mammarum. Videamus quo pacto hæc omnia dicantur ſoluere morbum comitialem. Morbum comitialem, magnum appellari, ab Hipp. frequentiſſimum eſt: & ſacrum, & herculeum. magnũ, quia eſt languor ſacræ naturæ, hoc eſt cerebri, vt Plato in Timeo dicebat. Morbus autem comitialis duplex eſt, alter eſt verè acutus, alter diuturnus. Et ne exiſtimetis hanc doctrinam a me effingi, videte Hipp. vbi ipſe & Gal. dicunt nõ ſolum eſſe diuturnum, & longũ, verumetiam nonnunquam comitari ad mortem, quemadmodum eſſe acutum videre poteſtis ex Gal. vbi epipleſiam cum apoplexia connumerat inter morbos acutos. Sed hanc veritatem etiam Auic. complexus eſt. imò Aret. & Cœl. Aurel. tractarunt de morbo comitiali inter morbos diuturnos & acutos. Quaſi hoc habeat peculiare, vbi eſt diuturnus non habeat periculum: eſt quidem turpis, quia deformat etiã formoſiſſimos iuuenes. Vbi autem hic vehementer & cito mouetur, periculoſiſſimus fit. Si ergo magnus eſt, certe eget magno remedio, magnum remedium eſt venæ ſectio. Et hoc eſt in medicina arcanũ, quia quis eſt, qui vbi ad morbum comitialem curandum accedit, audeat venam ſecare? Sequitur Hippoc. ſolutionem morbi eſſe quoq; dolorem coxæ. Ante diximus, dolorem capitis ſæpe deſcendere in pectus. Vnde ſi quando materia quæ facit morbum comitialem depellitur in coxas, ſoluit morbum. Aretęus lepidiſſimus ille ſcriptor ſigna referens huius morbi, dixit: læthaliſſimum eſſe, ſed aliquos bona quadam fortuna euadere, atque ſu-

ſec. 5. Aph. 7.

ſec. 5 Aphor. com. 50.

prima 1. tract. 1 cap. 4.

biungit, vel cœci fiunt, vel claudi, vel aliquo modo deturpantur; notat illud quod nunc dicit Hipp. solui a læsione coxarum, a claudicatione. Addit etiam solutionem huius mali esse peruersionem oculorum. Arist. quærens rationem cur solus homo peruertatur secundum oculos, inquit idcircò esse, quia solus tentatur morbo comitiali. duo autem dixit eo in loco, vnum verissimum est, alterum falsissimum, vt solum hominem tentari epilepsia, quia Hippoc. etiam capras hoc morbo laborare scribit, præterea habemus exemplum illius animalis quod appellatur magna bestia. bonum autem fuit peruersionem oculorum otiri a morbo comitiali, quia natura vbi follicita est liberare hominem ab hac praua ægritudine, depellit humorem quocunq; potest, maximè ad partes proximas. Vnde fit vel distorsio, vel cœcitas. Adeo vt non dicat curare hæc morbum comitialem, sed signum esse, finitum esse morbum. Postremò dicit Hippoc. solutionem morbi magni esse etiam tumescentiam testium, & eleuationem mammarum, sed quomodo hoc fieri possit, videte Hippoc. & Arist. hi omnes scribunt, morbos comitiales solui mutatione ætatis. mutatio ætatis maxima fit quando vir & fæmina incipiunt venere vti: quia tunc veluti renouatur homo, & fit mutatio vocis. Igitur si tum temporis fit mutatio ætatis, certe quæ hæc ostendunt signa, iure merito dicuntur signa solutionis morbi. Iam verò compertissimum est, vbi vir incipit capi venere, & aptus esse vti coniuge, incipiunt illi intumescere testes: vbi mulier apta viro, tunc eleuantur mammæ.

sec. 31. in fin.

l. de morbo sacro

sec. 5. Aph. 70 & sec. 2. aph. 45. lib. 4. de Hist. anim. cap. 8

Ἢν πυρετῶ ἔχοντος τὰ περὶ τὸ πρόσωπον ἰσχνὰ ἦ, ἐν ἡμέρῃ γονίμῳ, τὴν ἐπιοῦσαν λύσει.

Si febre tenente facies gracilescit in die legittima, die sequenti soluet.

Est proposita dictio satis clara, veruntamen nullam habet cum superiori cōnexionem, & tota ad partem medicinæ prognosticam spectat. Est autem eius sententia. In febre assidua si facies extenuetur die legittimo, sequenti die febrem solui. Vt autem quod scribit Hippoc. recte intelligere possitis, breuiter hic inquiremus, quo pacto in febribus facies extenuetur, & quomodo Hippoc. dicat extenuari faciem, bonum esse, cum tamen in prognost. damnet; facies nuncupatur ab Hippoc. tota illa pars anterior, quæ oculis conspicitur, vnde hoc in loco 2. Aphoris. & vbiq; solet vti hac circumscriptione τὰ περὶ τὸ πρόσωπον. Iam verò hæc vox ἰσχνὸν (quod apud latinos gracile significat) duo (vt ego reperio) apud Hippoc. significat. primo id quod opponitur tumido, etiam si non sit gracilius naturali cōstitutione, ita enim Hipp. in Prog. in prorrh. in coac. prædic. dicebat malum esse facies esse ἰσχνὰς graciles, siue non tumere, illud autem est deterrimum, quia statim strangulantur. Alia significatio est, quod gracile illud dicitur, quod magis depressum est, quam sit in constitutione naturali, aut dicitur illud extenuatum, quod cum prius tumidum esset, fit tenue. Sic Hippoc. scribit in mulieribus vtero gerentibus si mammæ gracilescant, signum est abortus futuri. Cels. dicebat mammas non extenuari sed macrescere. Quando ergo Hippoc. dicit extenuari faciem, bonum esse, non loquitur primo modo, sed secundo, quando in febre aut facies tumidiores fiunt, aut naturales diu perseuerant, & tandem extenuantur. Sed quæ est causa propter quam in febribus facies hominum gracilescunt? prima causa sunt vigiliæ assiduæ, nam cum hæ exiccant, fit vt facies hominum extenuantur: quia qui vigilant operantur secundum sensus, spiritus animales morantur in sensibus; cum autem spiritus maximè atterantur, hinc facies maximè extenuatur. Est quoq; inedia. Sed omnium frequentissimæ causæ duæ sunt, ingens incendium intestinum, & insignis euacuatio. illud, vt in febribus ardentibus. in his enim & præsertim in febribus quas συνεχεῖς appellant græci, videbitis facies vehementer extenuari, propterea quod incendium colliquat carnes & spiritus, vnde necessario consumptio, & gracilitas faciei sequitur. Alia etiam est causa, & hæc est duplex symptomatica, aut critica; illa, quod non fit die legittima, & non fit apparentibus signis coctionis. Critica autem fit die legittima, & apparentibus signis coctionis. Quod igitur prudentissimus noster senex docere vult, illud est, si

sec. 5. Aphor. 35. & 38. lib. 2. cap. 8.

exte-

extenuentur facies in febribus die legittima, indicari solutionem futuram die sequenti, loquitur enim non de ea quæ sequitur vigilias, inediam, aut incendium febrile, sed de ea quæ sequitur non symptomaticam extenuationem, verum criticam. Et quod loquitur de hac intelligere potestis, quia fit paulatim apparentibus signis coctionis, coctio autem necesse est fiat die legittima. Sed dubitari posset quomodo extenuatio faciei critica possit esse indicium solutionis morbi, quia hæc extenuatio sequitur euacuationem; crisis fit cum euacuatione, igitur hęc extenuatio debet fieri post crisim, quod si hoc verum est, quomodo potes Indicare solutionem morbi? Sed audite & credite Hippoc. nunquam nugari. Est compertissimum apud omnes Medicos noctem antecedentem crisim, esse molestã. In hoc stat cardo huius disputationis, sed cur fit nox molesta ante crisim? fit propter hoc, quia cum crisis semper sit cum euacuatione, agitatione, natura mittit primum in intestina succos prauos vt possint expelli, in hoc motu fit molestia, quo tempore quoq; extenuantur facies. Vnde cum Hippoc. videret ante crisim futuram fieri hunc motum, & hanc molestiam, atq; faciei extenuationem, dixit significare futuram solutionem. Et hoc est maximè arcanum, quia nemo est qui non pertimescat vbi videt ægrum vna nocte esse emaciatum: sed non est timendum, vbi fit ob euacuationem criticam, verum vbi fit ob symptomaticam, ob incendium intestinum. Vt quoq; non est timendum, vbi fit propter inediam aut vigilias.

ὕδρωψ ἢν οἴδημα ἔχων ἐν τοῖσι σκέλεσι βήσσῃ κακόν.

Hydrops si tumorem habens in cruribus tussiat, malum.

In contextu græco huius desideratur particula κακὸν quam ego quoq; cum Cornario & alijs supplendam esse puto, perinde ac si dicat hydropicum tussire & habere tumorem, malum esse. Quæ proponit, vt Medicos moneret, ne vnquam errarent. Dixerat dolorem testium auocare morb. a capite ex quo posset iure aliquis existimare tumores pedum in hydropicis bonos esse, quia omnis abscessus qui fit per partes infernas, & infra morbum bonus est. Cur fiat tussis in hydropicis audiuistis nudius tertius, vt non sit opus repetere. Superest igitur duntaxat inquiramus, quæ sit causa tumorum pedum in hydropicis, & cur ita malum sit tumere in hydropicis pedes Arist. (vt alias dixi) duas proponit causas tumoris pedum: alteram inediam, quando enim corpora fame macerantur, membra orbata nutrimento incalescunt colliquescunt, vnde humores deorsum ruunt. alteram, abundantiã excrementorum crudorum, quæ semper depelluntur a natura ad partes infernas: ad quas eo citius feruntur, quo grauiora sunt. In hydropicis vtraq; de causa fiunt, quia abundant crudis succis, & nunquam nutriuntur, quia semper graciles sunt; vnde contabescentia colliquatio præcipitatio succorũ ad crura, & tumores deniq; fiunt. Sed quæ est ratio propter quam vsq; adeo malum est? multæ sunt causæ quarum prior est tussis, & idcirco magna ratione dicit, tumores pedum cum tussi. nam sæpe videbitis inchoantes hydropas habere tumentes pedes. sed non sunt cum tussi: tussiunt autem propter incrementum & copiam aquæ quæ grauat, & refrigerat humores. Alia causa est, quia vbi efficitur tumor in hydrope semper originem ducit a iecore. Vbi autem iecur affectum est res pene desperata est, quia vbi valde vitiatum est iecur, quomodo fieri potest vt corpus nutriatur. Hanc rem videre potestis in coac. prænot. vbi inquit Hippoc. hydropas omnes malas esse, quæ fiunt a morbis acutis, sed deteriores quæ fiunt a iecore. Quomodo autem cognoscitur quando hydrops fit a iecore, docet quando tument pedes, & quando tussiunt, quæ si iungantur cum iis quæ hoc loco refert Hippoc. sententia erit apertissima. Itaq; poteritis illud documentum pro medicina facienda hinc elicere, vt vbi videbit facies ægrorum extenuatas, semper videatis in qua die, a quibus causis sit factum: & vt non semper fidendum, ita neq; semper esse mettuendum. pariter vbi tument in fine pedes, & cum tussi semper exitialissimam esse hydropem.

sec. 1. prob. 5.

Ἤν τὸ οὖς ἀλγέῃ, τῷ γάλακτι διαχρῆσθαι.

Si auris doleat, lacte vtatur.

Hæc dictio tota plane practica est, nec vllam habet cum superioribus connexionem. Et quanquam breuissima sit, est tamen maximè vtilis & dignissima scitu. Sed dicet aliquis vestrum, quæ potest esse hic grauitas, si auris doleat, vtendum esse lacte? Dolor aurium inter omnes fere dolores capitis, non solum vehementissimus est verum etiam periculosissimus, & propterea Cels. loquens de dolore auris, dicebat: dolorem auris non solum acerbissimum esse, verum etiam ad mortem deducere, quia ea pars est neruis subtilissimis, & maximò sensu prædita. & sicut dicebat ille dolores podagricos esse acerbissimos quia multi nerui patiuntur, pariter de aurium dolore dicendum est, esse periculosissimũ, quia pars est proxima cerebro & valde sensilis. In acerbissimo itaq; dolore & periculosissimo operæpretium est, vt Medicus habeat ad manũ remedium ad eum dolorem leniendum. Quare hoc admirabili dicto, vult docere Hippoc. quod Medicus debet habere in hoc acerbissimo dolore remedium omnibus doloribus accommodatum. Sed quomodo sciemus lac omnibus doloribus conuenire? Vt hoc intelligatis, tria sunt inquirenda, vnum est, a quibus causis fiat hic dolor; alterum, quænam remidia sedent dolorem. Tettium quas facultates habeat lac. Galen. loquens de doloribus aurium, inquit æque fieri a causis frigidis atq; calidis. Habent cæteri dolores hoc peculiare vt vehementiores fiant a causis calidis, quàm frigidis, intelligo de intemperie etiam cum humoribus. Quæ porto sint medicamenta dolorem sedantia explicatissimè docuit nos Gal. vbi de anodinis loquens, inquit: tria esse quæ dolorem leniunt: vnum genus est eorum quæ tollunt affectum: aliud, quæ tollunt symptoma ipsum, tertium & postremum est, quæ nec symptoma nec causas, sed sensum doloris auferunt. Prioribus remedijs vti consueuerunt Medici, quotiescunque dolor non admodum vrget, quæ semper habent facultatem aduersam ipsis causis dolorificis: Secundo genere remediorum vti solemus, quotiescunq; symptoma vrget, & huiusmodi remedia dicit Gal. propriè ἀνώδυνα vocari. Facultas horum remediorum est calida in primo gradu, vt est anethum. huiusmodi ἀνώδυνα solent Medici adhibere in omni causa tam frigida quam calida: quia cum sint calida, habent naturam quandam temperatam & conueninnt omnibus extremis. Tertium genus remediorum anodinorum solent Medici adhibere, quotiescunq; dolor vsq; adeo ferus est, vt Medici cogantur mortificare sensum siue dolorem, & hæc sunt in quarto gradu frigida: vt torpedo, quæ contactu solet priuare sensu. Tertium quod erat inquitendum est, quomodo lac possit omnibus doloribus accommodari. Constitutum est apud omnes, lac esse humanæ naturæ valde familiare, & caldum; & propterea inter ἀνώδυνα merito refertur, quod æque conueniat frigidis quam calidis causis. Iam videre potestis, quanto cum iudicio & ratione proponat Hipp. lac, quod sua temperie conueniat omnibus doloribus. Est etiam aliud mysterium, nam Gal. tradens remedium in doloribus aurium, inquit quotiescunque dolor vrget nullo liquore & medicamento esse contrectandas. hoc quidem verissimum est in omnibus alijs liquoribus & remedijs quibus dicit Gal. imbuendam esse lanam & auribus indendam: tamen in lacte non est ita: quia inter omnia remedia nullum ęque blandum, atq; hoc est, siue leporem, siuè mollitiem corporis æstimemus. Vnde potest Medicus hoc quomodocunq; sibi placet, vti, siue infundat, siuè lanam imbuat.

lib. 6. cap. 7.

lib. 3. de med. sec. loc.

lib. 4. de simp. med. fac.

lib. 3. de med. sec. loc. cap. 1.

Ἢν μὴ ἐν τῇ γονίμῃ μεθῇ ὁ πυρετὸς, ὑποτροπάζειν ἀνάγκη.

Nisi in die fœcunda recedat febris, redeat necesse est.

Magni Hippoc. iudicium, qui fere solus in melius necessitatem cognouit, hic habetur; quamquam a sapientissimo illo viro quarto Aphoris. 61. habetur etiam lib. de iudicationibus: vbi ait, nisi diebus imparibus dimittat febris, repetere ter: & puto addidisse numerum ternarium, vt significaret multoties. Sed circa locum Aphorismi primum debetis animaduertere, eo in loco dicere, nisi dimittat die impari, hic γονίμῳ fœcundo. Sed etiamsi adsit hæc varietas, tamen idem est sensus. Hesychius & Erotian. in Onomast. Hippoc. inquiunt hanc vocem γονίμον semper significare apud Hippoc. imparem numerum dierum quia dies iudicatorij semper fiunt diebus imparibus, addunt etiam illi propterea fieri fœcundos, quia quidquid boni contingit in morbis contingit diebus imparibus. Illud itaquè certum est, siue dicamus dies impares, siue fœcundos nihil interesse. imò verò audiuistis hunc dicere 6. Epidemiorum quæ forsan videntur incredibilia. scribit enim Hippocrates nullum morbum intercipi, nullum morbum inchoare nisi die impari, & subiungit nullum hominem perire nisi die legitimo, mense legittimo, & anno legittimo. Adeò vt tantam voluerit esse in diebus imparibus vtilitatem, vt nec morbus nec mors extra hos fieri possit. Gal. in expositione Aphorismi citati dubitauit vtrum ille sit germanus an spurius, & ad dubitandum inducitur, quia in lib. Prognost. videtur constituisse dies iudicatorios, & pares 4. 14. 20. si igitur inquit Galenus vult dies pares esse iudicatorios. Et non potest rectè esse dictum ab eo, quod febres nisi soluuntur die impari & legittima redeunt. Hæc dubitatio imposuit Gal. vt dixerit, vel locum esse mendosum, & legendum pro dierum imparium criticorum; vel non esse eius. Sed (pace Galen. dixerim) non video, qua ratione debeat hæc vetusta Hippoc. sententia vsq; adeo infirmari, & præsertim quia sæpe nobis legem tulit, vt non facile debeamus permutare litteram Hippoc. nisi habemus codicem veterem. Alioqui qui viderunt hanc difficultatem, dixerunt: Hippocr. loqui de ijs febribus quæ finiuntur sine iudicatione. Sed neq; hæc mihi placere potest, propterea quod siue male, siue bene iudicantur, semper fiunt diebus imparibus; verum vt intelligatis mentem Hippoc. duo sunt inuestiganda vnum est, quid intelligat per dies impares: alterum est, cur tantam vim habeant, in morbis. Dies impares sunt illi qui numerantur per septenarios. Siue fuerit diuina mens quæ docuerit Hippocr. siue maxima obseruatio, illud verissimum esse dixit, bona & mala fieri diebus imparibus: ætates mutari, per septenarios, siue menses, siue annos. pariter si æstimemus morbos omnes, semper inquit iudicari 7. 14, vel 20. die. Adeò vt per septimanas semper moueantur, vel iudicentur. Itaq; quod ait febres redire nisi soluantur die impari, de septimanis mensibus, annis intelligi etiam potest. Ratio ergò Gal. nulla est, si primam spectemus. Sunt dies 14. dies impares, cum constant ex duabus septimanis, & septimana sit semper impar. Et quod de hac, idem de alijs semper dicendum est, quæ cum constituantur ex septimanis, & septimana sit impar, hac ratione appellauit Hippocr. omnes dies impares criticos. Sed cur Hipp. adeo asseueranter dicit febres illas redire quæ non soluuntur die impari? Morbi qui soluuntur, vel soluuntur per coctionem vel abscessum, vel per crisim. Natura nullos alios motus & vias habet quã has: quia cõcoquit expellit, aut a loco ad locũ pellit. Quę fiunt, per coctionẽ, longo tẽpore sẽper fiunt, & propter ea nõ est opus in huiusmodi solutione morborũ obseruare dies. Solutio morborũ per abscessus fit a natura coacta nõ rectè operante, quãdoquidẽ deducere materiã a loco ad locũ, a parte nobili, & digna) quę nõ est recta operatio. quare neq; in hac etiã dies sunt obseruãdi exactè: magis tamẽ, quã in coctione nõ tãquã in crisi pfecta, & hinc inuẽitur abscessus interdũ fieri dieb. legitimis, aliquãdo nõ. Verũ motus critici alij sunt, quia sẽper fieri dieb. imparib. verissimũ est in quo natura

consumit integre materiam morbificam & sanitatem inducit. nam si velit natura iudicare, oportet adimere materiam morbificam. Et hinc fit vt a fomite nouæ febres qualibet occasione fiant in illegittima crisi. Hoc cum ita sese habet, facile intelligere possumus, quomodo diebus imparibus fiat crisis. Si enim vera crisis fit a motu materiæ extra corpus a natura, opus est fiat maximo tumultu, qui semper fit ijs diebus, in quibus fiunt exacerbationes maximè. cæterum hæ semper fiunt diebus imparibus. Si igitur vera solutio fit vbi magnus fit motus, & magna exacerbatio, & hæc fit diebus imparibus: fieri omnino debet, vt diebus imparibus soluatur, si alias materia relinquitur quæ alio tempore febrem excitat. Sed quæ est causa cur diebus imparibus fiat crisis? Hippoc. cur diebus im-
lib.4.de morb. paribus fiant exacerbationes tangit, atque etiam motus critici.

ᾧ ἂν ἡ φλὲψ ἡ ἐν τῷ ἀγκῶνι σφύζῃ, μανικὸς, καὶ ὀξύθυμος. ᾧ δ᾽ ἂν ἀτρεμέῃ τυφώδης.

Cui vena in cubito pulsat, maniacus, & iracundus, cui vero quiescit, iræ vacuus.

Præsens dictio purus sane aphorismus est, seu sententia a superioribus separata, quanquam breuissima sit. Habet tamen egregias speculationes, quas vt sigillatim tractemus diuidam totam hanc sententiam in duas partes, prior erit eum cui vena in cubito pulsat dispositum esse ad iracundiam & maniam. Secunda pars eum cui eadem vena quieta manet, stupidum & tardum esse. Circa primam particulam videre oportet quid sit, venam pulsare in cubito, deinde quomodo significat eum dispositum esse vt iracundus & maniacus euadat. Compertissimum est apud omnes Medicos Veteres nomine venæ non solum intellexisse venas sine pulsu, sed etiam venas pulsatiles quas posteriores apellarunt arterias. imò verò plærisq; etiam latini Scriptores, & cæteris elegantiores appellarunt arterias semper venas, vt videre licet apud Plin. Tacit. Hippoc. igitur hoc in loco more antiquorum appellat venam, eam quæ propriè pulsat: quam posteriores etiam iam appellant arteriam. Cæterum de pulsu quoq; & de pulsatione non minorem inuenio apud scriptores loquendi & appellandi varietatem. Ante sæcula Hippoc. appellarunt pulsum motū illum qui apparet in partibus inflammatis. tempore Hippocratis atque etiam ipse Hippoc. appellare consueuit pulsum, eum motum arteriæ qui ægro, vel Medico, vel vtrique etiam est conspicuus. Hipp. primus omnium (vt Galenus plærisq; locis dicit, & præsertim 1. diff. pul. cap. 2) vocauit pulsum, quemlibet motum arteriæ, siuè sit conspicuus siue non. Hoc igitur Hippoc. in loco, quando scribit, cui vena pulsat, non loquitur de pulsatione quæ apparet in partibus inflammatis, sed de ea duntaxat quæ oculis conspicua
1. Progn. & li. 6 de Plac. Hi p. & Plat cap. 9. est Medici, aut manifestè percipitur ab ægro. Rem autem ita sese habere docuit Galen. inquiens Hippocratem hoc loco loqui de ea pulsatione arteriæ, quæ oculis percipiatur Medicorum, vel ab ægro. Sed vt magis penetrare possitis mentem nostri senis, primum scire oportet, vnicuiq; parti tres esse ordines vasorum venas, arterias, neruos. Venæ sunt propter nutrimentum: arteriæ, caloris gratia, quia hæ sunt canales, per quos natura distribuit calorem per vniuersum corpus: nerui sunt sensus causa. Et notate admirabile iudicium naturæ, cum coniungere deberet hæc vasa, quæ poterant magis ferre iniurias in superficie collocauit; quæ minus subtus. ita venas supra; arterias, infra; neruos deinde posuit. arteriæ tamen hoc habent, vt attollant ipsas venas, iam musculos ipsos, & quod
lib.7 cap. 16. magis est integra viscera. Et sic verum est illud Plin. de Zorasti cui cerebrum palpitabat, & inquit indicium fuisse insaniæ, quia arteriæ ipsæ adeò mouebantur, vt attollerent cerebrum. Sed quæ est causa pulsus arteriarum? Vt scribit Gal. 1. de caus. puls. vera ratio eius est, tum vt attrahatur aer frigidus; est enim vsque adeo ingens incendium in corde, quod nisi singulis momentis recreetur, periculum est ne exurat, & mortem afferat. alia ratio est, vt expellantur fuligines, quia cum continuo alatur, cor concipit fuligines,

quæ

quæ tantillum retentæ suffocationem inducunt, quod cum ita sit, iam cõspicuæ intelligere potestis, illis omnibus quibus calor maior adest, necessario quoque esse maiorem motum arteriarum, quia vbi maior motus est ibi maior necessitas refrigerandi, & expurgandi fuligines. Cum igitur inquit Hippocr. cui vena in cubito pulsat esse dispositum, vt fiat iracundus & maniacus, est verissimum, quia cum intelligit de motu conspicuo huiusmodi, sequitur necessario abundantiam caloris cordis, ita vt vbi adest ingens motus arteriæ in cubito, necessario adest ingens æstus in corde: vbi adest ingens æstus in corde adest maxima dispositio ad iracundiam, cum ira est ebullitio sanguinis circa cor. Et vbi magna est ebullitio magnus quoq; est feruor, & propensio ad iram. Quod si ira est breuis quidam furor, facile constare arbitror, eum qui dispositus est ad iram, esse dispositum pariter ad furorem suscipiendum; quia hic quoq; fit propter feruorem sanguinis. Qua propter patere vnicuiq; vestrum arbitror, quanto cum iudicio & ratione dixerit Hippocr. Cui vena in cubito pulsat, eum esse dispositum ad iracundiam & furorem. Quæ res est maximi momenti in medicina facienda: quia non solum potest Medicus præsagire iracundiam, & furorem, sed etiam remedijs occurrere. Sequitur secunda pars, cui vena quiescit in cubito, signum est eum esse tardum. Quam particulam vt sigillatim quoq; examinemus primũ scire debetis, venam seu arteriam cubiti, in plærisq; ita esse temperatam, vt iure contrectetur a Medicis in carpo, ad intelligendam temperiem & essentiam caloris cordis. Sed cum sit temperata, vix percipi potest a Medico, vel ægrotante. Et vt hic motus est mode ratus: ita etiam habet sua extrema: adeo vt interdum maior sit, interdum minor. Et sicut vbi maior est hic motus, indicat maiorem calorem in corde, & consequenter iram: ita vbi est minor, indicat contrarium, nimium frigus & consequenter stuporem & tarditatem animi. Est sententia certissima & explicatissima omnium Medicorum & philosophorum, actiones corporis humani vegetes & viuidas fieri ope caloris: contra torpescere, vi frigoris. Igitur dicit Hippocrates summa ratione eum esse stupidum cui vena in cubito quieta est. Et animaduertere debetis hoc in loco (priusquam vlterius progrediamur) & lib. de expos. linguarum hanc vocem esse mendosam, quia legitur τυφλώδης, sed melius est τυφώδης; stupidum. Et quemadmodum prior pars non parum ad medicinam faciendam confert: ita etiam hæc magnam affert vtilitatem, quia vbi Medici vident nullo pacto percipi pulsum, sciendum est cor languere, frigidum esse, & occurrendum esse remedijs calidis. Sed notare oportet interdum vsu venire vt in maximè carnosis nequeat quisquam pulsum percipere. Itaque interpretandus est Hippocrates de ijs corporibus, quæ secundum communem vsum sunt constituta: & potius in gracilibus. Circa hanc partem occurrunt tamen præclarissima dubia. primum est, vtrum hæc pars pertineat ad φυσιογνωμίαν an ad πρόγνωσιν. Ratio huius dubitationis est, quia Galenus loquens de hac dictione manifestis verbis, demonstrauit se existimare esse totam phisiognomicam, quam etiam sententiam habet libro quod animi mores corporis temperaturam sequuntur. Ex altera parte videtur esse contrarium, quia τῦφος & τυφώδης est morbus, de quo sæpe Hippocrates scribit. Vnde hæc dictio pertinet maximè ad prognosim. Alia dubitatio est hæc, audiuistis nos dixisse eos quibus vena pulsat esse dispositos ad iram, quia habent cor maximè calidum, sanguinem ebullientem, & feruentem: vnde scirc oportet iram esse sobolem feruoris. Ex altera parte est Galen. comparans magnanimos, atq; iracundos, dicit, illos esse contemptores rerum paruarum: hos esse pusillamines, & esse frigidioris temperamenti. Adeo vt videatur existimasse iram potius esse effectum frigoris, quàm caloris. Pro resolutione prioris dubitationis dicendum est hanc sententiam posse referri inter phisiognomiam & prognosim. Quod ad illum potest referri manifeste patet, quia ita, stupiditas, & furor sunt passiones morũ animi, a quib. etiam morbi postmodum oriuntur. Sed puto etiam posse reduci, ad partẽ medicã, quia mores fiunt non solum a tẽperamẽto naturali, sed etiã a morboso. Et hinc illi qui supra modũ sunt melancholici hebetes sunt. Itaque hoc verissimum est, morbos æque fieri a temperamento morboso atque naturali. Quod si ita est, nemo dubitare potest ad vtranq; posse referri, quia ex his cognoscuntur

1. Prog. 28. et 6. de plac. Hippoc. & Plat. cap. 9.

1. Eoid. com. 2. tex. 8.

temperamenta, mores & morbi. Ad secundam dubitationẽ dupliciter responderi posse puto: vno pacto, dictionem illam Gal. mendosam esse, & pro ὀξυθυμία legendum esse δυσθυμία pro iracundo loquendum tarda mente, quia hæc ægritudo animi potius est soboles frigo-tis. Anaxima dicitur apud Gal. vbi habemus os vẽtriculi esse instrumentũ huius ægritudinis, quando afficitur ab humoribus grauibus & frigidis. Et hoc vnusquisq; potest intelligere, tum se maximè animo grauari, quando dolet ore ventriculi. Alia responsio est quod duplex esse videtur iræ genus: aliud quod facile excitatur & non diu durat: aliud quod non facile excitatur, & diu durat. Ira prior est soboles caloris, quæ cito accenditur, & cito desinit. Cæterum ira quæ non cito accenditur, sed diu durat, est soboles potius frigoris. Et quod hoc sit verum manifestè apparet in mulieribus: quæ diu conseruant iram. Ita de Medea scribit Euripides, eam nunquam potuisse iram placare. Igitur fit ira cum intemperamento frigido. Quod si neutra ex his placet, aliud dicere non possum, quam Gal. ibi dormitasse.

lib. 2. de plac. Hipp. et Plat.

Τρῶμα ἢν αἱμοῤῥαγήσῃ, μὴ βρέχειν τὸ ἕλκος, τὴν κεφαλὴν δὲ βρέχειν θερμῷ.

Læsio si sanguinem fundat non lauandum; caput verò calida profundito.

Officium veri & periti Hippoc. interpretis, est vt mentem scriptoris ex ipsis verbis eliciat. Et errant qui conantur aliam sententiam elicere quàm ego soleo. Id quod sæpe facere video multos interpretes, & præsertim circa præsentem dictionem, cuius sensus iam satis patet: miror sanè quomodo nonnulli non videant. Tota practica est, & ad Chirurgiam pertinet, atq; si mihi liceret totam transferem in eam partem vbi locutus est de vulneribus. Sed vt sæpius dixi hi libri sunt sine ordine scripti, vel potius notati. Sunt itaq; verba Hippoc. si læsio fundat sanguinem, non oportet lauare vulcus: sin autem caput, lauare oportet calido. Vt autem meram Hippoc. sententiam eruamus; operæpretium est annotare quid dicere velit læsio, & quid vlcus. Duo sunt verba vsitatissima Hippocrati θρῶμα & ἕλκος τρῶμα est, vt scripsit Galenus omnis læsio, quæ fit a causa externa; ἕλκος propriè nihil aliud est, quàm diuisio carnis, sicut appellatur σπάσμα diuisio ossis. Vult ergo dicere Hippoc. quotiescunq; ab aliqua causa violenta in aliqua parte corporis fit læsio, vbi sanguis exit, non esse lauandum vlcus, si in capite fiat hæc lęsio, lauandũ esse calida aqua. Si diligenter inspiciamus verba Hippoc. duplicem sensum habere videntur: vnus est, si sanguinem fundat vulcus non esse lauandum, neq; frigida neq; calida. alius est non esse lauandum, nisi aqua calida. Et quia dixit Hippoc. vlceribus frigidum esse inimicum, placet mihi vt potius intelligatur de aqua calida, quàm frigida. Iam verò videre oportet, cur Hippoc. hoc nobis proponit, vt abluatur vulcus, & non nisi aqua calida. Duabus de causis hoc facit: primum, quia natura vlcerum postulat. tam ob malum vsum Chirurgorum, & Medicorum. Quod natura rei id postulat, habemus apud Gal. vbi scribit, vlcus sua natura postulare semper sicca remedia. Igitur verum est quod scribit Hippocr. nunquam lauandum esse vlcus nisi aqua calida. Præterea Hippoc. in eo præclarissimo libello de vlceribus scribit: statim in initio vlcus nullo liquore esse tangendum, præterquam vino. Et prudenter concessit Hippoc. in vlceribus vinum, quia tametsi sit actu humidum, est tamen potestate siccum. Sed cur addit Hippoc. non esse vlcus madefaciendum si sanguinem fundat? quia tertio de victus ratione in morb. acut. tex. 59. vbi theoriam præclarissimam attulit de vsu balneorum, dixit: nõ esse vtendum balneis vnquam si sanguis exeat, nisi tamen minus sanguinis exiret quàm conueniret. Præterea non conuenit etiam si sanguinem fundat vlcus: propterea quod vbi sanguinem fundit vlcus, omnia ea quæ relaxant minimè conueniunt, eo quod relaxatis partibus maior sanguinis copia exit. Sed tulit Hippoc. etiam hanc legem propter malum vsum Medicorum, quia Medici quampri-

lib. 3. Prog. et alys in locis.

lib. 4. meth. & 5.

mum

... occurrit vlcus solent plerique statim spongia madente aqua calida abluere vlcus, & emandare a sanguinis grumis, quod quidem non est simpliciter indecens; verū si sanguis fluere cœpit, conandum est, statim eum sistere, vt dixi ante alijs remedijs adstrictorijs, ac ligaturis abstinendum q; est, tum a calida lauatione, quia magis relaxat & profusionem augeat: tum a frigida, quia hæc vlceribus mordax attamen etsi qua vlcus est, non conuenit tangere frigida aut calida, non incōuenit, quin partes proximæ tangi queant. Sequitur Hippoc. Si vlcus sit in capite, abluendum esse aqua calida. Quæ sententia quia maximi est momenti & insignes habet dubitationes, diligenter videtur esse examinanda; primū quia vbi vlcus est in capite, si calida aqua contrectetur, maxima nocumenta videntur sequi, siquidem relaxatur vas quod effundit sanguinem, præterea est lex Hippoc. non vtendum esse balneo neque etiam secundum caput, si sanguis e naribus fluit. Quod si hoc verum est, multo magis videtur esse negandum, vbi proff luit e vulnere. Neq; valet apud Hipp. videri etiam contulisse etiamsi sanguis exiret e naribus, quia contulit propter vigilias adhibitum: præterea experientia quotidiana videmus, neminem eorum qui tractant vulneri capitis abluere solere vlcus aqua calida. Cur ergo commendat Hippocr. ablutionem aquæ calidæ? Hippoc. hanc sententiam attulit, procurandam esse suppurationem, quia prohibet inflammationem, quod enim calida aqua possit facere suppurationem compertissimum est. Sed dubium est quo pacto possit prohibere inflammationem, nam quæ suppurant, vt habemus apud Gal. calida sunt: quæ calida sunt, inflammationem augent. Hic modus mea sententia hoc pacto explicandus est, vt dicamus duo esse genera vulnerū, alia sunt cum insigni contusione; alia sunt sine insigni: quia vt ego puto, vix fieri potest, vt vlcus inferatur sine aliqua contusione? vbi vlcus est sine insigni contusione, est exiccandum vbi cum contusione est insigni, suppurantibus vtendum, quia omne quod est contusum, necesse est vt ad suppurationem reducetur. si hoc opus dimittitur soli naturæ, diutius, si auxilietur medicamentis, citius vergit ad suppurationem. Et sic intelligendus est Hipp. Imò est contra Arist. vbi scribit vlceribus humidis quæ postulant exiccationem, humida conuenire. Nisi dicamus aut vtendum esse calidis & humidis, propter suppurationem, aut fefellisse hic, aut textum esse mendosum. Itaq; videre potestis quam bene dicat Hipp. vbi vlcus est in capite abluendum esse aqua calida.

lib. 5. Ep. com. 4. tex. 5.

lib. de vulneribus, & libr. de vlceribus.

libr. de simpl. med. fac.

sec. 1. Prob. 49

Ἢν καρδιώσσῃ θερμὸν ἄρτον μετ' οἴνου ἀκρήτου διδόναι.

Si cor doleat calidum cum vino mero dare.

Dixi sæpius apud veteres, & præsertim Hippoc. Thucid. imò & apud Lucret. cor significare proprie os ventriculi: quoniam vbi læditur hæc pars non minus damni infert, quàm cor ipsum, atq; adeo vt inducat animi deliquia, anxietates, quas omnes affectiones appellarunt cardiacas, quod os ventriculi vehementer patitur. Afficitur autem os ventriculi propter duas potissimum causas, vel propter humores calidos & acres, atq; etiam propter vapores, vel propter succos, tenues frigidos & acres; Adeo vt semper læditur ab aliqua acredine: quia cum ea pars est valde sensibilis hinc ab acrimonia facile compellitur ad expulsionem materiæ illius; vnde varia mala inducit. Si a calido & acri humore fiat aut alia de causa, conueniunt frigida emplastica, & adstringentia: hæc vt corroboretur stomachus: emplastica, vt corrigatur acredo: frigida, vt vapores repellantur. Ea propter in secunda sectione huius libri in initio attulit nobis historiam mulieris, cui cor dolebat, quæ vsa est succo granatorum cum polenta, polenta suo lentore corrigit acrimoniam: succus granatorum astrictione robur addit. Nunc autem dicit curari pane calido, & vino mero. Vide manifestum est hic loqui de Cardiaca affectione a causa frigida, a succis seu vaporibus acribus & frigidis. Sed dicet aliquis cur Hippoc. potius vtitur cibis quàm medicamentis? siquidem vbi fit cardiaca passio, syncope, & animi deliquia inducuntur, opus est non solum respicere causam, sed vires, & calorem natiuum, qui ingulatur ab inimico frigido.

lib. 6. de nat.

gido. Vnde cum panis sit maximi nutrimenti, & vinum maxime penetret, hinc vtrumque mirum quàm conuenit recreandis spiritibus, & reficiendis viribus. & hinc sapientissimus Homerus semper facit vt hospitibus apponnatur panis & vinum, vt restaurent citò vires. Eoq; magis conueniunt in ægritudinibus, quæ originem ducunt a frigore, & hoc est quod scriptum legimus apud Plin. in Cardiaca affectione vnicum præsidium esse in vino. & hac de re scribit Auerr. in collect. apud Saracenos vetitum fuisse vinum, præterquam in Cardiacis.

Ἐμέτου λύσις, ὕδωρ θερμὸν διδόναι πίνειν, καὶ ἐμείτω.

Vomitus solutio aquam calidam potu dare, & vomat.

Locutus fuit Hipp. in præcedenti dictione de Cardialgia, hoc est de dolore cordis, qui proprie est affectus oris ventriculi. Et quanquam ventriculus multas affectiones patitur, frequentissimus tamen solet esse & molestissimus vomitus. Et propterea iure Hipp. post affectum oris ventriculi subiunxit etiam nonnulla de alio affectu, qui vomitus est. Quod autem dicitur est, vomitum curari vomitu. Quæ sententia celebratissima est apud Medicos sed parum intellecta, est enim in ore omnium Medicorum vomitum curari vomitu, fluxum fluxu, imò Hippoc. addit dolorem dolore curari. Vt autem dicebat ille: dolor est medicina doloris. Gal. in expositione prædicti loci Epidemiorum dubitat quo pacto verum esse possit vomitum curari vomitu, & fluxum fluxu; cum Hipp. inquit vt oraculum & fundamentum totius medicinę, contraria contrariorum sunt remedia. Vt solueret hunc nodum Galen. dixit: symptomata omnia inter quæ est magnus dolor, non posse curari, tolliq; nisi auferatur ille affectus vnde oritur, affectus autem vnde oritur vomitus solet esse, vel intemperies, vel dispositio facta ab humoribus. Vt igitur tollatur, opus est auferre intemperiem, vel copiam humorum. Intemperies tollitur intemperie contraria, & ita verificatur oraculum Hipp. dispositio autem quæ inducit symptoma propter multitudinem humorum tollitur per euacuationem, euacuatio est contraria illi dispositioni quæ facit fluxum, exempli gratia excitatur vomitus, ab humorib. calidis & acrib. similiter & fluxus. quod facit fluxum, & quod facit vomitum est illa dispositio quam inducunt humores. euacuatio huius humoris est res contraria retentioni illius. Et propterea iure Gal. dixit, quod etsi vomitus vomitui sit contrarius, fluxus fluxui, est per accidens, quia euacuat materiam efficientem: non ratione contrarietatis. Et hinc est quod vbi vomitus seu fluxus non tollunt huiusmodi affectus non dicuntur curare. Dicit ergo Hipp. si vomitus exerceat quempiam, accipiendam esse aquam tepidam & procurandum vt vomat, quia sic vomitus vomitum curabit. Sed cur Hippoc. proponit tantum aquam tepidam cum multa vomitoria habemus? sapientissimo consilio: monens nos hoc vnico remedio oportere studere, vt semper blandissimis remedijs vtamur: quia quæcunq; vehementer ciunt vomitum, vt helleborosus radicula etiamsi tollunt affectum nihilominus ita lædunt ventriculum vt plus inde habeant detrimenti, quàm emolumenti.

6. Epid. com. 3. tex. 9.

Ὅσα σφακελίζει ἀπολεβόντα, τὴν φλέβα ἑλκῶσαι καὶ ὑγιῶσαι.

Quæcunq; sphacelo corripiuntur, intercepta vena exulcerare & sanare.

Est hic Aphor. totus practicus, & Chirurgicus, sed tamē vtilissimus & memoria dignus cuius sensus est: quotiescunq; aliqua sphacelantur, oportere Medicum intercipere venā, vlcerare & sanare. Et quia dixi hanc rem esse summi momenti, & vtilissimam: ea propter breuiter examinabimus. Hæc vox σφάκελος & σφακελίζειν, quemadmodum reperio apud Medicos, tres significationes habet, vna est, quia pro quolibet dolore accipitur immenso & gangrænam inducente, vt est apud Gal. Sed animaduertendum est, huiusmodi significatio-

cationes habet, vna est, quia pro qunlibet dolore accipitur immenso & gangrenam inducente, vt est apud Gal. Sed animaduertendum est, huiusmodi significationem non facile reperiri apud Medicos, sed Poetas & autores græcos. Secunda significatio est, quando notat corruptionem & putrefactionem cuiuslibet particulæ nostri corporis. Vbi aliqua pars nostri corporis putrescit appellari solet σφάκελος, & de hoc agit Gal. de hoc etiam loquebatur Hipp. quando dixit cerebrum pati sphacellum. imò verò Theophrast. auctor nobilissimus tribuit etiam hanc appellationem ipsis arboribus quando putrefcunt, inquit enim sphacelum pati, & Plin. aut non intelligens Theophrastum, aut ludens inquit arbores dolorem membrorum pati. Tertia & propria significatio sphaceli est quando os putrescit & corrumpitur, ita vt mori videatur. Celsus latinè voluit dicere os vitiari: Quando dicit os vitiari semper intelligite de sphacelo: Et per hanc significationem distinguitur a gangræna, quia hæc est corruptio carnis illa ossis. De quo sphacelo loquatur Hipp. diuersæ fuerunt sententiæ aliqui de gangræna aliqui de sphacelo ossis interpretati sunt. Ego verò existimo eum loqui de sphacelo secunda significationes accepto, hoc est de corruptione cuiuslibet partis, carnis, ossis, nerui, qualiscunq; sit. Quod autem proprie sphacelus appellatur ossis corruptio, habemus præ cæteris apud Galen. In quo postremo loquens Gal. de spacelo siue corruptione partis inquit duas esse potissimum causas sphaceli; vel insignem inflammationem, vel copiam humorum acrium & mordacium, siue venenatorum a quibus calor natiuus oprimitur & extinguitur. Nam cum calor auctor est, roboris sanitatisq; omnium nostri corporis partium, & corruptio fit: consumitur calor, a veneno, incendio, & putridis humoribus. Et propterea videbitis vbi sunt dolores & inflammationes ingentes, fieri sphacelos: quemadmodum etiam fit vbi in aliqua parte cõfluunt calidi & venenati humores. Et hoc est quod dicebat Lucret. & Thucyd. in ea peste Atheniensium plærisq; fuisse corruptas partes genitales, propter humores putres acres & venenatos. Cum igitur hæ sint causæ sphaceli, iam facile videre licet & qui debeant esse propositi scopi ad euertendam huiusmodi labem. Vnus est vt calor immensus mitigetur, alter vt auertantur fluentes humores a parte vbi imminet periculum. tertius vt humor ille teter & prauus, qui est in parte sphacelata auferatur. Nam vbi aliqua pars corruptionem in se patitur, non potest ad benignum reduci; & hinc iure amputatur, ne putredo serpat in partes adiacentes. Hos omnes scopos admirabilis Hippocr. his paucissimis verbis nobis proponit primum enim inquit debere Medicum venam intercipere. Quid hoc est intercipere venam? Vt interpretatur Gal. in expositione linguarum nihil aliud est, quam ligare venam, vrere vel pertundere. Vult ergo dicere Hippoc. quod vbi fit sphacelus, proptrr sanguinem venenosum, vel putridos humores oportet secare vel vrere, vt fluxus ille auertatur, vel omnino cohibeatur. addit Hippoc. intercipientem venam oportere vlcerare & maximo consilio, quia inter alios scopos hic vnus est non ignobilis, vt semper humor prauus auferatur, ne partes adiacentes corrumpantur: quod fit per euacuationem ab illa parte, per scarificationem, per exulcerationem, solent enim peritissimi in gangrænis & sphacelis curandis, statim aperire illam partem, scarificare, vt illud virus euacuetur, ne contaminet partes vicinas. Optimè ergo his duobus verbis totam curationem sphaceli absoluit. Sed duo sunt hic consideratione digna: vnum est, cur Hippoc. statim velit veniendum esse ad huiusmodi auxilium, nam alias ipse dixit exploranda esse medicamenta, tum ferrum, postremò igne agendum? Deinde quid hic mirum est? vulgatissimum enim hoc est apud Medicos. Respondeo tanti momenti esse, vbi apparet gangrenæ initium statim ad localia remedia venire, vt non sit expectasidum explorentur alia remedia. imò verò non modo necesse est ad illa auxilia venire, sed ipsa membra sunt amputãda, vt non serpat malum. Neq; verò quod hoc loco nos docet est vulgatum, si consideremus postremum illud Hippoc. ἐγιάζειν, videbimus non vulgatum docere, sunt aliqui Medici qui vel imperiti, vel pusillamines, vel vt blandiantur ægris, abhorrent statim venire ad auxilia hæc, etsi deueniant ad hæc admodum placidè si gerunt, nec quæ opus sunt faciunt. Atq; isti omnes dum hoc agunt, perdunt homines. Ea propter vt sapientissimus

noster

lib 1. de locis aff. cap 7.

lib 2. de tract. contex 20. & lib. de tumor. præter naturã & in exposit. ling.

lib 2. de morb

lib 4. de plant. cap. 16.

li. 17. cap. 24.

lib. 7. aph. 50. & 77 & 2. de fract. t. 20.

noster Hippoc. ex animis ægrorum & Medicorum hunc errorem adimeret, dixit statim esse ad graue præsidium deueniendum, donec recuperata est sanitas. Nec aliter hoc fieri potest, quia periculum magnum imminet nè serpens malum perdat vniuersum corpus.

Σπασμῷ χειρὸς δακτύλον ἄνευ πυρετοῦ χάσαι, ἢν μὴ τὴν κεφαλὴν ἀλγέει. εἰ δὲ μὴ ὕδωρ θερμὸν καταχεῖν.

In conuulsione digitorum manus sine febre, scarificare, nisi doleant capite. Si verò non, aquam calidam infundere.

Hæc quoq; pars chirurgica est, & hac ratione connexionem aliquam habet cum superioribus, præterquam quod videtur esse veluti quædam communio, & similitudo & sphaceli, & conuulsionis; siquidem sunt inter auctores græcos qui dicunt σφάκελος significare dolorem ingentem cum conuulsione. Sed vtcunq; sit, præsens dictio diuiditur in duas partes. prima est, vbi digiti manus conuelluntur esse scarificandos: secunda est, si dolor capitis adsit esse caput ipsum aqua calida perfundendum. Videamus ergo quam vtilitatem ex hac scriptura Hipp. haurire valeamus. Est autem cōuulsio motus quidam præter naturam, ita vt Galen. dixerit initio esse opus solius morbi, nihil conferente facultate. In hoc enim motu præter naturam musculi perinde mouentur, ac in statu naturali, sed à morbo po-
Se.6.aph.39. tius vt dixit, quàm a facultate. Conuulsio quælibet, vt scribit Hippoc. dupliciter fieri solet, vel a repletione, vel a siccitate: a siccitate rarissimè fit, quod corpora viuentia non possunt vsq; adeo exiccari, vt hanc ægritudinem patiantur. Et quod magis est, corpora marasmodea in extremo siccitatis gradu, nunquam patiuntur conuulsionem; quod signum est rarissimè fieri conuulsionem a siccitate. Si apud veteres fiebat, causa erat frequens hellebori vsus. Quare dicit Hippocrates conuulsio ab helleboro est læthalis. quasi si fieret a siccitate, fieret ab helleboro. frequentiores autem sunt a repletione conuulsiones. Iam verò conuulsio a repletione aut fit, quia causa morbi est in ipsa parte conuulsa, aut quia est in principio neruorum: nam Gal. ponens differentiam inter actiones naturales & animales, dicebat hanc esse, quod vbi actiones naturales vitiantur, semper noxa est in ipsa parte, quæ facit actionem: vbi autem actio animalis læditur, est in principio partis. Si læsio fit in ipsa parte cognoscitur, quia in nulla alia parte corporis est affectio præter naturam, quàm in sola illa parte. Si autem causa mali fit in principio partis cognoscitur, quia aliquis affectus præter naturam contigit ipsi capiti. Hanc rem docuit nos Gal. exemplo illius qui habeat conuulsum digitū manus, & Medici existimabant ibi esse causam mali, sed cū Gal. intellexisset eum cecidisse a scala cōiecit a principio medullæ ortū ducere. Vbi fit à parte ipsa, huic remedia sunt adhibenda. cum autem fit à principio a capite, ratio medendi vult, vt capiti remedia adhibeantur, vt Gal. fecit in proposito iuuene. Totam hanc doctrinam proponit nobis Hippocr. his quatuor verbis, dicit enim, si conuellantur digiti manus sine febre, oportere scarificare nisi adsit dolor in capite. Primum quod conuulsio de qua loquitur Hippoc. fiat a repletione colligitur, quod dicit scarificandum. Scarificatio non conuenit in conuulsione a siccitate. Hæc conuulsio digitorum potest habere duas causas; vel in ipsa parte, vel in principio: si in parte ipsa, opus est scarificatione: quia hæc aufert materiam, quæ facit conuulsionem. Si fit in capite non est scarificandum. Et hoc est quod dicit Hippoc. nisi dolor sit in capite, hoc est nisi caput sit affectum. Sed dicet aliquis vestrum cur addidit sine febre? addidit iure merito sine febre, quia vbi adest
Se.4.aph.57. febris in conuulsione, non est opus scarificatione. Videatis Hippocr. vbi manifestissimè scribit febrem conuulsioni superuenientem, esse remedium. Iure ergo dicit, sine febre: quia vbi hæc adest, adest remedium, neq; opus est vt alia remedia adhibeantur. Sequitur secunda pars si scarificatio prohibeatur in conuulsione digitorum manus esse perfundendum aqua calida. quasi diceret, vbi est morbus in parte adhibendum est remedium parti: vbi in capite, illi quoq; adhibenda sunt remedia. Circa quàm partem tria breuiter considerabimus, primum, cur cum multæ partes nostri corporis patiantur conuulsionem, volue-

voluerit tamen afferre tantũ, exemplum digitorum manus, non alterius partis. Alterũ est, cur cum partib. conuulsis plura genera remediorum adhiberi solent Hipp. duntaxat meminerit scarificationis. Tertium, cur cum multa adhibeantur remedia, quando in ipsa parte est origo mali, commemorat duntaxat aquam calidam. Propter duas causas puto ego Hipp. voluisse nos docere exemplo digitorum manus, primum quia manus, & digiti, sunt partes conspicuæ; & multo facilius est deprehendere has noxas in digitis & manib. quàm in vlla alia parte. Eapropter vt Hipp. hanc rem perfectè doceret, iudicauit esse capiendum exemplum a quo certò constaret. Alia causa est, quia manus est omnium instrumentorum instrumentum nobilis. & ita, vt dixerit Anaxag. hominem esse prudentissimum omnium animalium, quia manus habet. quãquam Gal. confutauit hanc sententiam, & dixit, quia prudentissimus est homo idcirco manus habere. Sed quicquid sit sententia Hipp. est, si scarificandum est, vbi conuulsio est in digitis manus, multo magis hoc faciendum est in conuulsis partib. repletione. Tertia causa est, quod manus & digiti sunt partes ex carne, neruis plenæ, tendinib. & ossib. Vnde si conuulsis partib. est adhibenda scarificatio, multò magis est adhibendum huiusmodi auxilium in alijs conuulsionib. Quapropter videre potestis quanta cum ratione attulerit exemplum digitorum manus. Circa secundum puto varijs de causis Hipp. attulisse exemplum scarificationis. nam vbi morbi inducias ferunt, ratio medendi postulat vt vniuersalia præmittantur. vbi morbi magni sunt, statim veniendum est ad efficacissima remedia, & propterea quoniam conuulsio manus digitorũ est res maximi momẽti, propter imminens periculum fit qđ hinc Hipp. voluerit statim perueniẽdum esse ad huiusmodi remedium. Accedit etiam quod Hipp. voluit complecti omne genus auxilij quod vel ferro, vel igne administratur. quasi dicat, vbi adsunt huiusmodi conuulsiones, statim ad ignem & ferrum esse veniendum. nã Gal. in explicatione vocis σχάσιν inquit tria significare, scarificare, excernere, & laxare, addo ego ex magno impetu in propriam figuram reuocare, quæ significatio maximè etiam videtur præsenti dictioni esse accommadata: siquidem vbi manus, vel digitus aliquis conuellitur, debet Medicus statim aduersam partem ad suam rectitudinem deducere. Circa postremum, primum causa fuit, quoniam huiusmodi remedium veteribus, & præsertim Hipp. erat vsitatissimum; veteres enim habebant in frequentissimo vsu balnea & quotidie his vtebantur, dumq; ibant in balnea abluebant quoq; caput. Eapropter multa concedebant Medici antiqui ægris. Propter hanc cõsuetudinẽ, mẽtionẽ facit Hipp. Mentoris qui febre pnitiosissima detinebatur, tamẽ inquit Hipp. fuisse lotũ ipsi caput, & cõtulisse, pp̃ter cõsuetudinẽ. Alia ratio est, quia vbi formidatur cõuulsio pp̃ter vitiũ capitis, sẽper Medici in id potissimũ incũbunt, vt prĩcipiũ neruorũ emolliatur & laxetur: qđ aqua facere potest. Et propterea puto sub aqua intellixisse omnia remedia blandiora, quæ possunt emollire & laxare neruorũ principium.

lib. 1. de vsu par tium (margin)

1. epid. com 3. ægrot. 7. (margin)

Ὀφθαλμῶν Σποδίου δωδέκατον, κρόκου πέμπτον πύρρινος ἕν, ψιμμιθίου ἓν σμύρνης. τὸ ὕδωρ κατὰ τῆς κεφαλῆς ψυχρὸν καταχεῖν, καὶ διδόναι σκόροδα σὺν μάζῃ.

Oculorũ spolij duodecimã partẽ, croci quintam, grumorũ thuris vnã; cerussæ vnã; myrrhæ Unam Aquam in caput frigidam infundere, & dare allia cum maza.

Non fuisse eam cõponendi medicamenta rationem apud Veteres quæ est hodiè vnaq; manifestum est. Verum non ita fuerunt imperiti, vt non obseruauerint tempus, quantitatem, subiecta, & quæ obseruanda sunt. Quod si tempore nostro nõ videntur medicamenta veterum vsui respondere, ratio est, quia varietas gentium, ciborum, & diuersæ consuetudines possunt efficere, vt quæ tunc temporis erant valida, iam inefficacia sint, vt contrà. Imò verò puto tempore Hippocr. non defuisse remedia, & medicamenta, quæ interdum parerent admirationem. Vnde dicere soleo, quoticsunq; habemus aliqua medicamenta ab Hipp. proposita, semper habere aliquid admiratione dignum. Vt habet medicamentũ hodierna die nobis propositum, ex spodij duodecima parte, croci quinta, cerusæ, myrrhæ, & thuris parte vna. Vera sententia verborum Hipp. hoc in loco est, oculorum remedium esse medicamentum præscriptum, & remedium oculorum esse aquam affusam capiti, atq; allia cum maza. Sed quia non satis est intelligere mentem Hipp. vt arcana ipsius penetre

mus,

mus,operæpretium est intelligere,ad quænam hæc applicari possint, sunt enim quinquaginta genera,& plura morborum oculorum,& non est rationi consentaneum hæc omnia singulis applicare. Vera autem ratio inueniendi hanc rem non aliunde petenda est,quam ab examine & intelligentia naturæ horum verborum, cum enim medicamenta conantur aduersus naturas morborum,cognitis naturis effectibusq; remediorum, etiam compertā habemus naturam affectuum.In fornacib.in quib.æs comburitur,vt ad perfectionem deducitur,generantur repurgamenta,alia subtilia,& leuia,alia crassiuscula.Subtile appellatur pompholix,tutiam dicunt nostri,illud autem quod crassius est,σπόδος & σποδὸν vocatur a græcis.Hipp. laudat spodium cyprium & Illyricum,& meminit spodij aurei.Præter hoc fuerunt etiam alia medicamenta loco ipsius,quæ appellantur ἀντισπόδια, imò dicit se nunquam coactum fuisse vti his Gal.quia abundabat spodio.Iam non est, & pro illo vendunt cinerem eboris combusti.Sed vt vt sit facultas huius medicamenti est exiccatoria. Cum morsu verò spodium desiccat:pompholix sine morsu,ob quod inquit Gal. neminē vti spodio vbi pompholix suppetat.Et inter alias dotes spodij est apud Dioscorid. vt valeat aduersus affectus oculorum,vlcera,cicatrices. Crocus, quid sit perspectissimum est omnib. Eius facultas est(vt docet Gal.)calefacere secūdo gradu.desiccare,& moderatè adstringere. hinc quoq; ad affectus oculorum,mirum qui conferat,& præsertim ad concoquendam fluxionem. Vox græca πυρίνας vt docet Gal.propriè significat granū thuris. Vnde errarunt omnes illi interpretes.qui aliter transtulerunt, vt Corn.In Arabia a truncis arborum thuriferorum succus emanat,qui concretus,appellatur granum thuris. Habet thus quoq; facultatem calefaciendi,& præsertim desiccandi: atq; maximè comendatur in affectib.oculorum,fluxionib.& caligine. Dioscor. tribuit hoc thuri, quod in prospera valetudine pariat insaniam.contra autem Auic.dixit,maximè auxiliari intellectui & rationi. Sed hæc extra rem & propositum nostrum. Cerussa quid sit manifestissimè nos docuit Diosc.refrigerat & emplasticam vim habet,& solet in vsum medicum cribtari conuenitq; vt scribit Diosc. & Gal. in fluxionib. oculorum.Postremò inquit myrrha, quæ & ipsa gummi est a truncis arborum emanans in Arabia: antiquitus quia incorrupta deferebatur, in magno honore habita.Est autem duplex, alia solida, alia liquida hæc stacte dicta, illa simpliciter myrrha est vocata,quæ habet facultatem calefaciendi in secundo gradu & exiccandi,& propterea conuenit maximè in fluxionib. oculorum. Ex omnib.his,facile possumus elicere medicamentum,quod proponit Hipp. habere facultatem calefaciendi in 2.gradu desiccandi,concoquendi & adstringendi sine vllo morsu.nam cerussa non alia ratione apposita fuit,quàm vt acrimonia aliorum medicamentorum & vis compesceretur. Itaq; morbi præcipui aduersus quos valet,& aduersus quos credibile est fuisse probatum hoc medicamentum sunt,fluxiones frigidæ oculorum,caligines,necnon vlcera. Et puto hoc medicamentum ab illo esse annotatum,quia apud Græcos erant frequentes hi morbi.& hi solent esse grauissimi. Secundum remediū propositum ab Hipp. est aqua affusa ipsi capiti. Idem inter cætera remedia quę aduersus dolorem oculorum probantur, recenset balneū aquæ. Sed cōmendare balneum indifferēter, nihil vtilitatis affert nobis, nisi intelligamus quib. morbis possit conuenire. Facultas aquæ,& pſertim tepentis est,refrigerare,emollire,& dolorem sedare.Itaq; vbi morbi oculorum inferunt dolorem, vbi fiunt a calidis & acrib. succis,& adest inflāmatio,lauatio capitis,frequens ex aqua tepente,maximè confert. Et quēadmodum dicebam antea, Veteres in vsu habuerunt in balneis caput abluere aqua tepente.Vnde sæpe inuenietis Hipp. de huiusmodi aqua loqui, vt de re familiari. Quod ergo Hipp.dicit est,dolorib. oculorum a succis callidis & actib.maxime prodesse aquam tepidam capiti affūsam. Postremum remedium est maza cum allijs. Maza apud veteres varijs modis cōficiebatur,sed quæ frequētissimè cōmemoratur ab Hipp.& Arif.erat hęc,hordeū torrebant & in farinam reducebant,vbi farina crassior erat, appellabatur farina: vbi autē erat leuiuscula, erat tenuior : quæ vel sicca dabatur, & appellabatur sicca : aut subigebatur oleo aut vino, & ita appellabatur maza subacta. Et cum veteres pararent,semper ipsi allia fere admiscebant. vnde μύττωτον Dioscor. & muretum Virgil. aliudq; Plinio probatum. Summatim veteres maximè delectabantur vsu alliorum. Allium autem & mala habent

Marginalia: lib. 1. de morb. mulieb. — in expos. ling. — sec. 6. Aphor. 31. & sec. 7. Aph. 46. — sec. 21 prob.

habent vim attenuandi, placandi acrimoniam ipsorum humorum ; & propterea videntur maximè conuenire in affectibus occulorum. Sed dubitatio est, quo pacto allium & mazam possint conuenire in affectibus oculorum, ita vt mereantur comprobari ab Hippoc. qui enim scripserunt de allio nullam illi facultatem ascribunt, qua possit prodesse in affectib. oculorũ, præterea non videtur adeo conuenire posse, quia Hipp. & Arist. inquit allium facere flatum, anxietatem oris ventriculi, & capitis grauitatem inducere, quomodo ergo possit commendari in affectibus oculorum? Dupliciter responderi posse existimo: vno modo id quod scribit Arist. quo in loco quærens rationem propter quam cœpe oculos iuuant, porrum autem nocet, quemadmodum nocere scribit Hipp. inquit: idcirco esse, quia cœpæ exprimunt lachrimas ex oculis: quibus expressis, lux & spiritus visorij redduntur splendidiores, vnde perfectius vident. porrum autem inquit desiccare, sed non lachrimas excitere. Cum ergo allium & cœpæ habent similitudinem quandam, existimo id dici posse, quod dicit Aris. de cœpib. etiam si allia tentant caput, nihilominus excutere lachrimas posse: & propterea conferre. Alio modo & melius existimo posse responderi, Hippoc. hoc loco minimè proponere allium & mazam, tanquã remedia, sed tanqu cibos. perinde ac si diceret: potest impunè vsurpari in affectibus oculorum cibus ille quotidianus, qui fit ex maza & allio. Et quantũ ego puto, hoc annotauit, quia cũ ille cibus esset familiarissimus & quotidianus omnib. Græcis, ab aliquib. p suspecto habebatur: vt cũ ille secus obseruaret, existimauit posse indulgeri: quia forte vitiũ ipsius mazæ tollitur a caliditate ipsius allij: sic quoq; vitiũ alliorũ potest emãdari a lentore, & frigiditate ipsius mazę, ex hordeo.

4. acut. tex. 90
sec. 13. prob. 6.
sec. 31. prob. 9.
6. epid. sec. 4. et 8. et 7. epid.

Κιρσοὶ δὲ φαλακρῶν ἢν μὴ μεγάλοι ἔωσι, μανιώδεις.

Varices caluorum nisi fuerint magni, maniaci.

Quid sit caluities, & quid sit varix alias copiosè docuit. Nunc autem pro explicatione præsentis sententiæ operæpretium est videre, quomodo dicat Hippocr. in caluis fieri magnos varices, quia idem sex. Aphor. 34. explicatissimis verbis dixit. In caluis non fieri magnos varices; aliud quod indagandum est nobis, est, quo pacto magni varices in caluis, maniam futuram significent. Quod ad primum attinet certissimum est, caluitiem fieri a siccitate. id quod clarissimè docuit nos Arist. lib. 3. de gener. animal. circa finem: & quod voluit dicere Hippoc. quando scribit caluitium fieri consumpto cerebro, hoc est exsiccato. Cæterum Cardanus, cuius ingenium semper procax fuit sex. Aph. 21. contra hanc receptissimam sententiam auctoritate atq; etiam rationibus insolescit. auctoritate, quia Hippocr. scribit: caluitium fieri corrupta pituita cerebri; non dicit exiccata: ratione, quia si fieret a siccitate sequeretur vniuersum caput debere fieri caluum, & caluos esse vigiles, quod tamen experientiæ quotidianæ repugnat. Primum verum est quod scribit Hippoc. sed loquitur de caluitiæ morbosa. Ita nihil sibi fauet hæc Hippocr. auctoritas. Neq; etiam ipsius rationes quicquam valent, quia idem dicere possumus, si fiat a pituita putrescente debere esse vniuersum caput caluum, & caluos vigiles a vaporibus putridis, & acribus cerebrum percutientibus. Constitutum ergo sit caluitium naturale fieri propter siccitatem. Vbi est siccitas, vix fieri potest, vt fiant varices, qui fiunt ab humoribus crassis. Quare ergo Hippoc. hoc dicit? Certum est Hippocr. loqui de ea caluitie quæ fit propter humores melancholicos corruptos: qui abundant in toto corpore, vel in capite. Si in toto corpore; possunt fieri varices, quia humor hic sua crassitie facile præcipitatur, in partes infernas. Si hic humor abundat & retineatur in capite, non euadunt quidem calui, sed maniaci. Res ita sese habet: quod vbi huiusmodi humor melancholicus præcipitatur a natura in crura, ita vt inducat varices magnos, facit vt caput liberetur ab humoribus, & morbis melancholicis: audiuistis enim nuper dixisse Hippoc. caluos esse subiectos morb. melancholicis; quando scilicet humores illi, qui pepererunt caluitiẽ detrusi in partes infernas inducunt huiusmodi affectum. Quod si abundent, & non detrudantur in partes infernas, nõ solum inducunt manias, sed alios morbos melancholicos. Et hoc est quod vult dicere Hipp. in caluis ab humore pituitoso corrupto, nisi hic præcipitetur in crura, significare maniacos futuros.

6. epid. com. 3.
l. de nat. pueri

ἄλφοι καὶ λέπρην, τιτάνῳ ἐν ὕδατι ὡς μὴ ἑλκώσῃς.

Vitiliginis & lepræ calcem in aqua, vt non exulceret.

Præsens dictio partim pertinet ad decoratiuam medicinæ partem, partim ad curatiuam, quia docet Hippoc. quomodo vitiligo debeat auferri, & quo pacto debeat lepra curari. inquit enim pro vitiligine & lepra auferenda, optimum esse adhibere calcem aqua colliquatam, ita tamen vt non vlceret. Et quanquam in lectionibus nostris de morbis cutaneis copiosissime declaratum sit, quid vitiligo, & quid lepra sit, nihilominus pro integra præsentis loci explicatione, nonnulla quoq; dicenda. nam Veteres & præsertim Hebrei, vt apud Leuit. legimus cap. 3. plura genera lepræ habuerunt in cute, in carne, & cum vlcere. Lepra in quantum ego existimo, nihil aliud est, quàm ille affectus, qui appellatur latine vitiligo, græce λεύκη & ἄλφος. De hac lepra videtur esse intelligendus Arnob. qui vbi enumerat ægrotos a Christo curatos recenset vitiligines, non leprosos, cum alij leprosos nominent, quasi fuerit vitiligo genus lepræ. Est autem vitiligo macula in cute, modò alba modò nigra, & appellatur hodiè a nobis pannus. Lepra autem secundum Græcos, est affectus, qui depascitur carnem. Vitiligo fit cum facultas partis quæ deberet conuertere succum in alimentum, & suam substantiam, malè agit. Causa est humor melancholicus, & pituitosus. Lepra autem nihil est aliud quàm tumor seu vlcus, a pituita vel melancholia; Sed differunt, quia in lepra putrescit humor, hic est mali moris. Vbi vitiligo est, debet Medicus semper illud propositum habere, vt primum humores omnes corporis expurget deinde si quod est intemperamentum in iecinore, corrigat: postremò, vt humor ille, qui inficit cutim aboleatur. Pariter in lepra debet facere Medicus: corpus vniuersum expurgare; deinde corrigere iecur calidum humectando, & refrigerando: tum arcanam qualitatem delendo. postremò debet totam cutim depurare a prauis humoribus. quod quidem fit remedijs exiccantibus. Hippocr. igitur cum intelligeret totam hanc artem medendi esse vulgatissimam, contentus fuit postremum remedium adhibere: scilicet illud quod potest cutim depurare ab omni materia putrida, seu non putrida & hoc est calx cum
lib. 5. aqua, quod etiam Celsus, & Paul. Aginet. scribit. nam calx cum sit remedium maximè igneum ea propter conuenit ad exiccandos illos humores. sed quia calidiusculum est, adhibetur aqua, vt tēperetur calor & vt possit magis applicari parti & melius penetrare. Sed cur inquit, ita administrandum, vt non fiat vlcus, nam lepra est vlcus. Dupliciter responderi potest: primum vt hæc dictio (ne vlceret) tota referatur ad integram curationem precedentem, quasi dicat, prouide ne vitiligo vlceretur, quæ non habet vlcus. Vel dicere possumus, si vlcus adest prouidendum est, ne amplius fiat.

χορίων κάθαρσις ἢν ὑπερέχῃ πρὸς τὰς ῥῖνας προστιθέναι, ὥστε πτάρνυσθαι καὶ ἐπιλαμβάνειν τὰς ῥῖνας τοῦ πταρνυμένου καὶ τὸ στόμα.

Secundarum purgatio, si quid supperſit, ad nares apponere sternutet, & apprehendere nares sternutantis, & os.

Hæc sententia habetur quoq; quinto Aphoris. est autem ea: Si secundinæ retineantur in partu enitendum omninò esse, vt exeant, atq; vt hoc succedat oportere sternutatoria indi in nares, atq; ita obstruere nares & os. Dixi alias quod essent membranæ, quibus fœtus in vtero obuoluitur: inter quas vna est quæ secundina appellatur, quæ si quando
l. 1. de morb. retineatur ità putrescit, vt semper certum interitum afferat. Et ideo obstetrices nunquā desistunt prius quam efferatur. Hippoc. hoc intelligens potentissima & copiosa remedia proposuit ad educendam hanc secundinam. In Aphoris. & hoc loco proponit duntaxat sternutamentum. Quæ est causa cur cum tot sunt remedia, Hippoc. duntaxat meminit

sit huius? puto duabus de causis hoc fecisse, quia est facillimum omnium remediorum ex parte abstetricum & parturientis: tum quia potentissimum est, & tamen videtur esse maxime neglectum. Igitur vt Hippoc. moneret ne hoc remedium negligerent Medici, proponit. Capitur puluis sinapis, castorij, vel piperis albi, atq; ita insuflatur in nares: qui postquam insuflatus est, obruuntur manu nares & os: & ita necessario coguntur sternutare. atq; sic exiccatur flatus, & pituitosus humor in capite, & facultas expulttix stimulata cum nō possit obstructo ore elidere flatum, fit in corpore magna cōcussio, ex qua fit magna vteri (ptopter consensum quem habet cum cerebro) commotio, & secundinæ non raro expulsio.

HIERONYMI MERCVRIALIS FOROLIV.

IN SECVNDVM EPIDEM. HIPPOCRATIS.

SECTIO SEXTA.

Ἢν κεφαλὴ μεγάλη, καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ σμικροὶ, τραυλοὶ ὀξύθυμοι.

Si caput magnum & oculi parui, balbi, iracundi.

HÆC Sexta atq; postrema huius libri sectio, nullas habet temporū & morborum constitutiones, nullasq; historias, sed plena est sententijs, quæ partim ad phisiognimiam, spectant, partim ad σημειωτικὴν medicinæ partem, maxima ex parte ad curationem morborum. sed hæc quoque non caret sua vtilitate: vt hinc multa etiam retulerit Hippoc. in lib. Aphoris. Videamus itaq; quid nos dicturus sit. Prima hæc sententia pura physiognomia est, & Hippoc. nihil aliud docere nos vult, quam eos qui habent caput magnum, oculos paruos, & balbi sunt, esse iracundos. Quæ sententia vt exacte a vobis complectatur, operæpretiū est duo breuiter videre: vnum est, quomodo & quare caput magnam ad mores effingendos conferat, & vtrum vere conferat. Secundum erit, quo pacto capite magno & oculis paruis sint propensi ad iracundiam. Circa primum, dubitarunt nonnulli apud veteres scriptores, vtrum ad mores effingendos & prudentiam magis cōducat caput magnum an paruum. Ex vna parte est Aristoteles, qui 30. sec. probl. scribit hominem idcirco brutis esse

pru-

prudentiorem, quia proportione sui corporis habet caput paruum, & ait inter ipsos homines esse prudentiores eos qui habent caput paruum. Ex altera parte est Hippoc. hoc in loco, vbi videtur ad iracundiam commendare, præterea Gal. dicit capitis paruitatem semper esse argumentum prauæ compositionis, prauam compositionē antecedit semper praua temperatura, a qua praui mores fiunt. Itaq; videtur caput paruum esse damnandum. Sed præter hunc locū Gal. est etiam alter, quo in loco scribit manifestis verbis caput paruum semper esse malum, caput magnum quandoq; esse bonum: & probat exemplo Periclis Atheniensis prudentissimi, qui habuit caput magnum. Præterea est ipsius Arist. auctoritas qui scribit in phisiog. capite magno, esse sensatos & referri ad canes: paruo, esse insensatos, & referri ad asinos. Adeo vt manifestè videatur sibi contradixisse scribens caput paruum esse malum: imò Arist. dicebat mares respectu fœminarum habere semper capita minora proportione corporis: mares autem sunt semper prudentiores quàm sunt fœminæ. Hanc difficultatem grauem sanè, primus nisi fallor vidit Petrus Aponensis, aut si non vidit prius, saltem ante alios tractauit in concil. differ. 79. & ad locum probl. Arist. Vt autem hic vir eruditissimus nodum hunc solueret, dixit duplicem esse capitis magnitudinem, aliam quæ cōstat ex copia carnis & ossium cum exiguitate cerebri: aliam verò quæ constat ex paucis ossibus & carnibus. Et cum magnitudine & copia ossium, cerebri paucitatem, dicit malam esse, & paruitatem huic contrariam bonam, ac propterea Arist. locutum esse de hac paruitate & magnitudine. Aliam verò magnitudinem esse bonam scilicet quæ constat ex copia cerebri. Vt his simul collectis, videtur nodus hic ita esse soluendus, vt qui laudant magnum caput, de magnitudine cerebri intelligendum sit: qui vituperant de magnitudine ossium. Hanc eius solutionem fere omnes receperunt & eo magis, quia quarto de partibus animalium cap. 10. Arist. videtur eius sententiæ fuisse. Possumus etiam confirmare hanc sententiam testimonio Platonis, qui in eo dialogo qui Timæus inscribitur loquens de fabrica capitis, inquit, cōditores nostros fecisse capita ex carne & paucis ossibus, vt minus grauatum cerebrum posset magis contemplationi vacare: Ex quo loco conijcere licet sententiam Platonis fuisse, quod caput paruum paucitate ossium sit bonum. Sed Arist. conatus est hanc sententiam euertere, quod non fuerit hæc ratio, sed quia caliditate carnis impediretur refrigeratio cordis, quæ præstatur a cerebro. Hæc Aponensis sententia videtur esse satis spectata, & propterea recepta: sed non mihi placet. primum enim videtur esse contra Gal. vbi inter alia præclara quæ docuit eo in loco illud fuit, naturam semper parare vasa secundum proportionem & magnitudinem earum rerū quæ in ipsis continentur. sic vbi cor & pulmo parui sunt, fecit thoracem & pectus angustum. non videtur esse verum naturam os amplum facere, & quod continetur esse exiguū Sed concedamus illi naturam aliquando errare, & vasa ampliora contentis facere. veruntamen hæc ratio parum valet, quia quarto de partibus animalium capite decimo Aristot. scribit, pueros esse insipidiores. quod habent cerebrum copiosum, & amplum. si hoc verum est, non videtur verum esse deberi, magna capita magnitudine cerebri esse bona, a qua opprimuntur & grauantur omnes facultates. Est etiam alia ratio, cur hæc Aponensis sententia non sit amplectenda, quia etiamsi caput magnum potest esse bonum, tamen hoc non semper verum est, quia sæpe videmus, eos qui sunt capite amplo magnitudine cerebri esse stupidos, & eo magis, quia natura rarius perficit membra vbi est copia materiæ, quàm vbi est inopia. Sed puto responderi posse in hac controuersia, vno modo, caput vt sit bonum debet esse mediocre secundum carnem & ossa: cæterum si ab hac mediocritate recedat, melius est vt declinet ad paruitatem cæteris paribus, quia multo facilius est vt natura ducat ad perfectionem spiritus existentes in paruo cerebro, quàm copiosos in magno. & propterea Arist. dixit prudentissimos esse brutis homines, quia capite paruo sunt, & inter homines eos qui caput paruum habent. Alia responsio est, dum loquimur de capite paruo secundum brutorum comparationem semper caput paruum melius est, quia nostra constitutio debet esse contraria membris brutorum: itaque debet semper habere caput minus. Si loquamur secundum rei naturam, illud quoq; verum est, quia homo

Marginal notes: *in arte med.* — *6.epid.com.1. tex.3.* — *l.de bren. vita* — *6.epid.com.2. tex.3.* — *sec.30.prob.3.*

homo cum fit erectæ figuræ, operæpretium eſt, vt pondus ſit ita temperatum vt poſſit ſuſtentari, ſine vlla violentia. Eapropter ſi maius fieret caput vniuerſa hominis fabrica euerteretur. Sed dicet aliquis quæ debet eſſe menſura capitis vt ſit proba ad vniuerſum corpus, præterea quomodo poteſt cognoſci an ſit magnum magnitudine cerebri, an oſſium, vel carnis? Dicendum eſt id quod ſcribit Hippoc. hoc loco, ſcilicet cognoſci (vt ab hoc poſtremò incipiam) ex ipſis oculis, quia vt ſcribit ſæpe Ariſt. & fuit placitum Medicorum oculi ſequuntur conſtitutionem cerebri, cum ſint eiuſdem ſubſtantiæ. Si igitur oculi ſunt parui, ſignū eſt exiguū eſse cerebrū, ſi oculi magni, ſignū eſt cerebrū eſſe magnum. Hoc igitur cum intelligeret noſter Hipp. dixit caput magnū habentes, & oculos paruos, eſſe iracūdos. Iam dixi, vbi oculi ſunt parui, neceſſario quoq; cerebrū eſſe paruū, & exiguū, vbi ita eſt, minus refrigeratur cor, ſiquidē vt fuit placitū Ariſt. inter præcipuos vſus cerebri fuit, vt reſtingueret feruorē cordis. Itaq; iure eſt vt homines ſic conſtituti ſint ad iram propenſi, quia ſi verum eſt iram fieri ob calorem, vbi calor in corde inſignis eſt, nec caſtigatur a frigore cerebri, fit vt quilibet vel minimo motu ira concutiatur. Sed quomodo cognoſci poteſt copia paucitaſq; cerebri ex balbutie? quia ſignum eſt contentum non eſſe proportionatū cōtinenti; propter eaq; medullā ſpinalem, & neruos motui linguæ famulantes nō eſſe robuſtos, vt colligitur ex Gal. ob cerebri paucitatē. Ad ſecundum dico quę debeat eſſe menſura capitis optimè conſtituti. Scriptores inuenietis hac de re diuerſa ſcripſiſſe, quia diuerſa corpora noſtra conſtituuntur. Vitruuius voluit eſſe octauam partem noſtri corporis a mento ad imum pilum. melius Ruffus Epheſ. a palato ad frontem eſſe decimam partem corporis humani. Sed in pueris eſt quarta pars totius corporis. Et prout creſcunt corpora: ita quoq; decreſcit hæc proportio. ita tamen vt cerebrum nunquam augeatur, quod a principio accipit ſuam magnitudinem. Iam verò videre poteſtis Hippoc. ſententiam veram eſſe, qui caput magnum habent, oculos paruos, & balbi ſunt ad iram maximè eſſe pronos, ác vt ilem eſſe non minus ad morbos ipſos cognoſceudos.

l. citat. 6. epid

lib. 3. cap. 1.

Οἱ μακρόβιοι δ', πλείους ὀδόντας ἔχουσιν.

Diu uiuentes plures dentes habent.

Hæc ſententia non ſolum quia Hippoc. eſt, verum etiam quia rem creditu difficilem cōtinet opus habet, & exquiſita, & breui explicatione. & quanquā (vt dixi) ſit admiratione digna, eſt tamen ſententia non ſolum ab Hippoc. ſed a ſummis auctoribus confirmata, ſcilicet eos qui plures dentes habent, diutius viuere: Quod autem habeant hanc ſententiam grauiſſimi auctores; facile quiſq; poteſt videre Ariſt. apertè id ſcribit: imò verò Pl. & Alber. Magn. non ſolum hoc ſcribunt, ſed tanquam vulgatiſſimū proponunt. Sed priuſquam hanç Hippoct. arcanam ſententiam perſcrutemur, operæpretium eſt ſcrupulum eximere, vt facilior ſit nobis, via ad aperienda myſteria. Scrupulus autem hic eſt, quod Ariſt. non ſimpliciter hoc aſſerit, ſed ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ quomodo fieri puteſt vt Hippocr. dicat perpetuò verum eſſe, & Ariſt. vt plutimum? puto ego vtrumq; verè dixiſſe; Hippoc. ſecundum rei naturam, Ariſt. ſecundum euentum. Rei natura poſtulat, quod qui habent plures dentes ſint viuaciores neceſſario. Interdum ſecus contingit, quia nonnunquam accidit eos qui raros habent dentes & pauciores diutius viuere, non ex rei natura, ſed propter diligentiam viuendi, cuius tanta eſt vis, vt Gal. dicat etiam prauas complexiones corporis corrigere. Itaq; ſi reſpiciamus euentum, contingit vt ſecus ſit: ſi rei naturam, verum eſt, quod ſcribit Hippoc. Videamus iam pro explicatione integræ huius ſententiæ, quæ ſit cauſa diuturnitatis vitæ, & cur hæc fiat a copia vel inopia dentium. Vita nihil aliud eſt (vt Plato ſcriptum reliquit) quàm fluxus quidam animi. ſed melius Medici noſtri dicunt eſſe operationem caloris natiui. Calor natiuus vt docuit Gal. ſubſtantiam habet in ſpiritu & in ſanguine, quamquam contextus vulgaris dicat φλεγματὸς, ſed legendum eſt πνεύματος. ſpiritus & ſanguis poſiti ſunt in continua alteratione. tamdiu eſt

lib. 2. de Hiſt. anim. & ſec. 10. probl. 47. et ſec. 34. probl.

lib. 11. cap. 52

lib. 2. de anim. cap. 3.

l. de ſan. tuēd.

lib. 8. de plac. Hipp. et Plat.

calor

calor natiuus quamdiu regeneratur ſpiritus, & efficitur ſanguis, atq; hoc eſt myſterium Hippoc. vbi ſcribit, animam quotidie refici vſq; ad mortem: ſcilicet quia vita, & anima hominis poſita eſt in ſanguine, & in ſpiritibus, ſanguis & ſpiritus continuo reficiuntur
l. de plac. Hip. et Plut. cap 6 vbi non reficitur ſanguis (vt Galenus memoriæ proditum reliquit) moritur: vbi dicit poſſe quidem ceſſare chili generationem, ſed non ſanguinis, quia tota vis caloris natiui poſita eſt in continua generatione & refectione ſanguinis & ſpititus. Sed non eſt neceſſe ſolum vt hæc continuò reficiantur, ſed ſi durare debet hęc operatio caloris natiui, tres de
lib. de long. et breu. vitæ c. 3 bet habere conditiones de quibus præclariſſime omnium docuit nos Ariſt. Prima conditio eſt, vt humidum natiuum ſit copioſum: nam ſicut videmus lucernas cito extingui in quibus parum eſt olei, ita in quib. eſt parum ſanguinis & ſpirituum, ſtatim intereunt. Secunda conditio eſt, vt humidum hoc minimè ſit tenue, ſed craſſum viſcidum, & pingue, ita videmus plantas, quarum humidum tenue eſt vt ſalix, cito perire: illus verò, in quib.
lib. 16. in fine eſt viſcidum, diu viuere, vt eſt palma, cupreſſus, de qua Plinius mira ſcribit. Tertia conditio eſt, vt hoc humidum ſit purum. ſi lucerna accendatur in oleo ſordido, videbitis eam
lib. de breuit vitæ cap. 4. et lib. 4. de gen. animal. c. vlt. ſect. 14. prob. 9. cito interire: ſi autem ſit purum multo diutius durat. Et hæc eſt ratio quamobrem Ariſt. dixerit hominem & elephantem diutiſſimè omnium animalium viuere; quia humidum vtruſq; copioſum eſt viſcidum & purum. Sed circa hanc philoſophiam Hippoc. duo occurrunt diſcuſſione digna, vnum eſt; an verum ſit ad longitudinem vitæ neceſſario requiri copiam humidi: quia Ariſt. quærens rationem propter quam habitatores plagarum calidarum & ſiccarum diutius viuant, inquit eſſe, quia corpora illa ſicciora ſunt; ſicca enim inquit non putreſcunt, non æquè cito moriuntur. ſi hoc verum eſt, non eſt neceſſarium vt copia humidi conferat ad longitudinem vitæ. Alia dubitatio eſt, quia Ariſt. loco citato ſcri
lib. de partib. anim. cap. 5. bit corpora pinguia eſſe viuaciora, & affert exemplum plantarum verum Ariſt. videtur cōtrarium dicere, vbi ſcribit pinguia corpora habere minus ſanguinis, facilius putreſcere, ſeneſcere, & interire. Pro reſolutione prioris difficultatis facile eſt reſpondere, ſiquidem duplex humidum eſt, aliud viuificum, aliud excrementitium: ſiccitas ab inopia humidi nō viuificat. ſed excrementitijs vitā protrahit, quia humidum natiuum relinquit purum: vbi ergo ſcriptum eſt, pingues diutius viuere, loquitur de inopia humidi excrementitij. Ad ſecundum obiectum dicendum, pingue aliud eſſe carnoſum adipoſum, aliud oleoſum: pinguia adipoſa certe putreſcibilia ſunt propter rationes Ariſt. quia facile putreſcunt, quia parum ſanguinis habent. & de his agit. cæterum pinguedo oleoſa non ſolum difficiliter putreſcit, verum conſeruat reliqua corpora a putredine. Igitur vbi Ariſt. dicit: corpora pinguia eſſe viuaciſſima, intelligit de corporibus pinguedine oleoſa, non autem carnoſa. Sequitur vt de dentibus loquamur, vt veritatem ſententiæ Hippoc. intelligatis. diſputatum eſt antiquitus, atq; etiam ætate noſtra, an dentes ſint oſſa. Ego verò ſemper fui eius ſententiæ. neq; eſſe aliena a natura oſſis, neq; eſſe vere oſſa, ſed eſſe medium quoddam corpus inter verè oſſa & non oſſa: quia nullas habent conditiones quas habent reliqua oſſa, ſentiunt, vt Gal. explorauit in ſemetipſo: præterea oſſa medulla plena ſunt, dentes ea carent. non poſſunt domari ab igne, ſed a ſola pituita vlcerantur, habent etiam aliam conditionem qua carent reliqua oſſa, quia regenerantur, ſecus atq; reliqua oſſa. habent quoq; conditiones oſſium, quia venis carent. Vnde iure ſtatuendum eſt, non eſſe
2. Hiſt. ad lib. de anim. pura oſſa, ſed medium quid; Michel. Epheſ. ſcribit circa oſſium conditiones differre homines ab omnibus animalibus brutis; ſiquidem in vno quoq; genere brutorum ſemper repetiuntur eidem numero dentes; in genere humano non ita eſt, quia aliqui plures, aliqui pauciores habent. Sed hic dubitatio oritur, vtrum hoc verum ſit quod dicitur. Ex
lib. 1. de anim cap. 6. lib. 2. de Hiſt. anim. cap. 3. lib. 11. cap. 37 lib. 1. & 2. de animal. vna parte eſt Hipp. noſter qui hoc loco ſignificat nobis reperiri alliquos qui habent plures dentes, quam alij. hanc eandem ſententiam habuit Alber. Magn. dicit aliquos 32: nō nullos 28: aliquos 27. habere. Sed quod magis magis eſt Ariſt. & Plin. & Alber. vnanimi conſenſu docuerunt, mares habere plures dentes fœminis. Verum ex altera parte eſt, auctoritas omnium Anatomicorum, qui narrant has eſſe meras fabulas, quid ergo in hac controuerſia dicendum eſt. puto ego hunc nodum ita poſſe ſolui. ſi rei naturam ſpectemus,

mus, veriſſimum eſſe quod teſtantur omnes Anatomici æque fœminas quam mares habere dentes plures: ſiquidem nulla eſt diuerſitas propter quam debeat eſſe ſecus. ſi conſideremus rei euentus, haud ita eſt, ſiquidem contingit vt aliquibus dentes poſteriores citius, aliquib. tarde naſcantur: ita vt ſcribunt Plin. & Albert. Mag. σωφρονιστῆρον appellatum oriri 80. anno. ſic fieri potuit vt occurreret ei quidam cuius dens ſerò eſt factus: & exiſtimarit hoc ex rei natura pendere. Sed quid ad Ariſt. dicemus? & cur dentes adeo tarde naſcuntur? Circa primum diu cogitaui quomodo poſſet tueri Ariſt. ſed certe qum nullam rectam viam inuenio, exiſtimò hoc fuiſſe erratum illius, ex ignoratione Anatomiæ. nulli enim dubiũ eſt, Ariſt. errore rei Anatomicæ feſelliſſe mulieres pauciores habere dentes, maximè quia ſenſit carere etiam ſuturis; hinc errarunt poſtea Plin. & Albert. Magn. Ad ſecundum cur ita tarde naſcantur dentes dicendum eſt triplicem eſſe cauſam; prima eſt oſſium mandibulorum anguſtia: vbi enim anguſtia eſt, hic oſſa difficulter exeunt, eſt & denſitas & durities. tertia eſt debilitas caloris natiui: exeunt autem ætate prouecta, quia caro ſolida flaceſcit, oſſa hiant & ſpongioſa euadunt, anguſtiæ illæ relaxantur & aperiuntur. Sequitur vt videamus quæ ſit vera ratio, cur illi qui plures habent dentes diutius viuant. Ariſt. quærens hanc rationem dixit, quia qui habent raros dentes, habent os cranij denſum; vnde cum cerebrum perſpirare nequeat fit vt retentæ fuligines inducant putredinem, & conſequenter accelerant mortem. qua ratione dicebat etiam viros eſſe viuaciores mulieribus, quia habent ſututas, quo fit vt vapores diſſoluantur. Hæc eſt Ariſt. philoſophia ſed falſa, quia falſis principijs nititur; nam hoc in loco duos grauiſſimos errores cõmiſit, vnum quia exiſtimauit raritatem dentium ex denſitate oſſis cranij pendere, tum quia exiſtimauit capita mulierum carere ſuturis. Itaq; multo melior eſt Hipp. noſtri philoſophia: ſecundum quam exiſtimo propter duas rationes fieri poſſe vt ſint viuaciores, qui habent plures dentes. prior eſt, quia (vt Hipp. ſcribit lib. περὶ ἀρχῶν) dentes generantur ex parte illa glutinoſa & pingui quæ manat ab oſſibus capitis: quæ tractata a calore natiuo, dura euadit. & ſubſtantia dentium euadit durior cæteris oſſibus, quia nihil frigidi remanet in ipſis dentibus, vt ait Hipp. Itaq; hoc conſtituto, ſupereſt vt dicamus, eos qui habent dentes plures diutius viuere: quia habent humidum illud glutinoſum & copioſum. Audiuiſtis conditiones humidi eſſe: vt non ſit tenue, ſed viſcidum glutinoſum. Et hinc facile cõprendere poteſtis, quàm grauiter errauit Alber. Mag. qui tradens rationẽ generationis dentiũ in extrema ætate, dixit fieri a ſemine quotidie a capite decurrente. l. 2. anim. cap. 4. Alia ratio propter quã qui habent dentes plures ſint viuaciores eſt, quia humidũ purũ, copioſũ, viſcidum lentũ generatur, ex ſanguine optimè cocto & parato, qui fit ex chilo optimè cõfecto. ad chilum optimè cõficiẽdũ certiſſimũ eſt maximè cõferre operationẽ dentiũ vt iure dixerit Auic. primã operationẽ coctionis fieri in dentib. Iã igitur manifeſtiſſime apparet, qua ratione docuerit nos Hipp. eos qui habent plures dentes eſſe etiã viuaciores.

Οἱ τραυλοὶ, ταχύγλωσσοι, μελαγχολικοὶ, κατακορέες, ἀτενὲς ἀποβλέποντες ὀξύθυμοι.

Balbi, celeri lingua, melancholici, biliosi; qui intentis oculis intuentur, iracundi.

Hæc ſententia nullam cum præcedenti connexionem habet, & eſt purus aphoriſmus, phiſiognomicus. poteſt autem diuerſimode interpretari, vt alij qui propter obſuritatem patiuntur varias interpretationes. Puto autem huius ſententiæ duas eſſe partes, prima eſt, balbi, lingua celeres, &c. ſecunda, qui intentis oculis intuentur, &c. prioris membri, ſententia hæc eſt, balbos eſſe melancholicos, lingua celeres eſſe bilioſos, quod balbi ſint melancholici dixit alias Hipp. initio huius libri. hoc etiam dixit Ariſt. explicatiſſimè vbi ſcribit lingua hæſitantes & balbos eſſe melãcholicos. Quod lingua celeres ſint bilioſi, hoc etiam rationi maximè conſentaneũ eſt: ſiquidem celeritas oritur a calore, celeritas loquẽdi a celeritate motus ſpirituum. Inter omnes verò humores nullus eſt celerior ipſa bile. Ea propter Medici attribuunt ipſi (quanquam Plato male attribuit ignem ſanguini) Et hoc multo magis eſt in ijs qui bile ſincera abundant, quos hic Hipp. appellat κατακορέες Gal. (in interpretatione linguarum) propriè ſignificat bilem ſynceram. Nonnulli alia oratione hanc ſentent. explicare ſolent exiſtimãtes intelligendã, qđ balbi, & melancholici ſint, sec. 11. prob. 38.

 &lin-

& lingua celeres,& biliosi,& non audeo hoc damnare,quia non est a ratione Hippoc.qui non nisi visu rara proponit,est rarum quod linguę celeritas & balbuties fiat a bile & humore melancholico. Et quanqnam hoc sit valde accommodatum genio Hippoc. tamen prior sensus videtur magis esse consentaneus rationi,quod linguę impedimentum fiat potius a melancholia,audiuistis alias rationem ex Arist.vbi dicebat tarde loquentes esse melancholicos,quia imaginationum celeritatem non potest lingua consequi.

sec. 11. Prob. 58.

Qui intentis oculis intuentur.

Σκαρδαμύττειν nihil aliud est quam oculis nictare apud græcos. vnde ἀσκαρδαμύττειν est priuatio huius operationis, qni non nictant vnquam oculi, sed ijs intentis semper inspiciunt intuentes. Sed cum duo hæc vox significet, vt dixi, iure dubitatur, quo pacto dicat illos qui intuentur oculis intentis esse iracundos, quia omnis immobilitas oritur a crassitie humoris.ira est opus caloris,feruor circa cor.prætereа accedit auctoritas Polemonis auctoris antiquissimi,qui libro phisiognomicorū scribit:eos qui celeriter & frequenter mouent oculos esse turbulentos,audaces,infidos; eos verò qui tardè,esse insensatos tarde incipere,tarde finiri. Si hoc itaq; verū est,quo pacto dicit Hipp.qui nunquā falli cōsueuit eos qui intuētur fixè, iracūdos esse. Respōdeo iracūdos esse alios,qui celerrimè irascūtur, & celeriter placantur,alios qui tarde irascuntnr,& tarde iram deponunt,qui celeriter irascuntur & cito desinunt irasci; calidissimi semper sunt biliosi, & isti sunt qui nictitant oculis frequenter,& de his nunc loquitur Hipp. alij verò sunt qui tarde irascuntur & tarde iram deponunt & hi semper melancholici sunt. Et quanquam etiam biliosi esse possunt, tamen habent aliquam melancholiam, & ratio est, quod humor melancholicus frigidus est & immotus,tum quia cogitabundi sunt,qui cogitant immotos semper habent oculos, ἀτένιοντες. Videtis ergo quanta cum ratione dixerit Hippoc. intentis defixis oculis intueri iracundos,confert enim cum ad cognitionem morborum,tum maximè propter curationem: ad cognitionem quia Medici non semper otium habent,vt ex interrogationib.possint cognoscere morbos:alij ex ore loquela cognoscuntur, nonnulli ex ipso intuitu ægrorum,quando ægri vel nictant oculis,vel eos immotos habent. Non minor vtilitas est in cōstituenda curatione; quia vbi aliquis occurrit nictantibus oculis, vt calidus curari debet, cum immotis,vt frigidus. Idem de balbutie dicendum est,celeri lingua homines,refrigerantibus, tarda euacuantibus melancholiam esse curandos.

Μεγάλη κεφαλὴ, ὀφθαλμοὶ μέλανες καὶ μεγάλοι, ῥῖνα παχεῖαν καὶ σιμὴν, ἐσθλοί.

Magnum caput, oculi nigri & magni,nasum crassum & simum habentes, boni.

Proposita dictio similis est illi quam habet Hipp. initio sec. 5. huius libri; est tamen aliqua differentia,quandoquidem ibi nonnulla addidit quæ non habentur loco citato. Est autem tota hæc sententia phisiognomica, & nihil aliud vult docere Hipp. nisi eos qui habent caput magnum,oculos magnos & nigros,nec non nasum simum & crassum,bonos esse,eos verò qui habent caput paruum &c.malos esse. ita vt scopus illius sit docere,quo pacto Medicus ex solo intuitu possit cognoscere mores & ingenium hominum, & morbos. De capite magno docuimus multa quomodo & bonum & malum sit. pariter intelligetis oculos magnos necessario consequi copiam & magnitudinem cerebri,vt Aristot.docet vt hac de re nulla possit esse inter hos controuersia. Sed de nigredine oculorum aliqua nobis sunt dicenda,scilicet,quæ sit causa illius. Arist.existimauit nullam aliam esse causam, quā copiam humoris aquei.sicut enim videmus corpora densa in quorum fundo aqua est collocata,tanto esse obscuriora,quanto plus est ille humor qui supernatat, pariter existimauit tāto nigriorē esse pupillā,quāto copiosior est humor q illi est superpositus. Sed Gal. attulit causas huius coloris,paruitatē humoris cristallini situ ꝑfundū ipsius humoris,& inopiā fulgoris siue luciditatis. Sed(vt liberè dicā ,vt soleo) mihi videtur multo melius philosoph.esse Arist.qui vnā dedit nigredinis causā,q̄ possit sufficere ꝑ omib.quas ꝑponit Gal. paruitas pup illę dicitur comparatiuè,ratione humoris aquei maioris,qui superminet ipsi

lib.5.de gen. animal.cap.1

In arte med.

Itaq;

Itaq; quod pupilla illa videatur magna, non est tribuendum alij quam copiæ humoris, pariter situs profundus potest reduci ad copiam humoris, quia non in profundo collocatur nisi humor sit copiosus. Itaq; dicitur situs profundus, quia copia humoris magna est. pariter non alia de causa est inopia fulgoris, quàm ob copiam humoris aquei respectu ipsius pupilæ. Itaq; (vt summatim dicam) omnes hæ tres causæ reducuntur ad vnam. Habemus ergo hactenus quæcunq; dixit Hipp. referenda esse omnia ad ingentem humiditatem capitis magnum, oculi magni, nigri. Nasi autem crassities & simitas est etiam soboles ipsius humoris: quia sicut sicca rigida manent & erecta, ita mollia facile flectuntur. Itaq; dicit Hippoc. bonos esse eos qui sunt cerebro humido. Verum dubitatio hic oritur, vtrum verum sit humiditatem augere bonitatem, quod Arist. dicat humidiores valde ingenio bonos esse. Ex altera parte est Heraclitus libro Gal. quod animi mores corporis temperaturā sequantur vbi c. 5. laudat illum quod dicat, spiritum siccum esse animam prudentem, qua si siccitas maximè faciat ad ingenium. Respōderi huic dubitationi dupliciter potest; vno modo diuersa esse ingenium, & mores, hi fiunt ex reputatione affectuū, & videntur potius pertinere ad cor: ingenium autem in cerebro est. Vt propterea dicere possumus, quando Hippoc. loquitur de bonitate, intelligi de moribus, quando autem Gal. loquitur de siccitate, intelligi de ratiocinatione ipsa. Possumus etiam dicere, bonitatem cum ingenio esse, & sine εὐηθεία dicta a græcis coniuncta cum ingenio a siccitate est. simplicitas procul dubio est effectus purus ipsius humiditatis. Et huiusmodi bonitatem Plato in Thetet. dicit oriri a cerebro humidiori; quod butyro compatari solet. *l. 2. de anima*

Χαροποὶ μεγάλοι, κεφαλὴ σμικρὴ, αὐχὴν λεπτὸς, στήθεα στενὰ, εὐάρμοστοι.

Charopi magni oculi, caput paruum, ceruix tenuis, pectora stricta, congruè formati hominis sunt.

Hæc sententia aliqua ex parte connexa est superiori, aliqua ex parte disiuncta est, coniuncta, quia tota, seu magna ex parte est phisiognomica: disiuncta, quia pertinet ad Σημειωτικὴν. Medicinæ partem. Est autem eius sententia hæc, eos qui habent oculos charopos, nares (de quibus alias locutus sum) paruas, caput paruum, ceruicem tenuem, & pectus angustum, esse bene compositos: quæ, etsi fuerit a b Hipp. longa obseruatione & vsu inuenta & cōfirmata, nihilominus habet etiam aliquam rationem. Sed vt ad eam inueniendam properemus, oritur dubitatio; quomodo fieri possit, vt illi qui habent collum tenue & pectus angustum, possint esse bene compositi, cum hæc vox εὐάρμοστος apud Platonem vsurpatur pro harmonia animi: sed apud Medicos etiam pro harmonia corporis vsurpatur. Ego hoc loco de vtroq; intelligi posse existimo. Sed quomodo? Gal. scribit naturam semper facere vasa proportionata rebus quæ in ipsis continentur, & præsertim inquit Gal. eo in loco facere thoracem proportionatum contentis. Si ergo thorax sit angustus, quomodo potest esse bonum? necesse est esse paruum atq; pulmones, & calorem natiuum esse pusillum neq; igitur videntur fieri optimæ operationes. Præterea idem Gal. dicit nonnullos Medicos existimasse animam rationalem in pectore contineri, & addunt multa argumenta, quib. adducunt veteres existimasse animā latere in pectore, ita vt dicebant magni animi esse magni pectoris. Igitur si hoc verū est, sequitur eos q habent angustū pectus habere etiā angustū animū. Pro resolutione huius difficultatis dupliciter responderi posse puto, vno modo, forsan contextum hunc esse mendosum, & loco εὐάρμοστον esse legendum ἀνάρμοστον, est enim facilis lapsus, quasi voluerit dicere contrarium, & ita mihi placet hæc interpretatio, vt iurarem illum ita sensisse. Veruntamen ne confugiamus ad hoc commune perfugium, alio pacto responderi posse existimo, scilicet hanc vocem εὐάρμοστον nihil aliud significare quàm formositatem: nam videtur sanè aliquid ad speciem conferre capitis paruitas, colli & pectoris angustia. imò inuenio etiam huiusmodi esse commendatam in equis a Vergilio. *l. 6. epid. com. 1. tex 37.* *lib. 2. de plac. Hipp. et Plat. cap. 3.*

Argutumq; caput, breuis aluus, obæsaq; terga.

Quod cum sit, tum veteres omnes testes sunt, tum hodierna exempla demonstrant; nam illi maximoperè commendabant mulieres pectore stricto, & clunibus latis & lumbis. propter quod nonnulli fascijs pectora arctabant teste Gal. vt lumbi clunesq; magis extuberarent. Imò Clemens Alexend. detestatur homines sui temporis, qui ita arctarent fascijs, vt vertebras coxarum luxarent & Gal. etiam nescio quid simile scribit de mangonib. loco citato, qui varie solent tractare pueros, quos vendebant. Quare (vt ego puto) nisi mēdosus sit textus, ita intelligendus est hoc loco Hippocrates.

l.d.cauf. mor. cap.7.

Κεφαλὴ σμικρὴ, κ' δ' ἂν εἴη τραυλὸς, κ'δὲ φαλακρὸς, ἢν μὴ γλαυκὸς ἔῃ.

Qui capite est paruo non fuerit balbus, neq; caluus, nisi sit glaucius.

Caput paruum dicit Hipp. nunquam habere secum balbutiem neq; caluitium, nisi oculi glauci sint. quæ sententia vt ego puto est prolata tanquam res pure ab ipso obseruata. & quæ forsan nullam rationem habet. sed si aliquid etiam rationi consentaneum inueniendum sit, dicemus caput paruum necessario siccitatem habere iunctam, vt caput magnum humiditatem: vbi est siccitas non potest esse balbuties, quia hæc semper oritur ab humiditate, similiter non potest adesse caluitium morbosum, quia fit a pituita putrescente, quæ non est in capite paruo. Itaq; non potest fieri, nisi oculi sint glauci, qui semper sequuntur siccitatem cerebri. Quare caput paruum & oculi glauci cum sunt a siccitate, facile fit vt caluitium naturale sequatur, sic quoq; balbuties, quæ consequitur humorem melancholicum, de quo Arist. scribit.

sec. 11. prob.

Σπασμῷ φωνὴ ἐν γονίμῳ λύεται. ἀπήλλακται τῦ μεγάλυ νοσήματος.

In conuulsionib. si vox in die legitimo soluitur, liberat a magno morbo.

Quod in præsenti dictione proponit Hippoc. illud est. si in conuulsionibus die legitima vox recuperetur, liberari homines a magno morbo. quæ sententia similis est illi quam habet primo Aphor. vbi scribit. In ebrietate, si vox recuperetur ea die qua soluitur ebrietas, homines saluari. Si autem sensus vtriusq; sententiæ consideretur, idem fere est, licet verba sunt diuersa. Vt autem, quod scribit Hippoc. diligenter intelligamus, primum repetendum est memoria, diem legittimū aliud significare, quàm criticum. Quod pertinet ad magnum morbum, scire oportet apud Hippoc. nomine magni morbi intelligi quidem plærunq; morbum comitialem, verum etiam interdum veram apoplexiam. Vtrum autem hoc loco significet apoplexiam & epiplesiam, an epiplesiam duntaxat, dubitari quidem possit: veruntamen etsi certum sit posse etiam significare apoplexiam, tamen placet vt intelligamus de epilepsia. quia vt Gal. scribit, in apoplexia penitus facultas motrix otiosa est, in epilepsia deprauata. Vnde cum Hippoc. loquitur de conuulsionibus quæ sunt operationes deprauatæ, nō potest loqui de apoplexia, in qua penitus perditur motus. Sed si epilepsia est conuulsio totius corporis quomodo dicit, liberare a magno morbo? Nonnulli dixerunt Hippoc. hoc loco intelligere pro conuulsionibus, venarum interceptiones ob repletiones neruorum a vaporibus & humoribus. Sed placet magis mihi pro conuulsionibus intelligere, manifestas conuulsiones, quia epiplesia tametsi semper fit cum conuulsione, non tamen semper est cum conuulsione manifesta. Auic. scribit epilepsiam interdum fieri sine conuulsione manifesta. & Auic. ibi dicit, fieri multoties sine spasmo manifesto, vult autem dicere aliquoties. Quod ergo vult Hippoc. docere hoc loco, illud, est In cōuulsionibus manifestis si vox soluatur die legittima, liberari a magno morbo ægros. Sed video statim dubitari, quomodo fieri possit vt soluatur epiplesia die legittima, quia

sec. 2. aph. 45.

l. 3. trac. 1. cap. 8.

vix paroxismus durat duab, vel tribus horis. quæres quantum ego puto ita sese habet: vsu sæpe venit, vt homines capiantur conuulsionibus, & simul etiam ammittant vocem, vt in ebrietate, & sine ea: vbi detenti sunt conuulsionibus, & capti voce, si perdurat morbus, solet finire conuulsio omnis in epilepsiam, aut apoplexiam. sed si in his conuulsionib. vox redierit die legittima ex toto (inquit) deletur suspicio futuri magni morbi. apoplexiæ, aut epilepsiæ. Sed qui fit vt vox soluta die legittima liberet ab his morbis? die critico fit expulsio materiæ peccantis, vox non restituitur nisi materia impediens neruos & musculos ex toto adimatur. materia morbifica perfectè adimitur, aut non perfectè, si prfecte est vera crisis, & tunc non solum liberat a morbo, sed etiam a recidiua. ergo cum semper sit die legittima expulsio perfecta, iure fit vt liberet ab epilepsia, a magno morbo.

Λεχοῖ δὲ πυρεταινούσῃ, καὶ ἀλγεούσῃ, ὕδωρ καταχεῖν, καὶ πτισσάνην παχέην διδόναι τρὶς τῆς ἡμέρης, θερμήν.

Puerperæ febricitanti, & dolenti, aquam affundere, & ptisanam crassam dare ter in die calidam.

Hæc sententia nullam habet cum prio b. connexionem. imò puto ego hoc in loco fuisse insertam: Sed quicquid sit est sententia Hippoc. quod vbi mulier quæ peperit & febricitat & dolet, affundendam esse aquã calidam, & vtendum esse ter in die ptisana crassiore. An hic loquitur de prægnante, vt nonnulli existimarunt, an de muliere quæ recenter enixa est, vt significat vox hæc, & vt vtitur Hippoc. dubitarem, nisi mihi certo constaret hanc Hippoc. sententiam posse recte accommodari huic voci λεχοῖ, quam scribit, quæ nihil aliud significat quam mulierem recenter enixam, & decumbentem in lecto, qui appellatur a græcis λεχός. Iam clarissimum est, mulieres parientes acerbissimos dolores perpeti, ita vt Medea apud Euripidem dicat: sese ter malle sub clypeo certare, quàm semel parere. Contingit interdum vt cum partu dolor omnis cesset, interdum post eum duret cum febre. Vbi febris doloresq; iunguntur post partum semper suspicari debetis de affectu ali quo inflammatorio, in quo (vt Hipp. in hac sententia nos docet) incedendum est hac ratione. Vt autem eam penetremus, videndum est, quæ indicationes nobis sunt capiendæ in hoc affectu. Duæ sunt indicationes, vna a natura morbi, alia a viribus. A natura morbi; cum sit febris. nihil aliud indicat quam vt refrigeretur & humectetur; dolor indicat, vt leniatur. Pro refrigeratione & dolore leniendo nihil aliud nos docet Hippoc. quàm vsum aquæ calidæ affuse, quæ refrigerat, humectat, (& quod caput huius rei est) dolorẽ lenit, vt Hippoc. scriptum nobis reliquit. Igitur iure Hippoc inquit esse occurrendum in hoc casu cum affusione aquæ calidæ. A viribus sumitur quoq; indicatio, quia Hippocr. non ita frequenter ea vtitur, sed vtitur nunc, quia vires sunt attritæ, & penè euersæ, propter partum. accedit, quod debeat sufficere ad nutritionem. Sed quomodo expletur hæc indicatio? Vires mulieris quæ est recenter enixa habent opus vt sustententur, non vt suffocentur: eapropter opus est vt victus qui offertur possit vires sustentare, non qui possit suffocare. & ea de causa dat solam ptissanam crassam; atq; cum vires laborent offerri iubet ter in die. Quapropter potestis pro medicina facienda, duo clarissima documenta colligere, vnũ est, vt vbi mulier quę recenter enixa est dolet & febrit simpliciler illa curetur, sed blande vt Hippoc. solet vsu aquæ & ptissanæ crassioris & non cureris nugas mulierum: quod maximè annotandum est propter errores nesciarum mulierum, quæ etiam febricitantibus vinum dant. Aliud documentum est, vbi non licet propter mores, huiusmodi remedio vti, vt loco huius ol. tepidum chamomelum anetin. hydroeleum adhibeatis: pro ptissana præscribatis panem coctum, iusculum, vt dolorem sempet tamẽ leniatis, vt abstineatis a grauissimis medicamentis.

lib. 1. de morb.

sec. 5. aph. 24.

Παιδίον τρέφεται ἑβδόμῳ μηνὶ, ἢ ἐννάτῳ, ἢ δεκάτῳ. καὶ ἵσταται τῇ φωνῇ, καὶ ἰσχὺς ἕπεται, καὶ τῶν χειρῶν κρατέει.

Puerulus nutritur ſeptimo menſe, aut nono, aut decimo, & firmatur voce, & robur ſequitur, & manibus validus eſt.

Cum ſuperius de nuper enixa & puerpera locutus ſit Hipp. vt audiuiſtis, nunc de ipſo puero in lucẽ edito non nulla etiã ſcitu digna, nec ita vulgaria proponit, vt iure hiſce cum ſuperioribus aliqua videatur apparere connexio, eſt autem præſens ſententia puerulam nutriri ſeptimo menſe, aut nono, aut decimo, & firmari voce, & roborari, & manibus validum eſſe. Quod enim omnes inſignes mutationes vt dentitio, & locutio, fiant menſibus & annis legittimis, eſt iam ab Hipp. dictum plæriſq; in locis, & a nobis ſæpe declaratum. Cæterum quæſtione dignũ eſt, quomodo Hipp. hic dicat puerulum nutriri ſeptimo menſe, aut nono, aut decimo, nam non ſolum quolibet die nutritur, verum etiam qualibet hora, & quolibet momento, ſiquidem vita quæ nutriendo ſuſtentatur, & diximus aliàs, opera caloris, ſicut eſt continuò, ita etiam nutritio: imò vero in ægritudine quæ vocatur ἀτροφία etiam homo nutritur, quamuis multo maior ſit nutrimenti cõſumptio, quàm additio. Reſpondendum eſt, hanc vocem τρέφεται & τρέφεσθαι, qua vtitur hoc loco Hippoc. ſignificare etiam ſolidari, ſeu indurari, vt annotauit Gal. imò verò etiam Erotianus in voce τρέφεται *in expoſ. ling.* Quare puto hac ſignificatione accipiendam eſſe vocem τρέφεται vſurpatam ab Hipp. quaſi dicat puerulum ſeptimo menſe, nono, & decimo, denſari & indurari. Tria præterea digniſſima inquiſitione diſcuſſioneq; hic occurrunt, primum eſt, cur Hipp. dicat puerulum ſeptimo nono & decimo menſe denſari & dierum nullam mentionem facit, alterum eſt, cur reliquerit octauum menſem. tertium, cur dicit, puerulum natum ſolidari. Circa primum ſcire oportet, non ſine maxima conſideratione Hipp. duntaxat mentionẽ feciſſe menſium non dierũ, quia opera naturę quolibet momẽto quálibet hora fiunt, ſed demõſtratio certis temporibus vt dentitio & locutio. Sed quare octauũ menſem reliquit? magno ſane iudicio hoc fecit Hipp. profectus pueri correſpondet ſem per partus tempori, ita vt quo tempore ſit partus, eodem etiam fiat profectus, at partus octauo menſe non eſt vitalis, ergo neque profectus eo tempore fit. Sed cur puerulí extra vterum ſolidantur? Plato in Timeo exiſtimauit ſoliditatem corporum tribuendam eſſe figuris elementorum, ſed repudiata eſt ab Ariſt. *lib. 4. meteor. cap. 4. & 5.* Capienda itaq; eſt vera reſolutio ex natura ſoliditatis, deſcripta ab Ariſtot. ſoliditas (dicit ille) acquiritur ex conſtitutione multi ſicci cũ pauco humido: ſiccitas conſumitur duntaxat beneficio caloris per ſe; per accidens verò frigoris; calor enim dum depopulatur exuperans humidum, facit vt plus ſicci relinquatur, quàm humidi: frigus per accidens facit ſoliditatem cogendo calorem natiuum qui depaſcitur deinde humidum. Iam verò videamus, vtrũ puer extra vterũ ita exiccetur vt ſoliditatẽ acquirat. Sæpe puer extra vterũ & a calore p ſe, & a frigore per accidens ſoliditatẽ acquirit, a calore quia quã to magis recedimus a principijs ortus, eo calor maior acriorq; fit, maior exiccatio, ſoliditaſque. Et hoc eſt quod dicit Gal. verba faciens de corporibus ſolidis, ſemper ſoliditatem ſequi ſiccitatem, fit etiam hoc per accidens a frigore, quia cum ſtatim atq; ex vtero proceſſit, aëre in multo frigidiorem ingreditur, hic condenſando corpus, calorem auget, qui dein depaſcitur humidum, quod cũ intelligerent Germani, (vt notat Tac.) curabant vt nudi ſemper eſſent ipſorum, pueri, vt frigore cõdenſaretur eorum corpus, & ſolidior duriorq; fieret. Itaq; videtis quam rationabiliter dicat Hippocr. puerulos ſeptimo, nono, & decimo menſe ſolidari.

Καὶ ἵσταται τῇ φωνῇ,

Si doctrinam Hippoc. guſtare diligenter volumus, operæpretium eſt ſciamus, ſemper Hippoc. cauſas latentes nobis proponere, deinde effectus latentes ſubiungere; idem facit hoc loco ſtatim atq; dixit, puerulos ſolidari, ſeptimo nono & decimo menſe ſubiungit effectus

fectus latenter subiungere; idem facit hoc loco statim atque dixit, puerulos solidari septimo, nono, & decimo mense; subiungit effectus, vocem ipsius firmari, robur in toto corpore sequi, consequenter manibus incipere valere. Sed quomodo hoc fit, & cur solum hos tres effectus commemorat, cum etiam multi alij sequantur? quia ad motũ edendum opus est firmitate musculorum. hi autem inseruiunt quam maxime motui: itaq; iure dicit ad soliditatem hæc omnia sequi. Sed cur duntaxat horum trium mentionem facit, & multos alios effectus relinquit? Vt sæpe dixi Hippocr. breuitatis studiosissimus, semper hoc solet facere, vt semper paucis verbis multa nos doceat. voluit docere nos septimo mense totum commutari. & dixit solum hæc tria, quia omnia opera corporis nostri fiunt a corde, cerebro, & calore natiuo: a corde firmato, efficitur vox; quia sub voce voluit nos docere statũ cordis: cerebrum valere, ex motu manuum intelligitur; & propterea dixit, valere manibus puerulum: robur autem toti corpori, cum accedat ex vbertate caloris natiui, iure fit vt nomine roboris velit nos docere commutationem status caloris natiui totius pueruli. Habetis ergo quomodo dixit soliditatem fieri septimo, nono, & decimo mense, quid sequatur huiusmodi soliditatem. Nunc tria diligenter inuestigabimus, vnum erit, cur factum sit vt animalia quadrupedia statim atque in lucẽ edita sunt incipiant ambulare, homo verò cum sit nobilissimus omnium animalium multo post: aliud est, cur Hippoc. inter effectus soliditatis potissimum refert opera manuum, & non pedum καὶ τῶν χειρῶν κρατέει inquit. postremum erit quis sit futurus huius dictionis vsus. Circa primum Arist. scribit, omnium *lib. 7. de Hist. anim. cap. 8.* animalium, diuersum esse situm in vtero, quadrupedia (inquit) extensa manent; ea quæ carent pedibus, vt pisces, obliqua; bipedia, vt homines, conflexa; adeò vt Hippoc. scribat *lib. de nat. pu. & genit.* pilam referre, cum ita cõflexus in vtero est fœtus humanus, vt caput interueniat inter genua. Hoc ergo situ naturali existente, iam apparet vera ratio cur homo non potest statim proprijs instrumentis vti, ambulareque, quia quadrupedes vbi exeunt ab vtero, habent membra solida, homo verò mollia & cerea. Sed habuit etiam natura alium finem in hac constitutione animalium. primum enim animalia bruta opus est vt statim atq; sunt in lucem proprium alimentum quærant: itaq; nisi natura hunc situm constitutionemq; ijs dedisset statim eorum species desijsset, homo verò, qui est maxima cura parentum, nõ opus habuit vt statim spontè & vltro alimentum quæreret. & idcirco maluit inflexum quàm extensum facere. Erat secundum dubium de manibus, cur Hipp. duntaxat mentionem fecit manum, non pedum; puto ego magno etiam indicio Hippoc. hoc nobis proposuisse, siquidem manus est instrumentum instrumentorum vt Arist. dicebat; & primum homo habet opus manib. quàm pedibus, ea propter iure fit vt natura aptet & accommodet manib. septimo, nono, & decimo mense. Verum longe alia doctrina hac sententia latet, quã tum ego quidem plane mihi persuasum habeo, Anaxagoras (vt audiuistis olim & legistis apud Laertium, & Arist.) solet dicere idcirco esse hominem prudentissimum omnium animalium quia manus habebat, verũtamen secus existimauit Arist. qui confutato Anaxagora dixit: non esse hominem prudentem, quia manus habet, sed manus habere, quia est prudentissimus omninm animalium. *lib. 4. de partibus ani. c. 10.* Et tantum potuit hæc opinio apud omnes, & etiam Galenum, vt dici vix possit. Sed ego aliter sentio. ratio est, vt credam illos fefellisse, quia si manus essent datæ propter rationem, æquum esset, vt quo tempore incipit vti ratione, etiam manibus vti inciperet: sed his prius vtitur, ergo nequaquam existimandum est *sec. 30 prob. 4* factas esse mentis causa. præterea Arist. comparans mentem & manum dicit, vtrunq; esse instrumentum naturæ: sed differre, quia serò mens accedit, manuũ operatio, cito. Quis itaq; nõ videt minime potuisse in hunc vsum factas esse manus, vt duntaxat inseruirent menti. Quare puto ego non hunc esse earum præcipuum vsum. Solet natura abuti etiã partibus, præter præcipuum vsum: vt fecit nares ad odoratum, & expurgandum ab excrementis cerebrum. Sed quis est ergo vsus manuum præcipuus? Gregor. Nyssen. siue Nemes (quia vnus & idem mea sententia est auctor) incredibilem quendam vsum manuum *lib. de opif. hominis.* excogitauit, nam voluit principaliter ad hoc esse constituras, vt possent cibum inferre ori, *lib. de nat. hominis.* nam homo cum futurus esset animal ciuile, opus habebat sermone; ad hoc autem vt hic

fiat

fiat, opus fuit os fabricare cum labris dentibus & lingua vt articulati posset vox; bruta quæ minimè sermone egebant aliter ora habent: & propterea apta hæc sunt ad capiendū sine vllo alio adiumento cibum; os hominis autem est ineptum & propterea opus erat illi alio instrumento; & huiusmodi fuit manus, quia cum manuum proprium est munus apprehensio, apprehendens cibum ori supplet. Quomodo ergo nunc mentionem facit manuum inquit Hippoc. septimo, nono, decimo mense manib. valere? quia tum incipit puer egere cibo, & propterea natura incipit eo tempore dentes emittere, quia incipit egere cibo non solum lacte, sed lacte & cibo. Vultis videre hanc rem ita esse, videte natutæ propensionem, pueri statim atq; sunt nati, manus ori admouent. Igitur magno iuditio voluit Hipp. duntaxat annotare manuum operarionum non pedum, quia hatum operatione prius egebat. Sed ad quid Hippoc. hanc rem in aduersarijs suis annotauit? vt doceret homines, non esse soluendos e fascijs pueros, & in libertate collocandos, quam ante septimū, nonū, & decimū mensem. quia si corpora non prius solidantur, iure cōplectenda sunt fascijs, & hinc est quod dicebat Hipp. nonnullos habere contorta crura quia prius solutierant.

lib. de aer aq. & loc.

Τῆς φωνῆς λυομένης πάντα λύεται, ἡ γὰρ λύσις τῇ φθέγξει ὁμοίη: λύεται δὲ ἐν γονίμῃ.

Voce soluta omnia soluuntur, nam solutio locutioni similis. soluitur autem in die legittima.

Proposita dictio sicuti grauis est, ita quoq; non exiguam dubitationem habet, quia pleriq; coniungunt totam hanc dictionem cum prioribus; quæ quoniam satis incongtua est, minimè mirandum est. Si etiam obscuritatem habet; spero tamen futurum esse vt clarissima euadat, si (quemadmodum audietis) coniugatur. Dixerat enim Hippoc. antea, conuulsiones finiri in epilepsia vbi vox soluitur. post hæc verba siue fuerit Hippoc. siue alius interposita sunt quæ audiuistis de puerpera & puerulo, nunc autem subiungit Hippoc. voce soluta omnia solui. Sed quid vult Hippoc., hoc velut ænigmate nos docere? rem sane non contemnendam, & quæ non solum efformat medici iudicium, verum etiam mirum in modum valet ad curationem instituendam. Vult igitur nos docere Hippoc. quod quotiescunque vox soluitur in conuulsionibus, omnia mala soluuntur, eo quia vox est similis sermoni, quasi dicat, quia vbi epileptici loquuntur, signum est solutum esse morbū pari pacto vbi vocem recuperant, signum est morbum esse solutum. Sed quæ est causa, propter quam voce soluta omnia sunt soluta? Gal. scribit consuetudinem esse Hippocr. vt quotiescunq; φωνὴν commemorat, simul & semel intelligere omnes cerebri læsiones, & quia vbi læditur vox semper prius læditur vniuersus cerebri status, ita quoties recuperatur vox, signum est statum cerebri vniuersum esse solutum, mentemq; vocis ducem esse liberam. Igitur voce soluta omnia soluuntut, sed cur dicit hanc solurionem fieri ἐν γονίμῳ hoc est die impari? puto esse insertam hanc dictionem. sed si malimus eam setuate, possumus dicere veram solutionem morbi (etiamsi sit morbus acutus) fieri tamen die impari.

lib. 5. Aph. 5. & lib. 6. Aph 11.

Ἢν αἱ φλέβες σφύζωσιν ἐν τῇσι χερσὶ, καὶ τὸ πρόσωπον ἐρρωμένον, καὶ ὑποχόνδρια μὴ λαπαρὰ ἢ χρονίη ἡ νοῦσος γίνεται, ἄνευ σπασμοῦ οὐ λύεται, ἢ αἵματος πολλοῦ ἐκ τῶν ῥινῶν, ἢ ὀδύνης ἐς τὰ ἰσχία.

Si venæ pulsent in manibus, & facies bene habita, ac hypochondria non sint mollia, diuturnus morbus fit, sine conuulsione non soluitur, aut sanguine multo ex naribus, dolor coxæ.

Altera hæc dictio est purus Aphorismus, nullam penè connexionem habet cum superioribus. est tamen sententia memoria æterna digna & tota (vt breuiter) dicam ad partem prognosticam pertinet, imò verò hæc eadem sententia habetur bis in libro coacarū prædicta-

dictionum repetita; interest tamen inter illam & hanc quia in coacis prædictionib. alicubi sunt verba, quæ in hac non sunt, alicubi desunt, & mutata pars. Sed idem est vtrobiq; sensus. Vtcunq; sit explicanda est mens Hippoc. sententia hæc duas partes scitu dignas habet; prior est si venæ pulsent in manibus & facies colorata sit, & hypochondria non sint mollia, morbus, longus erit, altera pars est, huiusmodi morbos solui non posse nisi multo sanguinis e naribus fluxu, vel conuulsioni, vel dolore coxæ. Examinemus autem priorem partem. dixi alias vobis, Hippoc. nomine pulsationis venarum non intellexisse quemlibet motum arteriarum, sed duntaxat aspectabilem vel contrectabilem, vt ita dicam, hoc est qui cerni tangiuè potest ita autem appellat Hippocrates σφυγμὸν, siue pulsum. præterea Hippocrates voce manus intelligit totum brachium & præsertim carpum, nam (vt docet Galenus) solemus hunc tangere propter facilitatem & certitudinem. Cum ergo dicit, si venæ in manibus vehementer pulsent; hoc est, si febris adsit, quia motus ille arteriarum oritura magnitudine incendij. vbi ergo motus est vehemens est magnus æstus, & febris. Et quod hoc ita sit possumus colligere ex Hippocrate in coacis prædictionibus vbi dicit: in febricitantibus si venæ pulsent. Iam verò facies bene collocata est illa de qua primo Prognosticorum verba facit, in morbis (inquit) si facies sit similis sano, bonũ est. cui facies contraria est illa, quæ cadauerosa appellatur. Porro non mollia hypochondria sunt illa quæ tensa sunt & dura. ita vt non cedant tactui. Sed vt plene intelligatur mysterium quod complectitur his verbis, tria videre oportet, vnum est, quomodo Hippocrates sub nomine vehementis motus arteriarum intelligat febrem. secundum est, cur duntaxat trium mentionem facit, scilicet motus venarum, faciei, & hypochondriorum, & nulla alia commemorat. tert um quo pacto hæc tria significent morbum longum futurum. Quod ad primum attinet, videtur nõ ignobilis difficultas, siquidem (vt sæpe dixit Galenus, Hippocrates ignorauit pulsum, aut saltem contempsit. Galenus sexto Epidem. com. 1. tex. 29 inquit essentiam febris non esse positam in motu arteriarum, sed essentia caloris: quomodo ergo potuit docere sub motu arteriarum. Respondere oportet Hipp. diuinissimi genij virũ, non solum propriũ ingenium respexisse, sed sępenumero etiam conspectũ & ingeniũ aliorũ hominum. cum enim esset eruditurus gentem, & sæpe ignaram, voluit accõmodare sese captui illorum vt hoc loco fecit. Itaq; eum voluit febrem docere quã solus intellectus iudicat, voluit indicare potius motu arteriarum quàm caloris. Neque valet quod scribit Galen. febris essentiam esse calorem: quia huiusmodi calor significatur nobis per motum arteriarum: quare ad febrem cognoscendam iure existimatum est, vsque ad tempora nostra mirum in modum valere pulsus cognitionem. Ad secundum Problema respondendum est, magno iudicio & prudentia hęc tria solum proposuisse, quia consuetudo eius fuit docere multa & præclara paucissimis verbis: voluit ergo his tribus docere statum vniuersum nostri corporis. Nam quemadmodum compertissimum est apud omnes, Corpus humanum gubernatur animali facultate quæ est in cerebro, vitali quę est in iecinore: his innquit tribus. cum ergo proponit faciem, vult significare statum facultatis animalis, quia tota vis animi comprehenditur ex facie, vt Arist. 36. part. Probl. 1. propterea esse faciem hominis diceret, quia ex hac cognoscitur quales simus. Ex pulsu cognoscitur status facultatis vitalis cordis: & nihil est ex quo nobis magis appareat vniuersus status cordis, quàm motus arteriarum. Status iecinoris cognoscitur ex hypochondrijs, quia vbi iecur bene valet, sanguis optimus fit, hypochondria bene nutriuntur, non fiunt excrementa. Videtis ergo quomodo Hippocrates ex his tribus propositis signis doceat nos vniuersum corporis statum, hoc est earum facultatum statum quibus diu noctuq; corpus nostrum gubernatur. Ad tertium repetendum est memoria, quod scribit Galen. nempe totam vim prędicendi in morbis sitam esse, in collatione harum trium facultatum & morbi; nam si morbus has superet, metuenda imò expectanda est facultates vincant, aut multum, aut parũ vincunt; si multum, proxima semper est salus: si parum, diu durat pugna, & necessarium est prorogari morbum. Iam verò si diligenter introspiciamus, quæ dicit Hippocrates *lib. 1. Progn.*

videbimus verum esse,quod vbi facies est collorata, venæq; pulsant & hypochondria nō sint mollia,futurum esse morbum longum,quia signum est facultates quidem vincere,sed nōn multum,quia sola animalis facultas videtur esse robusta ceteræ, languent. Atq; hoc est quod voluit nos docere illo oraculo quod habet secundo Aphoris.28. vbi scribit. In leniter febricitantib. si facies diu perduret integra, morbum esse longum:tanti enim sem per putauit faciem Hippoc.vt si mala sit, pessimum signum sit:si bona,optimum. Est altera pars huius sententiæ Hipp. huiusmodi morbum longum nequaquam finiri,nisi vel sanguinis copioso e naribus fluxu, vel conuulsio superueniat, vel coxæ dolor subsequatur.

6 epid. sec. 4. Quę vt exacte intelligatis,scire oportet illud quod scripsit Hipp.vbi scribit:morbos quos libet tribus modis debere finiri,vel per crisim,hoc est confertam & citam euacuationem, vel per coctionem,vel per abscessus,hoc est depositionem materiæ ex vno loco in alium. Quod autem longi finiantur coctione,rarissimum est,quia materia semper cruda crassa & copiosa est, quæ vt concoquatur est non solum per arduum, verum etiam impossibile. Igitur iure Hippocrates hoc loco dimittit coctionem, quasi coctione, morbi longi finiri nequeant. Superest ergo vt finiantur vel crisi,hoc est euacuatione,vel abscessu: Crisi finiuntur sanguine copiose e naribus effuso:nam inter omnes crises quibus fœlicissime vtitur natura est sanguinis e naribus profusio larga. Igitur morbi longi finiuntur sanguinis e naribus profusione:quia vbi intenta & dura sunt hypochondria,indicium est sanguinē circa cor esse cumulatum & conuerti ad partes superiores,vt indicat facies colorata. Sed quid dicemus de dolore coxæ?connumeraudus est inter abscessus; quia vbi natura cōuertit sanguinem in caput,si cum potest euacuare,per profusionē facit; si non, solet conuerti ad aures & facere parotidas;vel solet conuerti ad articulos, & facere dolorem atticulorū præcipuè verò in articulum coxæ, propter iugem eius motum,quo quam maxime potest attrahit,aut saltem recipit a capite. Igitur morbi longi finiuntur per abscessus,& sanguinis profusionem. Sed quomodo dicit finiri,cum ex eo fiat morbus peior? Dixi alias abuti Hippoc. aliquando hac voce λύεται soluitur, pro transmutatur, vt hoc loco. Cur autem conuulsio solet finiri morbos longos? est vehemens concitatio corporis qua materia quę prius defixa alicubi decumbat,depellitur,atq; ita morbi soluuntur.

Τοῦ λαιμοῦ ὕδωρ θερμὸν κατὰ τῆς κεφαλῆς καταχεῖν, ἢν μὴ ψῦχος ᾖ. ἢν δὲ μὴ, ἄλητον ὡς θερμότατον διδόναι, καὶ οἶνον ἄκρητον.

In gutturis affectu calida aqua supra caput affundenda nisi frigus sit. sin autem non, farinam quàm calidissimam dare oportet, atq; vinum merum.

Proposita pars purè practica est,& ex illis quæ ab Hippoc. non solum ratione, verum vsu & ratione fuerunt comprobata, qua propter operæpretium est diligenter attendatis. Habet hæc dictio duas partes,prior est; In gutturis affectibus aquā esse affundendam capiti, nisi frigus sit. altera pars est;si perfundi non potest aqua, præbendam esse farinam quam calidissimam & vinum merum. Videamus modo quod mysterium hic lateat, & spero vos percepturos vtilissima ab Hippoc.hoc libro esse tradita ad artem medicam exercendam,& in primis hoc loco. Hæc dictio λαιμοῦ quam vsurpauit Hippoc. & quam interpretor gutturis, quemadmodum habemus a Gal. & Polluce significat eam viam qua cibi perducitur ab ore in stomachū,quā Homerus λευκανίαν & στόμαχον appellauit quas etiā ille dixit vulnerari & afferre citissimā mortē quod viam cibo eripiat,plęriq;medici œsophagū eā partē,qua in deuorādis cibis voluptas sentitur: gutur latini nūcuparunt. Sed hac de parte scribit Gal.res dulces gustari a lingua, voluptatē autē rerū dulcium fieri in hac parte,quia

lib. 3. de rat. vict. in morb. acut. tex. 11. hæc pars familiaritatē habet cū reb. dulcib. Optarē sane ab Anatomicis intelligere hanc familiaritatem, nisi tamen dicamus,tunicam quę ambit hanc partem esse communem, atque eandem cum tunica stomachi, & quemadmodum stomachus habet familiaritatē cū rebus dulcibus, ita & habere gulam, stomachum autem habere hanc familiaritatem, Gal. scri-

scriptum reliquit sexto Epidem. dicens: corpora quæ non delectanrur rebus dulcibus esse intemperata, quasi vero sapor dulcis sit maximè familiaris omnibus. de hac ergo parte mẽtionem facit, quæ est veluti via in stomachum ab ore. Sed quo spiritu ductus Hippoc. laborante gutture apposuit medicamentum capiti; Gal. scribit quidem affecta gula adhiberi remedia spinæ dorsi, propterea quod perreptat hæc pars subtus dorsum, sed non scribit applicandum esse remedium capiti quemadmodum facit hic Hipp. Illud compertissimũ est omnes partes nostri corporis laborare aut per ἰδιοπάθειαν aut per συμπάθειαν vbi pars aliqua laborat per ἰδιοπάθειαν, semper sunt adhibenda remedia ipsi parri; vbi vero laborat per συμπάθειαν, adhibenda sunt ipsi parti communicanti affectum, & hoc est quod dixit Hipp. veniendum esse ad occasionem & occasionis initium, hoc est quando pars aliqua laborat per cõsensum, occurrendum est illi parti a qua consensus pendet. Iam verò loquitur Hippoc. de affectu communicato a capite, ergo iure secundum has regulas adhibet remedia capiti. Sed cur Hippoc. nihil nobis significauit de affectu de quo loquitur? quia nullus nõ potest illum colligere ex remedijs, & notate hoc tanquam perpetuum dogma, quod vbi veteres nõ explicãt affectus, eos indicari ex remedijs, quia quale est remediũ talis est natura affectus, cũ remediũ ab affectu hauritur, remediũ est aqua calida, hæc humectat refrigerat. Neq; valet qđ sit calida actu, quia id iuuat penetrationi. itaq; affectus debet esse calidus & siccus. Sed cur est quod Hipp. dicat ꝓbendã esse aquã calidã nisi sit frigus? vt scilicet intelligatis magnoperè referre in adhibẽdis remedijs capiti, ne caput lædatur ab aere, quia aqua calida rarefacit caput, si superuenit frigus, lędit. Et notate male illos facere, qui vbi lauarunt caput, statim se aeri exponunt, ex quo sæpe magna detrimeta oriũtur. Secunda pars est, si adhiberi nõ potest aqua calida, exhibendã esse farinã calidã vnà cũ vino mero. Hipp. statuit hoc perpetuũ in morbis, demendam esse semper occasionẽ & occasionis initiũ, vbi hoc non potest fieri proculdubio succurrendum est parti affectæ, quia affectus per consensum, solet nonnunquam fieri proprius ipsi parti. Videamus quo artificio vsus est huiusmodi remedio? a capite calefacto fit eliquatio pituitæ, pituita eliquata calida & mordax fit, quę descendens in guttur, illud exasperat & inducit intemperiem vnà cum materia. Indicatio a natura affectus postulat, vt acrimonia materiæ obtundatur, materiaq; ipsa consumatur, & quia hæc via lubrica est, neq; possunt illi facile adhiberi remedia, postulat situs & natura partis vt remedia sint crassa viscida & lenta. Hoc artificio ergo vsus Hippoc. iure merito proposuit remedia ex farina calida, vinoq; quanquam his mistis fit pasta: ratione farinæ obtũnditur acrimonia materiæ; ratione vini desiccatur & consequenter adstringitur & corroboratur, porrò vult calidissimam farinam, indicatione sumpta a parte affecta & affectu, quia frigida omnia sunt inimica, cum neruosa sunt exulcerata, tum quia calida magis discutiunt etiam calidas fluxiones. Ita Hippoc. libro de vulneribus capitis, in omnib. vulneribus commendauit vinum, & Gal. lib. 5. meth. cap. 13. vtitur non solum in muliere Romana laboranti destillatione calida calidis. Sed etiam ardentibus causticis dictis, scilicet ad cõsumendam illam materiam, quemadmodum Hipp. hoc loco vtitur, imò verò ad consumendam materiam delabentem a capite corroborandam Sed cur Hippoc. potius elegit hoc vile medicamentum, cum tam multa generosa reperiãtur, quæ idem præstare possunt? duo docet Hippoc. vnum est, vt semper in adhibendis remedijs debeamus familiaribus vti, & propterea Plin. damnat nonnullos qui popularis auræ conciliandæ gratia vtebantur peregrinis, quod autem sit familiare hoc remedium, facilè ex antiquorum libris vnicuiq; licet videre apud veteres erat familiarissimus cyceonis vsus. de quo agens Hipp. dicit, aliud fieri ex farina cum vino, aliud ex farina cum aqua, aliud ex farina cum melle. ex aqua refrigerat & humectat: ex vino calefacit nutrit & adstringit. ex melle non æque adstringit, nutrit, magis verò aluum subducit. Cum ergo calefactione, adstrictione, & exiccatione egeret, vsus est ex vino Hippoc.

lib. 13. meth. cap. 17.

lib. 29. cap. 1.

Ταραχῆς γαστρὸς, κυάμους ἑφθοὺς διδόναι, ἢν μὴ τὰ ἄνω κατάχολα ᾖ. ἢ κύμινον διδόναι τρώγειν, μετὰ τῶν κυάμων. λίτρον αἰγύπτιον, καὶ κορίανον καὶ κύμινον τριβόντα σὺν ἀλείφατι συναλείφειν.

In perturbatione ventris fabas coctas dare oportet, nisi superiora sint pure biliosa, vel ciminum dare oportet, ad cõmedendum cum fabis; nitrum Aegyptium, & coriandrum, & ciminum torontem cum adipe simul inungere conuenit

Sæpe dixi vobis Hippoc. libros fuisse velut aduersaria quædam in quibus confusè scribebat quæ quotidiè suo admirabili iudicio obseruabat; & propterea non inuenietis ordinem: & aliquando interposita, vt hoc loco, quæ sunt in alio loco reponenda. dicam vobis prius ordinem qui esse debet. Hipp. hoc loco tria remedia proponit aduersus alui profluuium, primum est faba cocta, secundum cum cimino; tertium, nitrum cum coriandro & adipe. Examinemus sigillatim vnum quodq; Primum scire debetis, hanc vocem ταραχὴ & ταράχιδαι apud Hippoc. semper significare vehementes alui fluxiones factas ab humoribus biliosis. & præ cæteris videatis Hippoc. vbi dicit. In perturbationibus ventris, & vomitibus spontinis si talia purgentur qualia purgari oportet confert, & leniter ferunt &c. hic significat eas insignes alui motiones, quæ fiunt ab humoribus biliosis. sunt autem his contrariæ illæ, quas appallauit in primæ sectionis huius libri crudos secessus, in quib. laudat milium coctum, vt hoc loco fabam coctam. Alui autem motiones insignes postulant vt acrimonia omnis obtundatur, humores adhærentes intestinis eluantur. Ad hoc autem faciendum faba cocta mirum quàm viuat, quia crassa est, obtundit acrimoniam, & quia abstergit, humores affixos insigniter deterget. Sic etiam nos solemus prius detergere intestina in huiusmodi fluxibus, cum clysteri detergenti ex ptisanæ iure cum saccaro, & similibus instar fabæ. Sed cur Hipp. ciminum laudat? scire oportet laudare cum ciminum cum faba, cum superiora sunt κατάχολα hoc est in superioribus partibus retinetur bilis. si autem delabitur hæc ad intestina, sola faba confert. Sed cur in humoribus calidis retentis in stomacho addit fabæ cuminum? propter duas causas hoc facit, primum quia ad elidendam materiam stomacho infixam non sufficit faba, nisi aliquid vnà misceatur. Ita Gal. componens hierã addit aromata, quia conferunt ad eluendos illos humores, qui hærent tenaciter ventriculo. Quare sola aloes non confert, sed opus est hiera propter aromata. Pari pacto Hippoc. hic vtitur cimino cum faba, sed est quoq; alia huius rei ratio, quia in perturbationibus alui semper flatus exuberant, ita vt hi non minus torqueant, quam fluxus. eapropter ad consumendos hos, addit ciminum. Gal. inquit hanc esse differentiam inter hordeum & fabam, quod hordeum bene coctum caret flatu, faba quantumcunq; bene cocta sit, semper habet flatum. Et ideò addit ciminum quod (vt dicebat Dioscor.) valde flatus discutit. Est tertium remedium, nitrum coriandrum & adeps [illegible] vt inquit Hippoc. Et notate quod hæc verba alia sequuntur, sed mea sententia hic quæ dixi sunt adnectenda. Videamus ergo qua ratione nitrum coriandrum & adipem commẽdat, & vtrum huiusmodi remedium sit ore sumendum, an potius exterius applicandum. Quod ad postremum pertinet sum eius sententiæ, posse nitrum per clysteres exhiberi, & per suppositoria, & per inunctiones. Sed quæ est ratio propter quam laudat huiusmodi remedium siue intus exhibeatur, siue extra? Dioscord. Plin. docent nitrum magnam vim habere ad exiccandos succos, & commixtum cum coriandro & cimino dicunt maxime valere aduersus tormina ventris. Adeo vt iurarem eos hæc ex hoc Hippoc. loco habere, qui sicut laudat in perturbationibus ventris, ita illi in torminibus: quæ sunt fere eadem; est tamen acre, & ita vt sit sale ipso acrius. hoc Plinius demonstrat in salinis, inquiens: oriuntur plantæ, in mari animalia; in nitrarijs neq; planta, neq; animal viuit. imò calceamenta operariorum deterit, atq; hi nunquam lippitudine laborant. Cum ergo nitrum habet vim adeo acrem, cur cõmendat in fluxibus Hippocrates? quia vt vis hæc prohibet ne fluxiones in oculis fiant, ita etiam administratum intus, consumit humores omnes superuacaneos.

lib. 1. Aph. 2.

l. 4. et 5. meth.

lib. 1. de alim. fac. c. de faba.

lib 5 cap. 8.

lib. 3. cap. 10.

cancos. Vt neq; valet quod nocet plus acris vis quàm exiccatoria, quia adeps habet vim obtundendi omnem intra acrimonjam. Atq; ex his potestis facile videre, quam vti ita vos doceat Hippoc. ad medicinam faciendam.

ἀπόληψις δὲ τοῦ νοσήματος οὐκ ἂν γένοιτο, εἰ μὴ ἐν γονίμῃ ἡμέρῃ. οὐδ᾽ ἂν ἀρχὴ γένοιτο, εἰ μὴ ἐν γονίμῃ ἡμέρῃ καὶ μηνὶ ἔτει τε γονίμῳ.

Interceptio autem morbi non fit nisi in legittima die, neq; principium fit nisi in illegittima, & mense & anno legittimo.

Præsens propofita dictio si vlla arte est contexta, ea tanta obscuritate inuoluta, vt opus sit Delio interprete, conabor tamen pro animi mei viribus explicare. Habet autem illa tres sententias, duas de morbo, alteram de morte, & quia morbus habet principium & finem, propterea & de fine, & de principio loquitur: mors vero quia vna est, ea propter vno fere capite, seu paucissimis verbis complectitur inquit: quod spectat ad finem, interpretationem morbi non fieri nisi die legittima, sed quid significat ἀπόληψις τοῦ νοσήματος, omnis morbus duobus summatim modis finiri solet; vel finitur statim, vel paulatim: vbi finitur paulatim, ita insensibiliter definit, vt vix possit dies vltimus percipi: vbi autem finitur statim crisi, vel alio aliquo modo, tũc pcisè scitur dies: & hoc significat ἀπόληψις videtur enim intercipi morb. quando statim definit, huiusmodi autem interceptio non fit nisi die legitima, nam hæc vox γόνιμος apud Hippoc. significat fœcunditatem legittimam conditionem, & imparitatem, quasi dicat die fœcunda, legittima impari finiri semper morbũ, quãdo intercipitur. Sed quæ est huius rei ratio, cur finiuntur semper morbi die impari? Astrologi suas habuere rationes: philosophi, alias: Sed vix huiusmodi quæstio enodari potest, propterea, quia locus hic non postulat, & alias docuimus, nihil super hac re dicimus. Illud satis est nunc scire Hippoc. admirabili suo iudicio hoc obseruasse, qui fuit, auctor huius rei semper intercipi morbum die impari. Sed quid est principium hoc in loco? principium etiam morborum duplex est apud Medicos; aliud est quod appellatur primus morbi insultus, vt a Gal. aliud quod terminatur tribus primis diebus, de quo Arist. scribit fuisse legem apud Ægyptios ne Medici quidquam facerent intra hoc tempus. loquitur autem Hippoc. de principio primo modo accepto, pro primo insultu, qui semper est die illegittima & impari, quia vt perhibet Gal. nunquam fit iudicium prima die, quia crisis habet antecedentia & consequentia, primus insultus non habet antecedentia, propterea non potest fieri eo tempore iudicium. Sed dixit fieri anno & mensibus legittimis hoc est quando inchoant, inchoant mense & anno impari. Sed hoc videtur esse contra ipsius dogma, qui scribit tertio Aphoris. quolibet tempore, & quolibet anno, morbos quoslibet fieri. Vt hoc intelligatur, illud scire oportet, nominè morbi Hipp. non intelligere quemlibet morbum, sed illos qui fiunt aliqua determinata ætate, sicut scribit eodem libro tertio Aphor. dentitionem fieri septimo mense, epilepsiam septimo anno, & decimoquarto. imo fit etiam septimo die, atque hinc est quod Aristoteles dicebat, veteres consueuisse nomina imponere pueris octaua die, quia septima solent necari conuulsione. Igitur dicit morbos semper finiri necessario mense & anno impari: quia temperamenta nostrorum corporum permutantur necessario, hæc permutatio fit semper vel septenario vel nouen. aut numero composito ex septenario, ita vt hæc permutatio fiat necessario septimo mense, annoq; decimoquarto, vigesimo primo, & cæteris. Cum autem in mutationibus temperamentorum perturbentur humores, fit vt in hac mutatione, temperamentorum, & perturbatione humorum, fiant morbi.

lib. de morb. temp.

l.3 polit.c.1.

lib. de diebus decret.

lib.7. de Hist. anim. c. vlti.

Gre.

Ὅσα θνήσκει ἀνάγκη γονίμῳ ἡμέρῃ, καὶ γονίμῳ μηνὶ, καὶ γονίμῳ ἔτει.

Quicunq; intereunt necesse est pereant legittima die, mense, & anno.

Admiratione dignum est, quomodo Hippoc. (cuius iudicium omnium iudicia semper antecessit) vsq; adeo perseueranter in re obscurissima diceret, necesse est mori omnes die, mense, anno legittimis seu imparibus. Hæc difficultas & obscuritas maxima est apud auctores, & tanta fuit, vt quanto magis fuerint in explicando hoc nodo, eò videantur fuisse obscuriores. Sed videamus qua ratione inductus est Hippoc. hæc scribere. Qui tractarunt annos climactericos, vt Aulius Gelius, Macrobius, D. August. Tertull. Ambr. nullas rationes attulerunt, imò plæriq; videntur irrisisse, & inter alios fuit Tertull. verum veteres hac Hippoc. auctoritate, ipsaq; deinde obseruatione ducti, plurimum his semper tribuendum esse putarunt. Atq; vt hoc intelligere possitis, debemus primum subistraere, quinam sint hi anni climacterici, & cur his plurimi intereunt. Caldei climactericos annos pericula vitę fortunarumq; hominum appellabant: sunt autem hi septimus, decimusquartus, vigesimusprimus, omnes deniq; qui componuntur ex septennario numero: dicuntur autem scalares, quia tanquam per scalas ad finem vitę hominem perducunt: alij sunt minores qui ex septenario constaut: alij maiores, qui ex septenario & nouenario, vt 63. & 54. 81. 49. 54. 70. & ternario nouies enim septem & septies nouem sexaginta tres efficiunt, vt 3 replicatus numerus 21. & Hippoc, inquit hunc numerum ternarium omnium esse χυρωτατον Arist. quoq; dicere solebat: numerum ternarium esse magna virtute præditum, non secus atq; Gal. maximū illi tribuit, Sed quænam est ratio quod morbi fiunt diebus imparibus. Hippoc. afferens rationem propter quam mors necessario fit die iudiciali in morbis, inquit hanc esse, quia tunc fiunt mortes, quando fiunt vehementes motiones perturbationesq; in nostris corporibus: in die impari fit semper insignis perturbatio, ergo iure die impari sequitur mors. Ita quoq; dicere possumus, propterea fieri morbos diebus imparibus, mensibus, & annis, propter perturbationes quæ eo tempore fiunt. Sed cur hoc tempore fiunt corporum mutationes & humorum perturbationes? quia etsi quotidie corpora nostra mutentur, nihilominus mutationes non apparent nisi quolibet septinario mense, vel anno; nam terminus postremus alterationis ille est qui dicitur facere mutationem, vnde quia quolibet septenario apparet terminus mutationis, eà de causa fuit climactericus appellatus. scio has rationes esse vero similes, sed Hippoc. hoc tanquam verum obseruauit. summi ingenij iudicijq; vir Verum quid dicemus ad Plin. qui inquit nullum animal mori nisi recedente maris æstu, & hoc ait obseruatum esse ex sententia Arist. Itaq; non videtur verum esse vt necessario intereant mense, & anno climacterico. Dicendum est secutum esse homines qui hoc obseruarunt: sed tanta est obscuritas, vt solis obseruationibus fidem adhibere debeamus. Et Seneca sic loquitur: in hoc studio multa delectant, pauca manent. licet nescias quę ratio Oceanum effundat ac reuocet. quare septimus quisque annus vitæ signum imprimat.

lib. de Cælo
lib. de dieb. ac cut. & de crisibus.
lib. 4. de morb.
lib. 2. cap. 49

Προλέγειν δὲ ὀρθῶς ἂν ἔχοι θάνατον ἢ ὀδύνας ἰσχυράς.

Prædicere autem bene habetur mortem vel dolores fortes.

Quæ verba duplicem sensum habere possunt, vnus est, ex hac contemplatione annorū climactericorum facile esse Medico prædicere mortes, & dolores, quia si necessario mortes fiunt mense & anno legittimis, facile est vbi aliquis laborat in mense & anno climacterico prædicere mortes, & dolores magnos, quia constitutum est in annis climactericis fieri magnas mutationes, ad quas sequuntur magni dolores & mortes. Sed cur Hippoc. dicit bonum esse prędicere mortem, & non vitam, cur dolores magnos, non paruos? Hippoc.

pocrates lib. de morb. inter. scribit morem fuisse etiam sua tempestate, vt vulgus mortem semper imputaret Medico, salutem Deo. Igitur ad Madicos pertinet prædicere mortem quæ ad ipsos attinet, non salutem quæ ad Deos. nam hoc primo Prognost. quoq; dicebat Hippocrates. ὑγιέας μὲν γὰρ ποιέειν ἅπαντας τοὺς ἀσθενέοντας ἀδύνατον. Quare bonũ est prædicere mortem, vt Medicus se liberet ab infamia. Dicit etiam summo iudicio dolores magnos, quia non licet prædicere dolores paruos, quia cum hi sunt paruæ mutationes, non fiunt mense & anno legittimis. non etiam est vtile, quoniam dolores parui ab omnibus ægris semper despiciuntur: non curant ægri, vt sibi dolores parui prædicentur.

ὧν τὰ ὄμματα μὴ ἔρρωται, ὁ θάνατος ἐν τάχει· ἢν δὲ ἐν γονίμῳ ἔτει γίνηται, ἀπ' ἀμφοτέρων γονίμους ἀναγκη γενέσθαι. ἢν δὲ ἀγόνῳ ἔτει καὶ ἀγόνῳ ἡμέρῃ θνήσκειν ἀνάγκη γονίμῳ ἡμέρῃ.

Quorum oculi non valent, mors in proximo. Sin autem in legittimo anno fiat ab vtrisq; legittimos necesse fieri. Sin autem in legittimo anno, & illegittima die, necesse mors die legittima.

Subiungit Hipp. duo maxima annotatione digna, & est, oculos. si male valeant indicare citissimam mortem, & præsertim si hoc fiat mense & anno legittimo. Sed cur Hipp. hoc exemplum affert nobis duntaxat oculorum? Idem inquit ita valete totum corpus, vt valent oculi, quasi dicat nullam esse partem totius corporis humani, quæ æque possit indicare statum totius corporis, quia ad oculos semper fertur incredibilis copia spirituum qui sunt veluti duces & testes omnium facultatum nostri corporis. Et hæc est ratio propter quam Hippoc. tot signa ex ipsis oculis nobis reliquit. Sed vt hæc res breuiter intelligatur, scire debetis hoc signum non esse verum perpetuò: nam videbitis plærunq; oculos male valere, ægros tamen seruari. Sed putandum est loqui eum de morbis exitialibus, in quibus oculos male valere signum est mortis proximæ: nam Arist. quærens rationem cur morientes & coeuntes attollunt oculos dormientes autem dimittunt, inquit hoc esse, quia mors per expirationẽ caloris. Vbi autẽ calor expirat suo impetu, & suapte natura sursũ fertur, secumq; oculos vbi habitat in altum ducit. Et hinc semper attolluntur in morientib. oculi, in somno vero cum calor ad centrum corporis vergit, ille velut descendens secumq; palpebras ducens facit vt oculi demittãtur, & claudantur. Igitur vult dicere Hipp. quod vbi oculi male habent, ita vt attollũtur, hoc est vt eius cõstitutio peruertatur signũ esse mortis proximæ, quia indicat calorem exire ex corpore vitæ auctorem, & moriturum ægrum. Cæterum est aliud quod videtur esse contra hanc sententiam, quia Plin. comparans cor & oculos inquit hanc esse differentiam, quia oculi primo intereunt, & postremo perficiuntur, ptimum autem perficitur cor & postremo interit; quod afficitur. primo sunt oculi, quare non videtur læsio oculorum ita esse proxima morti. Respondendũ est verum esse quod oculi postremo omnium perficiuntur, vt Arist. scribit, sed quod hi primo omnium intereunt, hoc ille non dixit. Sed statuamus hoc etiam verum esse, tamen dicendum est mortem oculorũ aliam esse secundum operationem, aliam secundum substantiam habitumq; in morbis exitiosis, intereunt primo oculi secundum operationem, & non secundum habitum, & hinc est quod Hippocr. in facie illa cadauerosa & proxima morti ponit oculos, secundum habitum & constitutionem penè mortuos. Possumus etiã alio modo respondere Plin. eo loco locutum esse comparatiuè ad cor, quasi dicat oculos prius quam cor perire quoad operationem, ita vt postremò omnium cordis operatio desinat. nam hoc compertissimum est statim atq; cor desinit moueri, hominem mori. imò sunt etiam nonnulla animalia quæ exerto corde viuunt, vt sunt testudines. Ergo verissimum est quod oculi male valentes in morbis exitialissimis quando intereunt secundum vsum, & secundum substantiam, & maxime quando hoc fit die & mense legittimo impariq; e, signa sunt mortis propinque.

4 sec. Prob. 1

Lib. 11 cap. 37

Li. 2. de gen. animal cap. 4.

Τυ ἀριθμῦ τρίτη ἰσχυροτάτη.

Numerus ternarius efficacissimus.

Ternarium numerum apud omnes Veteres fuisse celebratissimũ, Arist. præ cæteris in libro de cęlo clarissime ostendit, quasi verò tam in diuinis quàm in humanis rebus, tam naturalibus, quàm præter naturalibus ingentem vim habeat. Vnde non immerito Hippoc. quoq; voluit posteritatem docere, se ipsum etiam in morbis, similem numerum validissimum reperisse. nam acutorum magna pars exacerbationes tertia die experitur: & in iisdem præsertimq; acutissimis vsu venit, vt tertia dies iudicationem quartæ præcipiat, vt docuit Gal. qui similiter quo tertius diei decernat, quando, quomodo, & vnde vim decernendi habeat, idem docuit secundo, & tertio de dieb. decret. lib.

sec. 4. aph. 34.

Κυνάγχην καὶ ὀφθαλμίην, φλεβοτομίη.

Anginam & lippitudinem venæ sectio.

Hæc pars proposita vobis hodie, purè practica est, & ad eam pertinet partem quæ chirurgica nuncupatur, est autem quod docuit nos Hipp. venæ sectionem curare anginam & lippitudinem. Venæ sectio cum sit euacuatio sanguinis iure indicantur duntaxat a plenitudine sanguinis, quia cum indicatio fiat a cõtrario. euacuationis contrarium nihil aliud est quã plenitudo plenitudo, autẽ sanguinis in corpore dup. esse solet; vel in toto corpore, vel in parte, quæcunq; sit plenitudo, siue vniuersalis, siue particularis indicat sanguinis missionem. Iam verò cum angina sit inflammatio musculorum laringem constituentiũ, & lippitudo sit inflammatio oculorum, certissimum est adesse copiam sanguinis, & plenitudinẽ, quia vbi est vera inflammatio ibi quoq; est exuberantia & plenitudo sanguinis. Iure ergo Hippoc. inquit curari anginam & lippitudinem venæ sectione, quia adest copia sanguinis. Et quia est copia sanguinis particularis in angina & lippitudine, operæpretiũ est quoq; ex natura indicantis vt particularis missio sanguinis fiat. Et hinc est quod Gal. dicebat in angina & ophtalmia a vena humeraria mittẽdum esse sanguinẽ sic, vt respiciatur locus vbi est plenitudo. De copia autem mittendi sanguinis cur est, quod Hippoc. nihil meminit, cum tamen maximi sit momenti in mittendo sanguine veram copiam cognoscere? dico quod Hippoc. iure abstinuit a ponenda quantitate, quia non est determinata quantitas neq; in angina, neq; in lippitudine. Et hoc Gal. docuit, vbi dixit, in lippitudine si vires valent, mittendum esse sanguinem vsq; ad ad animi deliquium; si nõ valent, infrà animi deliquium esse subsistendum. In angina vult nunquam mittendum esse sanguinem vsq; ad animi deliquium, neq; in magna copia, quia in angina proximi sunt ægri vt strangulentur. Ergo ratio habenda est virium. propterea Alex. Trall. in curatione huius ægritudinis diligenter cauebat, ne sanguinis in magna copia euacuaretur. Hæc quidẽ plana & aperta sunt, sed illud non est ita compertum, cur Hippocr. interdum hæc vulgaria doceat, & cur potius adducit exemplum anginæ & lippitudinis quàm aliorum morborum. Quod ad primum attinet, ea quæ ab hominibus, & præsertim a Medicis cognoscũtur, sunt interdum parui momenti; quæ nunquam tanguntur ab Hippoc. nunquam magni sunt momenti & vulgata quæ ab eo sæpe tanguntur, ne a Medicis vt vulgaria negligãtur, ita hæc quanquam sunt vulgaria magniq; momenti, sæpe inculcat, ne prætereantur. Cur autem susceperit potius exemplum lippitudinis & anginæ hæc (mea sententia) est ratio, quia duo sunt omnium iucundissima omnibus mortalibus, viuere, dulciterq; & iucunde viuere. angina aufert vitam, quia aufert respirationem; lippitudo dulcedinem vitæ, dicebat enim Aetius oculos propterea maxime esse custodiendos, quia plurimum cõferunt ad dulcedinem vitæ. Igitur iure voluit Hipp. eorum morborum exemplum in medium afferre, quos debent maxime omnium omnes curare propter vitam, & dulcedinem vitę.

lib. 13. meth. med. c. 27. de sangs miß. cap 16.

locis citatis.

Τρωθέντος ἐντέρου, ἡ ἀναπνοὴ ἔρχεται κάτω ἀφανὴς κατὰ τὸ τρῶμα καὶ κενοῦνται τὰ στήθεα, διδόναι οὖν γάλα καὶ οἶνον ἴσον ἴσῳ.

Vulnerato intestino respiratio exit infra occulta per vulnus, & euacuantur pectora, dare igitur oportet lac & vinum æquale æquali.

Est quoq; hæc subsequens dictio chirurgica, & quia habet nõ nihil obscuritatis, iure factum est, vt nonnulli interpretes existimarint delendam esse, quasi vero non sit hippocratica huic opinioni videntur duo argumenta potissimum fauere: vnum est, quia non est verum quod respiratio exeat ex vulnerato intestino, & tamen Hippoc. hoc infert hoc in loco, aliud est, quia subiungit, igitur vtendum est vino & lacte, æquale æquali. iam verò vulneratis intestinis non conuenit vinum, imò nullis vulneribus: narrat etiam Plutarchus, M. Antonium iussisse sibi manu sua vulnerato vinum afferri, vt cito moriretur, quasi inimicum sit vulneribus: quæ cum ita sese habeant, existimarunt esse delendam hanc sententiam. Cæterum quoniam per criminosum debet esse, dictionem Hipp. mutare sum ego huius sententiæ, eam esse retinendam, & potius videndum esse, an possit veritas tueri huius orationis. Quod ad primum argumentum pertinet, pro ἐντέρου legendum esse puto ἐντοσθίων, quæ vox significat intima pectoris: atque hanc vocem antiquam esse habetis apud Pollucem. alio modo respondere potestis hanc vocem ἐντέρου significare pectus. ita secundo de morbis τοῦ ἄρθρου voce abutitur vt hoc loco ἐντέρου pro intimo pectore. Et quod hoc sit verum, legatis subsequentia verba respirationem exire latenter, quia non exit nisi in vulnerato pectore, & quando volumus explorare, an vlcus pectus penetrarit candelam pectori ad mouemus, quæ si extinguatur, indicium est penetrare pectus, & euacuari, hoc est exire aerem. Ad secundum argumentum dicendum est, Hippoc. laudare lac & vinum, non quidem omni modo administratum, sed duntaxat per infusionem. Et vt hoc obiter dicam: apud D. Lucam habetur de Samaritano, illo, quod vulneratum illum a latronibus curaturus, imposuit vulneri vinum & oleum. Ita Hipp. hoc loco vinum & lac commendat. vinum quia (vt scribit de vlceribus, & vulneribus capitis) vlceribus omnibus conuenit. infundit etiam lac, quia lac ad demulcendum dolorem mirum in modum confert: possumus etiam dicere commendare Hippocr. vinum & lac, potu acceptum quemadmodum retro sect. tertia textu nono commendat in fractura capitis vinũ & lac, quia in hoc vlcere capitis exit respiratio, euacuatur spiritus. debet itaq; prospicere Medicus vt restituantur spiritus. ad quod prestanduin efficaciter vinum & lac commendatur.

Οἷσι κατακορέα τὰ στήθεα, ψελλοὶ μανιώδεες, καὶ φαλακροί. τουτέων ὅσοι ἐκ γενεῆς καὶ στρεβλοί, ἀσυνετοί. ἢ λιθιῶντες, ἢ μαινόμενοι. οἷσι δὲ μὴ, ἑτέρου κακοῦ λύσιες.

Quorum biliosa pectora ij balbi, maniaci, & calui, horum qui a generatione etiam strabi sunt, amentes, vel calculosi, vel insani. Quibus autem non ab ortu, alterius mali solutio.

Hęc quoque dictio maximi momenti est, & plena maximis & vtilissimis dogmatibus. Habet autem tres particulas breues, quas sigillatim & perspicuè enodabimus, prior est, quorum pectora biliosa sunt, ij balbi maniaci & calui fiunt. scilicet dicit Hippoc. eos omnes qui habent pectora maximè feruida, fieri balbos, maniacos & caluos. Certissimum est pectora humana suapte natura esse maximè calida imò esse maximè biliosa, quia pulmones semper nutriuntur sanguine bilioso tenuissimo, & hæc est ratio propter quã dixit magnus Arist. omnia animalia quæ habent pulmones sitire & bibere; quia pulmones nutriũtur bile sanguine tenuissimo, & reddant semper pectora calida. Sed cum biliosa alia sunt,

quæ habent bilem ordinatam, alia quæ κατακορέα præter naturam; loquitur hic Hippocr. de his quæ præter naturam sunt plus iusto calida. In his attolluntur vapores acres & calidi sursum, qui si in linguam firmentur, eam exiccant; exiccata lingua non potest proferre articulate verba & hinc fit balbuties. Iure ergo pectora calida inducunt balbutiem. Inducunt etiam caluitium, quia a vaporibus calidis & acribus elatis ad caput, cutis capitis exarescit; vnde humido capilli orbati, decidunt: fiunt etiam maniaci a vaporibus his elatis ad cerebrum & eius operationem peruertentibus. Videtis ergo qua ratione ij qui habent pectora calida fiant balbi, calui, & maniaci. Secunda pars est, horum, (hoc est, habentium pectora calida biliosa) quicunq; strabi fiunt a natura, fiunt amentes, calculosi, furiosi. Quam dictionem vt intelligatis, scire debetis, strabositatem esse vitium quo homines peruersos oculos habent, vt videant altero oculo vel sursum, vel ad latera. Qui habent peruersos oculos, habent etiam peruersum cerebrum quia (vt scribit Arist.) oculi semper sequuntur constitutionem cerebri, & hinc fit vt strabones parum habeant ingenij. Sed notate Suidam commemorare Menandrum Poetam fuisse Strabonem, ideo quod repertus sit vir Strabo a natura, & mirabili ingenio. Quare vult dicere vt non valent ingenio, ita etiam fieri maniacos? quia non solum constitutio cerebri, sed tota figura vitiata est. Sed quid est quod Hippocrates scribit, huiusmodi strabones fieri quoq; calculosos; quare est conuenientia inter oculos & vesicam? audite rem forsan ab alijs inauditam: hæc vox λιθίασις non semper significat calculum vesicæ: sed nonnunquam significat morbum palpebrarum oculi, quando in ijs fiunt tophi duri instar calculi. Videatis Aetium, libro sept. cap. 80. & 81. quo in loco appositissimè describit hunc morbum: imò retro hoc eodem libro habetis historiam Moschi hoc eodem morbo laborantis, vbi de eo pluribus egi. Iam vero vbi sunt aliqui strabones natura, facile fit vt humores crassi depellantur in palpebras: qui incrassati & indurati faciunt huiusmodi lapillos. Tertia pars: habentium pectora calida si fiant strabones non a natura, sed per accidens, est solutio alterius morbi. Polemon scriptor antiquissimus libro de signis phisiognomicis scribit, oculorum vel sursum, vel ad latera versionem significare vel amentiam, vel appoplexiam, aut epilepsiam: quia si vbi strabositas sit a natura, signum est amentiæ, vbi non est ab ortu, sed ab accidenti significat præcessisse apoplexiam, aut epilepsiam, nam Aristoteles trentesima tertia sectione Problematum 27. & 28. quærens rationem, cur vnus homo inter animalia peruertatur oculis, inter alias causas dicit: quia solus epilepsia tentatur, quasi epilepsia solet haberi hunc finem vt peruertat sola oculos. quanquam in hoc fallitur; quia Hippoc. libro de sacro morbo dicit etiam oues, & capras epilepsia corripi. nisi dicamus pro Arist. eam non esse veram epilepsiam. Quoties ergo videtis strabonem a principijs generationis suæ amentiæ eum esse obnoxium stat.m cogitetis, si autem non a natura sed per accidens hoc vitium contraxerit, apoplexiam aut epilepsiam præcessisse.

lib. 2. de Hist. animal.

Περὶ φύσιος δύναμιν πλείστην ἔχει τιτθὸς, ὀφθαλμὸς δεξιὸς, ταῦτα τὰ κάτω, καὶ ὅτι ἐμπέφυκε τοῖσι δεξιοῖσι τὰ ἄρσενα.

De natura, potentiam plurimam habet mamma, oculus dexter, idem & de partib. inferioribus, & quod innascuntur dexteris mares.

Quæ proprie sit proposita pars, non adeo perspicuè videri potest, verum puto potius pertinere ad partem σημειωτικὴν, & προγνωστικὴν. est autem sententia Hipp. ex reb. naturalibus māma dextra, oculus dexter magnā vim habet. subiungit deinde Hipp. tantā esse dextræ partis dignitatē, vt etiā mares in dextera parte gignātur. Quæ verba sigillatim explanabimus. contextus græcus habet περὶ φύσιος, quasi titulus & descriptio sit de natura sed apud Hipp. hoc perinde est ac si diceret de reb. naturalib. scilicet ex reb. naturalib. māmā dextrā & oculū dextrū magnā vim habere. Sed q̄ est ratio cur dextera māma habet maximā vim

in na-

in natura ? Hippoc. & Galen. scribunt,humanam naturam nihil aliud esse quàm calorem *l. de nat. pueri*
natiuum: calor natiuus in dextris partibus maximè abundant,ergo natura in partibus de- *lib. de temp.*
xtris maximè abundat. Sed Aristot.quoq; duo dicit memoria & studio digna, vnum est *lib. 3. de part.*
partes omnes sinistras frigidiores esse partibus dextris, alterum, in omnibus animalibus *anim. cap. 4.*
collocatum esse cor in medio pectore, in homine tantum paululum vergere ad læuam, vt
eius partis refrigerationem moderetur & compescat. Igitur videre potestis quàm verè
dixerit Hippoc. partes dextras esse calidiores sinistris. Adijcit,mares propterea dextra *sec. 5. aph. 48.*
vteri parte generari. Quam sententiam habuit etiam Hippocr. fuit etiam hæc sententia *6. epid. sec. 2. com. 4.*
vetustissimorum philosophorum,præsertim Empedoclis & Parmenidis,confutata tamen *lib. 7. de Hist.*
ab Arist. Vt autem veritas sententiæ Hippoc. magis eluceat, tria operæpretium est circa *anim. cap. 3.*
hæc verba diligenter & accurate expendamus. primum est,cur Hippoc. ad demonstran-
dam caliditatem partium dextrarum proponit duntaxat oculum & mammam, alterum
est,an verum sit oculum dextrum & mammam dextram habere plurimum potentiæ in na
tura. tertium,in quem vsum medicinæ Hippoc. hæc in suis aduersarijs annotare voluerit
Circa primum. breuiter dicendum est; Hippoc. proposuisse oculum & mammam,quia dif
ferentia dextra & sinistra minus apparet in mammis & oculo. quis non videt dextram ma
num pedemq; esse fortiorem sinistris? Igitur ille mammarum & oculi meminit, ac si vo- *sec. 33. prob. 25.*
luisset dicere,tanta est potentia partium dextrarum, vt etiam mamma & oculi in quibus
minus apparet, hoc ostendere possint a natura sua. Atq; hæc est vera optimaq; docendi
ratio,vt rebus minus euidentibus euidentiora supponantur. Circa secundum vtrum ve-
rum sit,oculum dextrum & mammam dextram habere maximam potentiam in natura;
primum non videtur esse verum oculum dextrum esse potentiorem sinistro: immò vt scri-
bit Arist oculus sinister est mobilior ipso dextro,eo quia est humidior molliorque. Igitur
quo ad motum qui est effectus naturę sinister est multo efficacior dextro. præterea eadem
sect. Probl. Problem. 19. inquit comparatum esse a natura, vt omnes partes dextræ melio
res sint,excepto oculo,quia sinister ęque exercetur ac dexter, deinde sensus videndi fit in
patiendo,sinister est magis aptus ad patiendum dextro,quare subiungit, aut sinister ocu-
lus melior est aut saltem æqualis,atq; ita non videtur verum esse quod scribit Hippoc.ocu
lum dextrum esse potentiorem sinistro. Sed de mamma quoq; similiter dubitatur, vtrū
dextra sit efficacior sinistra: quia vt testantur omnes Scriptores Amazones,mulieres bel-
licosissimæ & robustissimæ mammam dextram comburabant; & cum studerent robori,nō
est æquum existimare mammam dextram comburere debuisse cum esset robustissima. ha
bet us etiam Hippocr. huius rei testem qui de Amazonibus loquens inquit consueuisse *lib. 3. de artic.*
comburere mammam dextram vt fortiores euaderent. Sed est etiam aliud, quia in ore *6 & l. de aere*
omnium est, vulnera exitiosissima esse,quæ inferuntur in mammam sinistram ita vt citissi *aq. & locis*
mam mortem inferant. Referunt Dio Cassius & Ælius Spartianus; Hadrianum tędio vitæ
inductum,voluisse a seruo occidi, eiq; locum sub mammilla circunscripsisse, quem sibi in-
dicauerat Hermogenes medicus, ac docuerat vulnera ei inflicta certissimam & citissimā
mortem inferre,quasi is locus maximam vitæ & necis potestatem habeat. Circa primum
dicere possumus: consideratur oculus vt pars instrumentalis & animalis,vel consideratur
vt pars similaris compositaq; ex quatuor elementis ac naturalis; si consideratur, vt instru-
mentalis,melior est oculus sinister,aut saltem æqualis,& ita loquitur Arist. si vt naturalis
compositaq; ex 4. elementis,pars dextra efficacior est sinistra,quia (vt scribit Hipp.) pars
dextra habet vasa latiora,& plus caloris: atq; quo plus habet caloris,etiam plus habet na-
turæ. Igitur vt pars similaris,melior est dexter oculus, vt instrumentaria sinister. Sed con
tra hanc determinationē adhuc est Arist. sermonē habens de aurib. inquit,aures sinistras si *sec. 32. prob. 7*
perforētur citius cōsolidari dextris,& propterea aures sinistras fuisse vocatas mares a mu-
lierib. dextras verò fæminas. afferens autē huius rei rationē: dicit: sinistras partes esse cali-
diores & humidiores; nō est ergo verū quod hæ partes consideratæ vt similares sint robu-
stiores. Petrus Aponiensis qui gustauit hanc difficultatem inquit, duplicem esse humidi-
tatem, excrementitiam,aliam verò natiuam. sed inquit aurem dextram esse humidiorem

humiditate natiua, sinistram, excrementitia. Pace Petri Aponiensi dixerim, longe lateque fallitur, quia nemo est vsque adeo infans medicus, qui non intelligat vulnera omnia impediri copia excrementorum, atque calore humiditateque natiua conglutinari: illud enim solet præcipi, vt humiditas excrementitia absumatur. Igitur si dicatur res sinistras citius consolidari, æquum est existimare huiusmodi partes minus abundare humiditate excrementitia. Itaque soleo dicere, plærunque probabiliter scripsisse, nunquam ex sententia vulgi. Quapropter hoc sit constitutum partes dextras esse calidiores caliditate & humiditate natiua, & propterea habere magnam potentiam in natura. Sed quid dicemus, cur mammas dextras comburerent Amazones? Curtius & alij existimarunt hoc fecisse, vt possent melius vti lanceis, ne impedirentur. Sed melius Hippocrates dixit, non aliam ob causam hoc fecisse, quam vt alimentum mammæ dextræ
lib. de aere aq. & locis. in brachium & manus recederet. Quod si verum est, quemadmodum existimandum est, quia dixit Hippoc, illud quoq. fatendum est, mammam dextram magis valere, quia cum robur acquirit manus brachiumq. a mamma dextra, quodq. magnum sit, iure fit, vt mamma dextra sit robustissima. Quod verò sinistra vulnera sint pernitiosissima, fit, quia ventriculus sinister totius corporis, cum refertus sit sanguine feruido, & spirituoso, fit vt vulnere fauciatus ventriculus, faciat excidere magnā copiam spirituū. Atq; ideò oculus dexter, mammamq; dextrā magnam potentiam habent in natura; Tertium erat, cur hæc annotauit Hippoc. in suis aduersarijs. Propter prædictionem, quia quotiescunq; partes robustissimę ægrotant semper grauior est morbus ægro, nam Gal. dicit primam conditionem morbi magni esse, vt sit pars nobilis. Si pars dextra est nobilior, ea propter parte dex-
lib. 4. & 6. meth. tra morbi sunt grauiores, propter curationem, quia quotiescunq; Medici morbum in partibus dextris curant, semper debent esse oculatiores, quia cum hæ sint robustiores, signū est non nisi a magna vi & magna potentia a statu suo deijci, & consequenter necesse est, vt morbi illi sint magni.

IX.

Γυναιξὶν ἐπιμήνια ὥστε ἴσχειν σικύην μεγίστην παρὰ τὸν τιτθὸν προσβάλλειν.

Muliebribus menstruis cohibendis cucurbitulam maximam iuxta mammam adhibendam.

Incipit Hippoc. demonstrare quomodo mamma dextra habet magnam vim in natura, quia subtus mammas apposita cucurbitula, maximum impetum menstruorum immodicè fluentium statim sistit. Circa quam rem debetis duo annotare maxime vtilia in medici-
sect. 5. aph. 50 na facienda. quæ Gal. refert, quo in loco cum Hippoc. habeat eandem sententiam, quam habet hic; duo Gal. annotauit, vnum est scriptum esse πρὸς τιτθοὺς cum melius sit ὑπὸ τιτθοὺς subtus, & inquit Gal. vsq; adeo hanc rem placuisse nonnullis interpretibus, vt existimarint omninò legendum esse subtus mammam. aliud est, subtus mammas esse confluxum omnium venarum quę ab vtero feruntur in ipsas mammas, & propterea recte apposita cucurbitula illi loco cohibere immodicum fluxum sanguinis vteri. Sed hic nonnulla sunt consideranda & primum circa varietatem, quandoquidem in contextu Aph. & hoc, diuersitas est, quia ibi dicit πρὸς τιτθοὺς hoc loco παρὰ τιτθὸν idest iuxta mammas. Sed quomodocunque legatur perinde est. Sed quod scribit Gal. propterea huiusmodi remedia maxime iuuare, quia ea parte est confluxio venarum, minimè mihi quadrare videtur: quia eędem venæ supra mammas feruntur. præterea, vt habebitis lectione sequenti, supra mammas apparet vena crassa, maximarū virū vnde huius venæ sectio deberet habere maiorē vim. Sed alia ratio est potior cucurbitulæ applicatæ subtus mammam, quia venæ subtus mammam veluti collectæ sunt, quæ sparsæ sunt supra mammam: Sed cur dicit in Aphoris. ad mammas, hic iuxta mammas? quia in Aphor. cum vniuersalem regulam traderet nobis Hipp. erat æquum vt singularum mammarū mentionem faceret, hic autem, quia dixerat mam-

mammam dextram potentiam insignem habere, vt hoc doceret addit cucurbitulam mammæ applicitam fluxum sanguinis sistere.

Τρίμηνον παιδίον πάντα δηλοῖ. καὶ γάλα τότε ἔχει. Ην πολλὸν ῥέῃ γάλα, ἀνάγκη ἀσθενέειν τὸ ἐν γαστρί. Ην στερεώτεροι ἔωσιν οἱ τιτθοί, ὑγιηρότερον τὸ ἔμβρυον. Φλὲψ ἔχει παχέη ἐν ἑκατέρῳ τιτθῷ ταῦτα μέγιστον ἔχει μόριον. συνέσιος.

Trimestris puerulus omnia manifesta habet, & lac tunc habet. Si multum fluat lac, accesse est male valere, quod est in vtero. Sin solidiores sint mammæ, sanus magis est embrio. Vena habetur crassa in vtraque mamma. hæc maximam habent partem coniunctionis.

Cum Hippoc. ea adnotasset quæ audiuistis de mammis, placuit sibi nonnulla quoque annotare pertinentia ad vsum mammarum, ad lac: adeo vt præsens proposita dictio non exiguam habeat coniunctionem cum præcedentibus. Habet autem hæc tres particulas, quæ sigillatim a nobis explicabuntur vt melius intellectu & memoria comprehendantur, prima pars est: puer trimestris omnia habet manifesta, & lac habet scilicet prægnans. Secunda est, si lac copiosè fluat ex mammillis, infirmus fœtus est, si mammæ sint solidiores, fœtus bene valet. Tertia pars est, vena crassa super mammas propagata est, quæ magnam prouidentiæ partem habet. Incipiamus autem vnamquamq; partem examinare. Diximus aliàs fuisse sententiam Hippoc. & omnium Scriptorum, fœtum dum in vtero est, ac tertium mensem agit, esse iam fere perfectum, non quod semper fœtus hoc termino perficiatur, quia fœmina sexagesima die perfici solet, citius mas: sed hoc dicitur, quia terminus postremus perfectionis fœtus solet esse tertius mensis, quia tertio mense motus acquiritur, qui postremò accedit foetui. Neq; obstat quod Hippoc. dicit quarto mense perfici foetum, quia sententia Hipp. est, tertio mense perfectionem inchoare, initio quartimensis consumari totam perfectionem. Sed hic oritur maximum dubium, siquidem Hippoc. dixit octauo mense lac perfici. quod, si verum est, quomodo nunc dicit tertio mẽse lac habere in mãmmis? Hæc Hippoc. sententia non paucos torsit. veruntamen si consideremus contextus græcos, omnes habent μέγα ἔχει, hoc est magnum habet, non autem γάλα ἔχει lac habent, quæ lectio si vera esset plane omnis difficultas esset sublata, quia nihil aliud diceret quam tertio mense magnitudinẽ esse perfectam. esset hoc clarissimum. Sed si placeret legere lac habet, alia ratio est. Et vt difficultas hæc soluatur, adeundus est Aristoteles qui inquit, ante septimum mensem lac in muliere, neq; multum, neq; vtile esse, post septimum mensem, & copiosius & vtilius esse; quasi dicat tertio mense habere quidem lac, sed paucum, inutile, quia ante septimum mensem est. Et quanquam Arist. dicit post septimum mensem habere lac vtile & copiosum, non est tamen accipiendum, vt prorsus sit vtile, quia lac nunquam est vtile, nisi tertio aut quarto die post partum, propterea que Veteres colostratos eos appellabant qui lacte vescebantur statim a partu. Quare rectè Paulus & alij præceperunt vt non præbeatur lac foetui nisi post quartum diem, & illis diebus præcipit Paul. vt loco lactis offeratur mel puero, scilicet vt melle excrementa, quæ contraxit in vtero eluantur, tum maximè vt detur locus quo possit lac optimè exire. Sed quod consilium fuit Hippoc. in tradenda hac doctrina? vt scilicet Medici intelligerent non ante tertium mensem mulierem grauidam esse tractandam medicamentis, vel alijs: quia facile quolibet vento eliditur foetus, quemadmodum Gal. dicebat de fructib. Secunda pars est si lac copiosè fluat, signum est foetus malè valere, si autem sint solidiores, signum est fœtum esse firmum. Quæ sententia habetur quoq; apud Hippoc. 5. Aph. 52. causa ea propter quam fluente lacte ex mammillis infirmior fit fœtus explicata est luculentissime a Gal. in com. prædicti Aph. vbi scribit, causam cur lac fluat e mammillis non aliam esse, quam copiam ipsius lactis, copia lactis (inquit Gal.) colligitur in mammis propter copiam sanguinis influentis ab vtero in mammas copia sanguinis fluit in mammas,

lib. de nat. pu.
lib. de gen. animal. cap. 8.

quia

quia non consumitur a foetu. non consumitur autem a fœtu, quia fœtus est imbecillis. Quare vbi debillis est fœtus, non consumitur sanguis, vbi non consumitur sanguis, fluit in mammas, vbi fluit in mammas, fit copiosum lac, atq; ita signum est lac copiose fluens ex mammillis foetum esse debilem. Sed duo hic occurrunt indagatione diligenti digna, vnum est, quare Hippoc. dicit si lac copiosè fluat e mammillis, signum est foetum male valere. si autem mammillæ sunt solidiores signum est esse foetum firmum; non autem dicit. si lactis non sit abundantia nimia. alterum consideratione dignum est, quomodo verum est fluente lacte foetum esse infirmum, quia fieri potest vt sanguis suppetat nutrimento & augumento foetus, quia videmus nonnulla corpora, quę etiamsi bene valeant, natura tamen profundat semen & bene valent. ita etiam potest exire lactis maior iusto copia & foetus bene valere. Respondeo Hippoc. summo cum iudicio & ratione dixisse postrema parte si solidæ sint mammæ, quia vbi lac non effluit, potest esse propterea quod non adsit multus sanguis, & cum non adsit multus sanguis non potest bene valere. Itaq; non hoc est perpetuo verum, vt non, si non fluit lac bene valet, melius vtriusq; dixit si solidæ sint mammæ, bene valet; quia vbi solidæ sunt mammæ, non effluit sanguis, & satis est sanguis pro nutrimento fœtus. Nonnulli male feriati sanè Medici ausi sunt Gal. reprehendere in expositione huius Aphor. quasi male arguat Gal. magnitudinem mammarum ex magnitudine carnis & vasorum, & soliditatem ex repletione; dicunt enim isti secus esse, quia magnitudo mammarum nascitur ex copia lactis, soliditas, non ex copia lactis, sed cõstitutione naturali. Miror sanè eorum ingenium, quia partes constituentes mammas sunt vasa caroq; soliditas fit ex repletione, vt in vtribus videre quisq; potest. Et quod hoc sit verum, magnitudinem non sequi multitudinem lactis, hinc facilè apparet, quia videbitis sæpe mammosas mulieres nihil lactis habere; & plurimo lacte abundare eas mulieres, quæ mammas exiguas habent: quod signum est mammositatem oriri a sanguinis copia. Circa aliam difficultatem ipsemet Hippoc. (si diligenter illius verba expendantur) huiusmodi nodũ dissoluit inquit enim ἢν πολλοῦ ῥεῇ γάλα aliud est copiosè effluere, & effluere lac: si effluit interdum, non est signũ male valere foetum, vt si semel aut bis effluit semen, nõ est signum male valere corpus; ita si plus iusto effluit, signum est flaccescere foetum: siquidem minimum est quo fruitur foetus in vtero.

Tertia pars erat, vena crassa super mammas extenditur.

Quod vena crassa super mammas extendatur, non solum ex anatome apparet, sed etiã primo intuitu: quia sæpe videre licet mammas venis crassissimis esse obductas. Cæterũ quod vult Hippoc. dicere sub his verbis magnam prouidentiæ partem habet. hoc aliquos interpretes magnoperè sollicitare solet. quidam enim existimarunt velle Hippoc. hoc loco docere, hanc venam, magnam vim habere ad prædicendum affectus ipsarum mammarum, siquidem cum status naturalis ipsarum nascitur ex venis qualis est status venarum talis etiam est ipsarum mammarum, vt illi dicebant. Alij putant hanc partem ita esse interpretandam, quasi dicat, ex hac vena crassa apparere prouidentiam Dei, quia vt natura posset alimentum copiosum foetui suppeditare, machinata est hanc venam. Cornarius interpretatus est hanc vocem συνέσιος quasi confluentiæ, ego puto eum nihil aliud velle dicere quam quod pertinet ad Medicum, & quæ antea dixit cucurbitulam affixam mammis fluxum sanguinis cohibere. Hanc rem comprobat hæc vox σύνεσις, quæ significat coitionem seu coniunctionem, & hoc videre possumus apud Homerum. Vult ergo nihil aliud significare, quam coitionem seu coniunctionem, tanquam dicat, huiusmodi venam crassam magnam habere coniunctionem cum vtero: adeo vt ex hac coniunctione iure fit, vt cucurbitula super mammam apposita, cohibeat fluxum sanguinis.

Στραγγουρίην λύει φλεβοτομίη.

Difficultatem vrinæ ſoluit venæ ſectio.

Hæc verba pertinent ad practicam medicinæ partem, & quæ preſertim chirurgica eſt. Nec mirum eſt, quia (vt ſæpe dixi) cum hi libri eſſent velut aduerſaria quædam, in quib. Hippoc. annotaret quoridie quæ obſeruaret, miſcebat coelum terræ, ſacra (vt ſic dicam) profanis. Eſt hæc dictio 36. Aphor. 6. particulæ, ſed differt ab aphor. illo, quia ibi additum eſt ſecandas eſſe venas internas, hic nihil aliud dicit quàm Στραγγουρίην λύει φλεβοτομίη. Diligentiſſimus Gal. examinans eum aphoriſ. eo diductus eſt, vt exiſtimarit prorſus eſſe delendum. quod an verum ſit precor audiatis. duabus rationibus vtitur Gal. ad hoc demonſtrandum, prima eſt, quoniam vrinæ difficultas plærunq; fit a materia phlegmatica obſtruente meatum vrinæ. materia phlegmatica nullo modo indicat miſſionem ſanguinis. bene verum eſt, interdum fieri ex inflammatione, quæ cum fiat ex multitudine ſanguinis iure indicat venę ſectionē; quare dixiſſet Hipp. difficultatem vrinæ curari etiam venę ſectio. Alterū argumētū eſt, quia venę internę duplices ſunt, alię ſunt ſupernę, aliæ infernę: de ſupernis nō poteſt eſſe verū, quia lex eſt Hipp. vbi inſlāmatæ ſunt partes infra renes, perrundas eſſe venas infernas: difficultas vrinæ eſt infra renes, non poteſt ergo ſeccari vena ſuperna. Neq; etiā neceſſariū eſt vt interna infernaq; ſecetur, quia ſupernæ oriūtur a diuerſis vaſis, ſiue internis, ſiue externis. infernæ oriuntur ab vno eodemq; vaſe: inde perinde eſt ſiue ſeces inferiores internas, ſiue externas. Itaq; nō dixiſſet Hipp. venas internas eſſe ſecandas. Sed puto ego rem ſecus ſe habere, quia vbi eadem res videtur eſſe in varijs Hipp. comm. ſemper exiſtimate illam eſſe hippocraticam. Sed videamus argumenta Gal. miror ſane virum alioquin oculatiſſimum in hac re vſq; adeo dormitaſſe. nam fateor, non conuenire venæ ſectionem, niſi vbi difficultas vrinæ oritur ab inſlammatione, quod eſt rariſſimum; imò non propoſuit niſi vt rarum: quaſi dicat difficultatem vrinæ curari interdum venæ ſectione, quanquam hoc eſt rarum. Neq; opus eſt vt addat particulam etiam, quia frequentiſſime commemorat nobis remedia rariſſima ſine illis particulis. ſcribit, ſternutamentum curare ſingultum, hoc tamen rariſſimum eſt, infinitaq; alia ſunt apud Hippocr. exempla, quæ proponit vt Medici ſint vigilantes ſemper. Præterea rectitudo venarum parriſq; mirum in modum confert ad curandos affectus. Cur ad curandos menſes incidimus potius internam venam poplitis? nulla alia eſt ratio quàm rectitudo, a qua fit maior attractio. Pari pacto, vt doceret hanc rectitudinem κατ' ἴξιν eſſe ſeruandam, dixit pertundendam eſſe venam internam, quæ habet eandem rectitudinem cum veſica, quam habet cum vtero ipſo.

Ἢν τὰ ἄνω χωρία φλεγμήνῃ, τὰ περὶ τὴν κεφαλὴν, ἑλκέων κάθαρσις, ἔμετος, ὕδρωψ.

Si ſuperiora turgeant quæ ſunt circa caput, vlcerum purgatio, vomitus, hydrops.

Præſens ſententia, quæ tota practica eſt, magni momēti in medicina facienda eſt, ſiquidem maximum Hipp. artificium habet; & eſt ſingularis ſententia, quia in nullo fere alio loco reperitur; eſtq; hæc, ſi partes ſuperiores turgeant, quæ ſunt circa caput, vlcera, vomitus, & aqua ſuppleatis vos, curant. Sed priuſquam ad verba Hippoc. veniamus, illud nobis eſt inquirendum, cur ſæpenumero Hippoc. in ſuis ſententijs omittit verbum, propter duas rationes puto Hippoc. habuiſſe in more hoc facere, prima eſt, quia ad grauitatem dictionis quam ſequutus eſt Hippoc. maxime hoc pertinet, eſt enim magni viri vt pauca dicat, grauiaq; & non admodum difficilia; alia ratio eſt, quia omnes illius ſententiæ non ad vnam rem ſed ad plures referri poſſunt. Itaque voluit relinquere iudicio medicorum vt

poſſint

possent bene interpretari, in quam partem vellent. Hæc ad prædictionem & curationem referri potest: ad curationem, morbos capitis curare, siue fiant a natura, siue ab arte vlcera vomitum & aqnam. Sed videamus quod artificium latet, & primum hæc vox σπαργᾶν apud Erotianum in Onomastico Hippoc. videtur significare interdum ἐπιθυμεῖν sed propria ipsius significatio est vt Gal. explicat turgere ὀργᾶν quotiescumq; humor ita exuberat vt videatur sponte exire velle: & huiusmodi effectus interdum tribui videtur humoribus
l.b. 1. Aphor. vt in interdum corporibus, quo pacto vtitur non nunquam Gal. & de vitibus dixit Poeta

Turgent in palmite vites.

quoties scilicet tumentes emittunt humorem. Sententia autem Hippoc. est, si caput ita repleatur humoribus, vt præ copia humores exire velint, fit vlcerum purgatio, vomitus, & aqua pura. Vt autem hæc intelligantur, operæpretium est scire ea quæ colliguntur in capite, aut colligi sponte in capite, propter aliquod vitium eius, vel propter vitium alterius partis communicantis: quæ pars aut est stomachus, aut est totum corpus. A stomacho
lib. 4. de morb ferri humores dixit Hippoc. vbi scribit a capite trahi humores a ventriculo, instar cucurbitulæ. Sed Hippoc. his paucissimis verbis vult dicere, quod vbi caput turget videamus si laboret per essentiam, vel per consensum. si caput laborat per essentiam curat (ait ille) vlcerum purgatio. nam scimus omnes, quotiescunq; pars aliqua essentialiter est affecta, remedia esse adhibenda ipsi parti affectæ, quemadmodum vbi alia parte vitium contraxit, huic remedia sunt applicanda. Vult igtur dicere Hipp, si caput laboret per essentiam procuranda esse vlcera, & hoc est quod vult dicere Hipp. quando dicit vlcera capitis sponte facta, tueri pueros a plurimis morbis. si autem vitium capitis proficiscitur a stomacho,
sec. 4. aph. 18. inquit Hippoc. vomitus curat, & hoc est quod scripsit, vbi dicit: Si partes supra septū trāsuersum dolent, per superiora esse purgandum, scilicet per vomitum, quia vbi humores sunt in stomacho a quibus vitietur caput, nulla est melior via, quàm vt vomitus concitetur. Neq; valet quod idem Hippoc. scribat leborantibus oculis vomitum non esse cien-
lib. de vlceis in bom. dum, siquidem loquitur Hippoc. de affectu oculi per essentiam, in quibus vomitus maximè noxius est. si autem vitium capitis proficiscirur a toto, dicit aqua vtendum esse; quomodo aqua? Hæc pars fatigauit, multos quid velit per hanc vocem ὕδωρ nonnulli interpretati sunt sudor, quasi velit sudore curari: alij hydrops morbus, ac si hic curet affectus capitis. Sed vt ego pato decepti sunt omnes, quia hæc vox nihil aliud significat quàm hu-
lib. 4. de marb & lib. de gen. lib. 7. de Hist. anim. in fine. morem tenuem aquosum. hac eadem voce vtitur Hipp. & Arist. utitur pro seroso humore uult itaq; dicere Hippoc. quod ubi a toto corpore malum proficiscitur, & materia turgeat purganda est aqua, hoc est tenues & serosi humores: quoniam humores qui turgent non sunt crassi, pituita neq; melancholia nunquam uerè turgent, quia iners est hæc materia: sed humores serosi, siue bilis, seu serum sanguinis & hoc est quod Hippoc. scribit, non esse purgandos humores nisi turgeant, atq; hoc loco dicit ubi rurgent in capite humores, uel per ulcera, uel per uomitum, uel per aquam curari. Subiungit Hippocr. aliud memoria dignum.

Ἀπὸ γαστρὸς ταραχῆς, ἢ ἀπὸ βηχὸς καρκίνου γενομένου, τὸ στόμα πικραίνεται διδόναι δὲ πίνειν ἐλατήριον δὶς ἢ τρὶς, ἢν μὴ ψελλὸς ᾖ ἐπιδεῖν δὲ χαλκοῦ ἄνθος καύσας ἕως ἂν πυῤῥὸν ᾖ καὶ σπογγίην ἢν μὴ ψελλὸς ᾖ.

A ventris turbatione vel a tussi cancro facto os amarescit. Dandum autem bibendum elaterium bis vel ter, nisi balbus sit. Apponere oportet florem aeris vstum donec rubescat, & spongiam, nisi balbus sit.

In qua sententia tria & memoria & consideratione ingenti digna nobis proponit Hippoc. quę rara sunt; primò generationē cācri raram, secundo signum, tertiò curationem raram.
li. de tum præter nat. & lib 2. ad Glauc. Nunc de causis & de signis duntaxat tractabimus, inquit a turbatione alui, & tussi cancro facto os esse amarum. Primò scire oportet quid sit cancer. Cancrum Gal. dicit esse tumorem

norem fœdum & inæqualem: qui etsi in omnibus corporis partibus fit, potissimum tamen fit in mammis; materia huius est melancholicus humor, cum purus, tum incensus acris, & mordax: & cancer alius est vlceratus, alius non exulceratus, quem Hippoc. appellauit cancrum occultum, vt interpretatur Gal. quanquam Aet. Paul. dicant cancros occultos eos esse, qui in vtero aut ano fiunt. Cæterum hic duo occurrunt consideratione digna. vnum est, quomodo dicat fieri cancrum a tussi, nam quod fiat post alui turbationem frequentissimum est; quia vbi fiunt dysenteriæ à bile, solent facile fieri vlcera, & deinde cancer; sed tussis fit à pituita, quæ non facit cancrum, sed melancholia. Aliud inquirendum est, quo pacto dicat fieri cum oris amarore; cum cancer fit ab humore melencholico, cui sapor est acidus, vt ex terræ fermentatione apparet. Quod ad primum pertinet, morbos fieri dupliciter apud omnes compertum est, vel enim fiunt mediate, vel immediate; immediatè fieri à tussi non est verum, sed tantummodo mediatè, quia a tussi delabitur melancholia in asperam arteriam, & fauces, quæ eas exasperat, exulcerat, calefacit combustaq; quanquam potius in ore hoc fiat, & faucibus, quam asperam arteriam. sed quia aliæ causæ tritę sunt, eapropter voluit hanc rem docere tanquam raram. Ad secundum dicendum est annotasse Hippocratem hanc rem tanquam ab ipso solum obseruatam; cum enim esset summo iudicio, non est mirum si haudquaquam vulgaria scitu obseruarit. Est tamen etiam aliqua ratio, siquidem cancri originem primam ducunt a bile exulcerante, quæ cum à toto confluat in intestina etiam ipsius portio, vel saltem vapores elati ad os amarorem inducunt: quod etiam fit, vbi à tussi in ore, vel faucibus factus est cancer, quippe quando vna cum melancholia eo etiam feratur bilis, quæ amarorem oris producit. Non minus est admiratione digna curatio cancri, quam nobis proponit Hippocrates, quàm fuerit & causarum cognitio, & signorum. Dicit autem Hippoc. dandum esse elaterium, nisi ęger sit balbus, addit: alligandum esse florem aeris combustum donec rubescat & spongiam nisi sit balbus. Vt autem artificium Hippoc. videatis primum indagare oportet, quæ indicationes haberi debeant à Medico in curando cancro: qui, cum sit tumor præter naturam fœdus inæqualis, ab humore melancholico, indicatio oritur adimendi illum tumorem, & consumendi materiam efficientem tumoris, & præsertim vt corpus purum conseruetur ab impuro illo & fœdo humore. Iam verò si diligenter examinemus quæ proponit Hippoc. sunt remedia accomodatissima ad explendas omnes has indicationes. primum enim inquit dandum esse bis vel ter elateriū quod habet vim purgandi vniuersum corpus, quapropter huiusmodi remedio satisfit indicationi a causa ductæ, prospiciendo ne ea augeatur. Atq; vt humor qui facit cancrum aboleatur, cum conueniunt ea quæ exiccant, flos aeris combustus accomodatissimus est Adeo vt dubitare non oportet quin remedia accommodatissima sint proposita ab Hipp. ad explendas indicationes. Cæterū vt mysteria Hipp. melius intelligatis, quatuor sunt diligenter spectāda, & primū circa vniuersalē curationē cancri, nā Gal. exponens, vbi Hipp. ait, cancros occultos melius esse nō curare, praeclarā aliquam tractationē habet de cancro, vt enim colligere licet ex longo eius discursu, apud veteres duplex fuit curatio cancrorum altera agonistica appellata; altera quam vocabant mitigatoriam. agonistica erat in qua omnia moliebantur vt expugnarent cancrum medicamento, ferro, & igne. curatio mitigatoria fiebat aliquo medicamento, quod per experientiam repertum sit exiccare humores & putredini refragare. Præterea erat duplex cancrorū genus, alterū in partib. abditis, alterū in superficie quietiā erat duplex, vlceratus, vel nō vlceratus. Iam verò curatio agonistica nullo pacto exercenda est aduersus cancros in partib. intimis, vt in intestinis, & vtero: quia subito hominē iugulat. In cācro in superficie dicit curationē agnosticā fuisse vsurpatam à Medicis. Hoc si verum est quemadmodum existimare debemus, non videtur rectè instituisse curationem Hippocrates; est agnostica curatio, quæ non conuenit partibus internis de quibus loquitur Hippoc. Aliud est videndum cur Hippocr. laudat elaterium quod est grauissimum medicamentum & potentissimum, & præsertim solet huiusmodi

6 Aphor. 38. lib. 16. c. 43. lib. 3. cap. 67.

Aph. 38. li. 6

remedium exulcerare inteſtina, cancerq; mitius eſt tractandus. Tertium eſt, quo pacto Hippoc. dicat in curatione huius morbi alligandum eſſe florem aeris, & ſpongiam. quartum, qua ratione excipiat balbos in hac curatione inſtituenda. Circa primam propoſitionem dicere oportet, Hippocratem huiuſmodi genus curationis propoſuiſſe, quia ſibi erat veluti ſecetum, non tamen ſine ratione: ſiquidem ſi rectè intelligantur verba Hippocratis huiuſmodi curatio non eſt vere agoniſtica, ſed partim agoniſtica, partim mitigatoria, quia elaterium non eſt adeo graue, vt audietur; flos aeris eſt quidem graue medicamentum, ſed cum vritur vſq; dum rubeſcit, amittit vim deleteriam. quare nō eſt remedium agoniſticum, ſed quod abſumit humorem illum turpem citra vllum detrimentum. Sed dicet aliquis, quomodo fieri poteſt, vt hæc Hippoc. curatio ſit tuta, quia purgat per inteſtina cancro affecta, & lex eſt, nunquam per partem affectam eſſe purgandum? purgare corpus per partem affectam malum eſt, cum pars affecta eſt deterrima omnium partium: vbi autem pars ita laborat vt non poſſit proſpici corpori niſi per partem affectam, tunc Medicus per hanc purgando, recte facit; vt in cancro, qui cum habet fomentum ab humore impuro & tetro totius corporis, purgandum omnino eſt totum corpus, alias malum in deterius ruit. Ad ſecundam dicendum eſt, hoc nomen elaterij apud Hippoc. tria ſignificare, primum ſignificat quodlibet medicamentum purgatorium, ſiue ſit
lib. 1. & 2. de rat. vic. in acutis. leue, ſiue graue, vti Erotian. Hipp. & plæriſq; alijs locis, vt ſexto Epid. com. 5. tex. 35. docet. Secundo modo accipitur elaterium pro medicamento corruptorio, ſic Gaza apud
in Onomaſtico Hipp. Theophraſt. plærunq; hanc vocem tranſtulit, ſic vtitur Hippoc. quando ad facilitandum partum vtitur elaterio, quod poſſit agitando partus dolores inducere, nam haudquaquā
libr. de ſteril. et li. de morb. mul. credibile eſt eum de ſucco cucumerris aſinini loqui, & Dioſc. & Plin. dicunt partus necare, ac propterea, & quia facit ſuperpurgationes inter venena recenſent. Tertio modo accipitur pro ſucco cucumeris aſinini, qui grauiſſimus eſt: aquam ducit, e corpore, acerbiſſimis cruciatibus exulcerat inteſtina, & habet hoc (vt ſcribit Plin. & Theophraſt.) vt ſuccus eius duret nonnunquam ad ducentos annos. Hoc in loco pro elaterio medicamentum aliquod purgans intelligit, quaſi dicat ante cætera in ipſo cancro neceſſarium eſt vti aliquo purgarorio, quia non eſt licitum ad localia venire prius quàm totum corpus ſit purgatum. Circa tertium quomodo Hippoc. velit alligari inteſtinis florem aeris; ſcire oportet quod contextus græcus habet ἐπιδεῖν, quod alligare ſignificat, ſunt & alij qui legant ἐπιθεῖναι hoc eſt apponere. ſed quomodocunq; legatur, ſolet maxime iuuare inteſtina & vterum purgando. Illud certe curandum eſt vt vratur donec rubeſcat, vt omnem vim veneficam, & acrimoniam deponat. Circa quartam dicebat Hippoc. balbos ſolere tentari alui profluuio, ſcilicer ob nimiam humiditatem; atq; tunc maximè, cum a medicamentis purgantibus ſollicitantur, vnde Hippoc. conſulens iterum atq; iterum purgandos eſſe laborantes cancro, iure excipit balbos, quippe quos facile eſt repetitis medicamentis purgātibus in alui profluuium incidere exitialiſſimum. quare ſummo cum iudicio excipit balbos. Sed concedamus hoc recte eſſe factum, cur iterum excipit in vſu elaterij? fateor conſilium Hippoc. hac in re non mihi eſſe admodum compertum, veruntamen ſi quidquam diuinare licet, iurarem ideo eſſe inductum, quia idem ſectione 5. huius libri dixerat balbos tentari affectibus valde melancholicis, quod cum ita ſeſe habet, atq; cancer ſit affectus melancholicus, omnino abſtinendum eſt ab omni genere remediorum quæ habent aliquam acrimoniam, etſi enim hac ſpolietur aliqua ex parte, non tamen penitus innoxium fit: quo accidit, vt medicamento hoc inteſtinis cancro affectis a melancholia, fiat excoriatio & morbus exitialiſſimus. Subiungit Hippocrates.

Ἀλύκαι, φρίκαι, χάσμαι, οἶνος ἴσος ἴσῳ, ἢ γάλα.

Anxietates, horrores, oscitationes, vinum æquale æquali, lac.

Hanc sententiam diligenti consideratione & memoria dignam legere etiam licet in Aphor. sed differentia aliqua est, quia in Aphor. addit λύει verbum, quo caret præsens dictio, & audiuistis quam delectetur Hippoc. verbum sæpe omittere: hic habet lac in aph. neutiquam id scriprum inueniemus. Vt autem misterium Hippoc. plenè penetrare possitis duo sunt hoc loco animaduertenda Hippocr. tres affectus proponit, & duo remedia; tres affectus anxietatem, horrorem, & oscitationem, duo autem remedia, vinum æquale æquali, & lac. Quod ad anxietatem pertinet, hæc vox ἀλύκη apud Hippoc. idem est quod ἄλυσμός, & semper apud interpretes latinos traducitur anxietas, quid autem hæc sit declarat Galen. vbi dicir, quod quemadmodum sunt aliqui qui rebus præsentibus attristati, modò illuc ingenium actionemq; conuertunt: sic vbi ægri nullum decubitum ferunt, iam in hanc iam in illam partem præcipites feruntur hic affectus appellatur anxietudo. Vnde iure Erotia. solebat damnare Bachium, qui exstimauit nihil aliud esse quam impotentiam & errorem, nam vbi est anxietas (vt scribit Plut.) ibi quoq; est error mentis & iactario corporis, non autem vbi hæ sunt adest inquietudo. Sed quæ est huius affectus causa? quia humor acris & mordax ori ventriculi infigitur vnde cum homines ex muratione loci non depellant causam, fit vt semper huc illuc ferantur. atq; hoc etiam Plut. sensit. Alter affectus est horror de quo sermonem habent Gal. lib. de horrore nec non de causis symp. & de diff. feb. dicebat esse vehementiorem frigore & debiliorem rigore. Sicut ergo est medius affectus inter rigorem & frigus: ita etiam est causa, humor acris & mordax mosculos aliasq; partes sensu præditas infestans. Vnde Hippocr. vocat horrorem debilem rigorem. Quod ad oscitationem pertinet alias locupletissime locuti sumus: iam satis est scire oscitationem quæ χάσμη ab Hippoc. vocatur, nihil aliud esse quàm expulsionem fuliginum crassarum factam a musculis oris. Videamus modò quomodo hæc remedia cõueniant. Vinum æquale æquali nihil aliud est, quàm commixtum pari quantitate aquæ. hoc accommodatissimum est ad superandos affectus: temperat acrimoniam humorum aqua, penetratq; vini ratione & discutit in anxietudine: in horrore pariter humores discutit ratione vini: & aquæ ratione, acrimoniam emendat: in oscitatione flatus dissoluit. Sed quid de lacte dicemus an conueniat? Nonnulli videntes hanc vocem in Aphor. non esse scriptam existimarunt esse delendam; quia sententiæ Aphor. sunt purgatæ. ego autem puto esse retinendam, quia omnes contextus habent. Neq; valet, quod in Aphor. non sit, quia semper debuisset respondere vt solent ea quæ ab Hippoc. referuntur in Aphoris. sed hoc remedium non semper, sed frequenter respondet, sępe inquam placando sua substantia & qualitate acrimoniam & mordacitatem bilis in anxietudine, & horrores; vt in oscitatione, compescendo & dimulcendo flatus, calore aliquo aliquando infestantes. Sed cum hi affectus sunt vel cum febre, vel sine febre, de quibus loquitur? ille huiusmodi nodum dissoluit, quia dat vinum, quod non conuenit febricitantibus, vt neq; lac, quia dicit lac dare caput dolentibus malum in febribus. Et notate cum huiusmodi affectus sine febre sint satis leues, & quæ facile possunt superari leuibus medicamentis. eapropter duo tãtum proponit & leuia medicamenta, & facile parabilia: quotidie enim vtebantur vino & lacte. idem vos facite, in magnis morbis vti semper debetis magnis remedijs: in leuibus medicamentis quæ vbiq; locorum obuiam sunt, non peregrinis semper inhiantes.

lib. 1. de mot. musc in fine et lib. 7. aph. 56.

lib. de morb.

ὤτος περιωδυνίῃ σικύην προσβάλλειν.

Ad dolorem circa aurem apponenda cucurbitula.

Sententia hæc practica est, & habetur quoq; in libro de iudicationibus apud Hippocr. & prima sectione huius secundi libri, sed differentia est, quia in prima sectione secundi libri habetur pro remedio lac, hoc in loco cucurbitula; ita vt in loco illo dicat dolorem aurium mitigari a lacte, nunc autem inquit ad dolorem circa aures adhibenda est cucurbitula. Cur autem hæc sententia diuersa est ab ea quam audiuistis duplex (vt ego colligo) est ratio; vna est, quia Hippoc. diuersis temporibus hos libros conscripsit, ex obseruationib. quotidianis. quare prout quotidie obseruabat ita ea in aduersarios suos redigebat. Vt minimè mirandum sit si vno loco vnum remedium proposuit, alio aliud. Est etiam alia ratio quia doloris aurium variæ sunt causæ: nonnunquam fit ab inflammatione, aliquando ob vapores & succos elatos. si fit ab inflammatione, lac accommodatissimum est remedium, vbi autem fit a copia humorum aut vaporum, cucutbitula conuenit. Sed vt perfectè intelligatis hanc practicam, vbi Medici dolorem curandum præ manibus habent, semper respicere debeat dolorē vt est symptoma & effectus, & debent respicere ad illius causam. Si vt symptoma, hoc est magni momenti, vel nullius, aut parui: Si non sit magni momenti curatur (vt Gal. tradit) ijs quę verè sunt anodina, & sunt calida in primo gradu: si sit magni momenti, etiam ad stupefacientia veniendum erit. Sed de huiusmodi dolore vt est purum symptoma hoc in loco non agit: si consideretur dolor, vt dependet a causa, tunc omne studium eo est deferendum, vt causa superetur. Quapropter cum consideraret Hippoc. hoc in loco dolorem vt dependet ab aliqua causa, adhibet remedium quod respicit causam, scilicet adhibitionem cucurbitulæ. Sed quia hoc Hippoc. consilium vniuersale est, altius penetrandum est. Cum ergo clarum est ad causam dirigi, scire operæpretium est causam doloris esse aliquando in ipsa parte, iam circa partem, nonnunquam in locis remotis a parte dolente: si sit in parte affecta tunc remedium est adhibendum ipsi parti affe-
lib. 11. meth. cap. 19 ctæ; quemadmodum Gal. præcipit, vbi dicit, cum pars aliqua phlegmone laborat (quando scilicet affectus & causa morbi est in parte dolente) huic remedia sunt adhibenda, si est circa partem affectam, cucurbitula ipsi parti adhibenda vt inflammatione oculorum cucurbitula occipit adhibita (vt ait Gal.) magnoperè prodest. si in parte remota, cucurbitulę sūt adhibēdæ ipsis partib. mittētib. causam ad locū dolentem, & idcirco cucurbitulę infernis partibus adhibentur quoties remotæ doloris materiam mittunt. Itaq; puto ego Hippoc. indefinitè esse locutum, vt comprehenderet omnem rationem medendi his dolorib. quasi dicat, si dolor est circa aures debet Medicus apponere cucurbitulam in parte affecta, proxima aut remota prout causa in hac aut in illa parte est collocata; Sed vnum scire oportet quod docet Gal. nunquam apponendam esse cucurbitulam partibus supernis, nisi prius sit
lib. 11. meth. cap. 19. euacuatum corpus vniuersum. An etiam adhibendo cucurbitulas partibus infernis necessarium est prius exinanire vniuersum corpus? nonnulli hoc existimarunt, sed mea sententia longè falluntur, quia Auic. de legibus mittendi sanguinē verba faciens inquit: cucurbi-
4. primi tulas scarificatas esse dicatas sectioni venæ, hoc est, esse loco venæ sectionis. Itaq; non est semper necessarium, sed in affectibus capitis est necessarium, vbi capiti partibusq; supernis sunt adhibendæ cucurbitulæ, non autem alias quia cucurbitulæ vim insignem habent attrahendi a partibus omnibus circunstantibus, si partes circumiacentes sunt repletæ sanguine procul dubio attrahunt ad locum affectum. Vnde quis non videt si caput sit affectum, & cucurbitula adhibeatur parti quæ capiti proxima est, attrahi materiam ad caput. In partibus infernis non est ita, quia cucutbitulæ attrahunt ad se a partibus nobilibus, a capite affecto.

ὅτι ἂν τῶν ἄνω πονέῃ, ἰδύῃ ἐς τὰ ἰσχία, ἢ ἐς τὰ γούνατα, καὶ ἄσθμα λύει πάντα τουτέων γινόμενον.

Quodcunq; ex superioribus laboret dolor in coxas, vel in genua, & asthma soluit omnia his fientibus.

Hæc sententia pariter scripta habetur apud Hippocr. & habetur repetita in quinta sectione huius libri; est autem sententia, labores partium superiorum solui a dolore superueniente coxarum, genuum, & astmate. Habet hæc sententia si recte expendatur connexionem cum superioribus, & habet etiam rationem: habet connexionem cum superioribus, quia supra loquitur de dolore, qui curatur arte, nunc loquitur de eodem dolore qui curatur beneficio naturæ. Adeo vt remedia artis & naturæ iungat, quasi velit nos docere, totam artem nostram esse imitationem puram ipsius naturæ. Habet etiam hæc sententia rationem, quia omnis ratio naturalis vult transmutationem materiæ morbificæ esse salutarem, vbi a loco affecto natura mouet. Vt autem Hippoc. misterium intelligatis tria sunt circa hanc partem consideratione digna, primum est, cur Hippocr. repetit hanc sententiam, habuit eam quinta sectione Epidem. & cur Hippoc. potius nominat dolorem coxæ, genuum, & astma, quam vllum alium affectum, quia sunt multi alij affectus, vbi superueniunt affectibus superioribus soluunt eos. aliud est, qua ratione dolores capitis soluantur dolore coxarum, genuum, & astmate. postremum, quid velit dicere Hippoc. quando ita loquitur, dolor coxarum, genuum, & astma, soluit omnia dum hæc fiunt, quis modus hic est locutionis Hippoc. Circa primum Hippoc. (quantum ego puto) iudicauit repetendã esse hanc sententiam, quia maximi momenti est, & quia differt a priori. audiatis differentiam. ita enim incedendum est vt possitis penetrare mysteria Hippoc. ibi loquitur de dolore nimirum in quinta sectione, hic de labore. preterea loco citato hypochondria, hic loco hypochondriorum genua apponit. præterea Hippoc. ibi loquitur de pectore in vniuersum, quod dicit, si fiat astma (qui est peculiaris pectoris affectus) soluit, Ita ego existimo de hac re esse dicendum, cum obseruarit superiora, etiam hanc rem obseruasse esse verissimam, scilicet quod quilibet labor capitis curatur per dolorem coxarum, genuũ, & astma. Sed cur potius (queadmadum dicebam) hos affectus commemorat quàm alios qui idem præstant? puto eum hoc fecisse, quia nullus est dolor partium inferiorum qui æquè liberet caput quàm affectus coxarum, genuum, astma: quia dolores coxarum & genuum sunt acerbissimi, sunt in locis quę maximè attrahaunt, maximè suscipiunt: & propterea possunt caput liberare, nam memini me alias legisse de quodam Polomone qui laborabat podagra, quidam eum reformidabat adire, hoc cũ ille aduertisset, dixit veni, quia animus non laborat podagra. Quod ideo dico vt sciatis dolorem coxæ & genuum liberare caput. Sed dubitabit aliquis vestrum verum quidem esse, dolorem genuum & coxarũ liberare caput, sed non ita videtur esse verum, quod quæ sunt in pectore mala liberent caput quia videmus in affectibus pectoris coaffici cerebrum in pleuriticis fiunt deliria, quomodo ergo potest fieri vt astma liberet dolores capitis? Dupliciter potest responderi primum vocem hanc λύειν significare interdum apud Hippocr. verè soluere, interdum non verè liberare, sed finire illum dolorem: habetis hoc traditum a Gal. & habetis exempla Hippoc. quidicit mamniam superuenientem soluere varices; quis modus est soluendi? sic in coac. prænotio. inquit. Hippoc. delirium soluere tremorem febrium, hoc verbum λύειν non proprie accipitur, sed communiter: vult dicere Hippoc. quod his morbis superuenientibus occultantur alij morbi. Ita dicere possumus Hippoc. hoc loco dicere astma finire dolores partiũ superiorum, quia materia effectrix dolorum capitis mittitur in pectus. Ita Arist. dixit vitia auriũ sæpe transmutari in vitia pulmonum, translata materia ab aurib. in pectus. Erat secundo quærendum, quo pacto hæc transmutatio fiat a capite ad alias partes. primum fit per venas, & arterias, quæ cum maximæ ferantur ad coxas & genua, quæ sunt in continuo motu fit vt hæ partes incalescentes dilatent vasa: quæ dilatata promptius attrahunt & susci-

sec. 6. Aph. 26.

sec. 5. aph. 21.

sec. 33 prob. 1.

ſcipiunt materiam, eſt etiam alia via ſubtus cutim quæ monſtrata eſt nobis ab Hippoc. vbi dicit ſæpe contingere vt humores a capite ad coxas ferantur, & ibi firmari morbum, & liberare ægrum a peiori. De aſtmate ſciendum, eſt quod ſcribit Gal. 6. aph. 40. nec non 6. epid. ſec. 4. ibi enim habet Gal. non ſemper ſignificare ſpetiem aliquam particularem difficultatis anhelitus, ſed omne genus difficultatis ſpirandi: fit autem ea propter materia in hærentem pulmonibns, quæ ſuapte natura grauis facile a capite præcipitatur in pulmones, vbi infixa facit aſtma. tertium & poſtremum cur Hipp. addat hæc verba, omnia ſolui dum hæc fiunt: primo quod dicat omnia ſolui, duplicem rationem habet, quia dixerat ſi laborat caput, hæc vox τίνοι ſignificat omnem affectum grauem capitis, quando ergo dicit omnia ſolui dicit omnes alios affectus, & dolores capitis tolli, & tanta vis attrahendi eſt vt ſæpe cogantur Medici curare generari podagram in magnis capitis doloribus, vt Gal. quid hoc eſt dum hæc fiunt? dolores qui alijs doloribus copulantur, vel ſolent præcedere, qui nunquam ſoluunt; vt ſi quiſquam laboret pleuritide, hæc dolore capitis ſuperueniente nunquam ſoluitur, vel ſolent ſubſequi, qui ſubſequntur affectus ſoluunt. Sed quid iuuat ſcire hanc ſententiam Hippoc. cum ad faciendum iuditium, tum ad curationem, ad iuditium faciendum, quia quotieſcunq; dolor dolori ſuccedit, ſemper ſperare debetis antiquum ſolutum iri, & tum maximè, quando affectus partium inferiorum ſuperuenit ſuperioribus. Ad curationem pariter confert quia ſicuti natura curat affectus supernarũ partium ac capitis, per affectus inferiorum partium, ita debet Medicus ad curandos affectus capitis, prouocare affectus partiũ inferiorum, & hac ratione videre poteſtis quantopere conferant cauteria ſubtus genu in affectibus partium ſupernarum adhibita, quæ vim eandem habent, quàm dolores genuum, & coxarum.

li meth. med. [margin note beside "omnia ſolui dicit…"]

Ἐν εἰλεῷ λαπαρῷ ψυχρὸν οἶνον πολλὸν ἄκρητον κατὰ λόγον δεδόναι ἐς ἂν ὕπνος ἢ σκελέων ὀδύνη γένηται. λύει δὲ καὶ πυρετὸς καὶ δυσεντερίη ἄνευ ὀδύνης.

In volulo molli frigidum vinum multum merum ſecundum rationem dare oportet, donec ſomnus vel crurũ dolor fiat ſoluit autem & febris, & dyſenteria ſine dolore.

Hæc ſententia quæ ſcripta quoq; inuenitur lib. de iudicationibus habet miras ſpeculationes, & ni fallor, ſi attenderitis & fructum & voluptatem percipietis. Habet autem duas partes; quarum prior eſt in voluulo molli frigidum vinum multum, & merum ſecundum rationem dare oportet donec fiat, ſomnus, & dolor coxæ. Secunda pars eſt, febris autem ſoluit, ſed dyſenteria ſine dolore. Vt autem guſtare poſſitis admirandam Hipp. doctrinam, ſigillatim vnã quamq; partem examinabimus, & circa primam quatuor videre oportet, quis affectus ſit voluulus mollis, ſecundum erit, qua ratione in hac ægritudine vinum multum & merum conferat. tertium erat, quæ ſit illa ratio dandi vinum quam conſtituit Hippoc. quartum erit, cur addat Hippoc. donec fiat ſomnus, vel dolor coxæ. Quod attinet ad primum. Affectus a Gal. conuoluulus nominatus, vocatur a græcis εἰλεός: quæ vox frequentiſſima eſt apud Hippoc. & alios Medicos; hunc Diocles Caryſtius Cordapſon vocauit, vt habetur apud Celſ. Ratio autem huius vocis eſt, quia (vt docuit Gal. & Aret.) in hoc affectu videntur inteſtina veluti conuolui. Eſt autem hic affectus vt dicit Gal. & Aret. loco citato morbus in via, & eſt impedimentũ quoddam inteſtnorum gracilium arq; craſſorum ob quod impedimentum cum cibi & fœces non poſſunt exire imo neque ſpiritus (vt inquit Celſus) fit vt reſtagnent in fauces, qui affectus adeo miſerandus eſt, vt gens barbara appellarit miſerere mei. locus affectus (vt Gal. annotauit) eſt propriè inteſtinũ tenue, ſed Veteres etiam in craſſis inteſtinis. fieri cenſuerunt, inter quos fuit Hippoc. qui narrat hiſtoriam mulieris laborantis hoc morbo, vbi Gal. vult fuiſſe in inteſtinis craſſis imo exponens illum locum dicit voluulum in inteſtinis craſſis eſſe periculoſiorem, quam ille ſit qui eſt in tenuibus. Idem Hippoc. habet. Et Diocles Caryſtius cordapſon appellabat

lib 4. cap. 13 et lib. 2. meth. med. lib 2 acutor. cap. 6. [margin note beside "cauit, vt habetur apud Celſ."]

li 6. Aph. 44. & lib. 3. Epid. ſec. 2. com. 6. lib. 4. de morb [margin note beside "tenue, ſed Veteres…"]

habat eum qui fiebat in intestinis tenuibus: quando erat in crassioribus ileum vt Celsus scriptum nobis reliquit. Sed hoc in loco nota te rem forsan a nemine, ante Mercurialem posteris tra ditam: nunquam videbitis apud Veteres mentionem fieri doloris colici tempore Plinij,& Celsi dntaxat hoc nomen apud Medicos irrepsit. Veteres semper comple xi sunt hunc affectum nomine ilei. Itaq; Hippoc. semper aut plærunq; nomine ilei intelligit dolorem colicum, hinc Plin. deceptus fuit, qui dixit omnium primum Tyberium Imperatorem fuisse expertum dolorem hunc colicum. Verum est quod ita cœperit hic affectus nominari tempore Tyberij, qui fuit tempore Celsi, quia certissimum est prius fuisse. *lib.26.cap.1.* Causa huius morbi duplex est, vel enim est tumor inflammatorius factus in intestinis tenuioribus, qui ita conuoluit intestina, vt non pateat exitus: vel est humor crassus & viscidus obstruens pariter intestina, quando est conuoluulus a tumore inflammatorio, est morbus acutus, vt Cel. dicit, cæterum ille qui fit ab humore frigido & viscido, tardus potius est morbus, ita appellat Hippoc. Sed cum duplex sit hic affectus, quis est voluulus ille mollis de quo loquitur Hippocr. Certe non est existimandum esse illum qui fit ab inflammatione, quia dat Hippoc. vinum & multum & merum. Iam non confert in affectu inflammatorio vinum, imò refert Cels. nihil vinosi conuenire in voluulo ab inflammatione. Intelligit ergo Hippoc. de voluulo ab humoribus frigidis viscidis & crassis, idq; confirmatur adhuc magis, quia hæc vox κατάρων quæ est vsitatissima Hipp. inter multas significationes quas habet, hæc vna est, quod significat rem paruam, sic in lib. de morb. gargaleoni paruo opponit magnam. præterea idem Hippoc. loquens de liene κατάρνι tum do, & duro lieni opponit & sexto Epid. com. 3. tex 32. vbi & ipse Gal. mentionem facit dolores lateris κατάρου hoc est mollis. Adeo vt manifestissimum sit voluulum mollem esse tumorem, seu impedimentum intestinorum modò tenuium, modò crassorum, quod impedimentum fit ab humore frigido, viscido & crasso. Videamus iam qua ratione Hippocrat. vult dare vinum multum, & merum. potest hic morbus folui dissipatione, vel potest finiri, quia materia potest transmutari ab vno loco ad alium. Vbi morbus finiendus est per dissipationem fit, quia a calore natiuo humor conuertitur in vaporem: per transmutationem, quia à re tenui, velut a quodam vecte depellitur ab vno loco ad alium. Hoc ergo constituto, videre quisq; vestrum potest, qua ratione vinum multum & merum confert. nam vinum ratione caliditatis dissipat, ratione copiæ depellit a loco ad locum. adeo vt siue volumus dissipare hunc humorem frigidum, siue ad alium locum depellere, conuenit vinum multum & merum. Nam id debet Medicus semper studere, vt remedia adhibeat quę si non vno modo prosint, alio modo conferant. Sed cur dat in materia frigida frigidum vinum? nonnulli existimarunt consuluisse hoc Hippoc. ne vomerent: quia qui voluulo morbo laborant, valde propensi sunt ad vomitum, vinum calidum facillimè vomitum excitat, hinc veteres ad prouocandum vomitum vtebantur vino tepido non secus atq; nos tepidis aquis. Ego non damno hanc rationem puto tamen aliam etiam referri posse, quæ est, vinum immensè frigidum extinguit calorem natiuum, quod moderatè est frigidum magis calefacit, quia frigus cogit & auget magis calorem. Quare puto ego etiã frigidum vinũ dari voluisse, vt maiorem calorem faceret, qui facilius materiam frigidam, fomitem morbi dissiparet. Circa tertium, aliqui putarunt hanc rationem esse vt detur paulatim ne vomitus excitetur, imò rectè vult dari multum, vt depellat a loco ad locum. Sed regula rectè administrandi vinum est illa quæ omnibus actionibus conuenit, scriptaque habetur apud Arist. vt semper animaduertatur quid sit, quando, quomodo, & vbi, & dicitur quoq; apud Ouidium & data non apto tempore vina nocent. Hæc era tergo vera ratio præbendi vinum merum, multum, & frigidum. Erat quartum, cur dicit Hippoc. dari debere, donec fiat somnus & dolor coxæ. Dixi hunc morbum, vel dissipatione, vel transmutatione finiri, vbi finitur dissipatione, eleuantur vapores in cerebrum, qui occludentes meatus inducunt somnum. fit etiam in transmutatione humorum, vt huc illuc ferantur, & cum coxa sit locus proximus intestinis, facile fertur humor in coxam, & dolorem infert. Videte Paul. vbi narrat vagasse sub ditione Romana tempore suo morbum *lib.3.cap.43.*

libr. de morb. intern.

lib. de aff. int.

quem-

quendam colicum qui aliquibus in comitialem morbum, aliquibus in artuum resolutionem vertebatur, tanquã in crisi causa aliorsum ex loco quem infestauerat conuersa. Adeo vt verissime dicat finiri somno vel dolore coxæ. Sed quæ est ratio propter quam possit humor depelli ab intestinis ad articulos? Id fit tribus modis, vnus est, quem Hippoc. nobis proponit sexto Epidem. scilicet quod natura prudens sæpe sponte nobis reperit vias arcanas, ita vt non sint quærendæ viæ apud naturam. alius modus est, quia eadem materia quæ a capite delabitur ad intestina, præcipitari potest ad articulos. tertius, quia in dolore ilei exagitantur articuli, incalescunt, hinc fit vt humor attenuatus feratur in iecur, & deinde in articulos. Erat secunda pars, soluit autem febris, vel dysenteria sine dolore, Notate mirabile artificium, prius dixit, qua arte sit curandus hic morbus, nunc dicit quomodo natura curat. Et hoc verissimũ est naturã aliquando curare morbum morbo. curat eadem ratione, qua ars dissipando & transmutando humorem a loco ad locum. idem facit natura, febris dissipat suo calore hunc morbum, vt vinum merum: vinum ratione copiæ depellit: ita etiam natura in transmutando materiam morbi a tenuibus ad crassa intestina facit fluxum alui. Sed duo hic sunt inquirenda, quomodo dicat, dysenteriam soluere & sine dolore; primum autem non videtur rationi consentaneum ab humore frigido fieri dysenteriam, quia dysenteria fit ab humoribus calidis, acribus, & biliosis præterea statuamus ita esse, nulla dysenteria est sine dolore, quia dysẽteria est vlcus, solutio cõtinui. Aliud consideratione dignum est, cur Hippoc. quando proponit auxilia artis, dicit dare oportet vinum multum merum & frigidum, vbi autem proponit remedia naturæ dicit: soluit febris, & dysenteria sine dolore. Circa primum dupliciter responderi potest, vno modo dysenteriam dupliciter accipi posse secundum doctrinam Hipp. vel enim propriè accipitur pro vlcere intestinorũ, vel communiter pro omni alui fluxu. hoc in loco loquitur de dysenteria communiter accepta, hoc est de alui fluxu: quasi alui fluxus finiat volulum. Atq; hinc Medici semper student alui fluxum facere in volulo curando. Potest etiam responderi, dysenteriam fieri sine dolore insigni; vbi enim frigidi humores diu retinentur, putredinem concipiunt, atq; acrimoniam, & hinc fit vlcus. Sed quia materia frigida est, dolor est exiguus igitur intelligendũ est de dysenteria sine dolore a materia frigida. Circa postremũ, in facienda Medicina nihil præstat Medicus, sola natura curat, adhibet Medicus tantum remedium, propterea vbi loquitur Hippoc. de Medico munere, inquit dare oportet, quando autem natura curat nõ potest hæc diei adhibere remedium, sed soluere maximè propriè.

Ἢν ὑποχόνδριον τεταμένον ᾖ, πιέζειν τῇ χειρὶ καὶ λούειν, ὕδατος, ὀρισμένῳ γάλακτος ἑκτὼ κοτύλας δοῦναι πιεῖν. ἢν δὲ ἐμέῃ καὶ μὴ πίνῃ μύττωτον δριμύ.

Si hypochondrium tensum sit premere manu & lauare, aquæ, suprastãtis lasti octo heminas dare ad potandum. Sin autem vomat & non bibat, allij intritum acre.

Hæc proposita sententia si bene consideretur aliquam cum superiori connexionem habet, quandoquidem vt in superiori Hippoc. locutus est de volulo, qui est affectus intestinorum a causa frigida, ita in præsenti sententia de hypochondriorum tensiui doloris curatione sermonem facit. Illud tamen ante cætera notandum est quandam particulam de reduuia esse interpositam huic, quam necesse est suo loco reponere, vt audietis. Est autem tota Hippoc. sententia si hypochondrium tensum sit, premere manum oportet, & lauare, octo heminas seri dare: quod si non iuuat, intrito acri vtendum est. Hæc est tota sententia, quam ante aliam ponere necesse est. In qua illud primum animaduertendum est Hippoc. proponere remedia externa & interna: externa sunt premere manum & lauare, interna remedia sunt serum & intritum acre. Hoc autem docet nos Hipp. in medicina facienda non esse multitudine remediorum obruenda ingenia, sed ea tantum esse proponenda

nenda quæ possunt ingenium illuminare, & detegere rationem ac methodum medendi. Tria breuiter nobis sunt videnda primum quid sit hypochondrium τεταμένον hoc est tensum, secundo quo pacto hæc remedia huic affectui sunt accommodatissima, postremo cur Hippoc. in enumerandis remedijs, prius proponit externa remedia quam interna, nam lege contrariam habemus, non esse externa remedia adhibenda, nisi prius sit euacuatum totum corpus per interna. Igitur videtur Hippoc. recedere a sua lege. Hipochondrium (quod ita a græcis atq; latinis appellatur, licet Celsus appellauit præcordia) est tota pars exossis inter pectinem & costas, & cum inter hoc spatium viscera omnia naturalia sunt collocata, ratio vult vt sint mollia, vt ille locus sit humidus & calidus, quia debet ibi fieri coctio. & nota te quod Aristot. scripsit, hypochondria prius fieri carnosiora, & vltimum esse quod consumitur. adeo vt naturali quadam prouidentia semper status hypochondriorum quam diutissime eius fieri possit custodiatur: quia cum eo in loco debeat fabricari nutrimentum & augumentum toti corpori, ipsiq; naturæ, æquum erat vt deberet omnium maxime conseruari. Igitur vbi hic locus recedit a sua mollitie, apertissimum est recedere a sanitate, & partem illam esse morbosam. Recedit autem hypochondrium a sanitate quando fit durum & tensum, quia debet esse molle & laxum. fit autem tensum hypochondrium, quando repletur, quemadmodum vtres repleti liquore vel flatu tenduntur. De hoc itaq; affectu loquitur Hippoc. quando hypochondrium ita repletur humore, vel flatu, vt durum fiat & tensum. Sed pro curando hoc affectu quas debet Medicus habere indicationes? prima est, vt locus hic redigatur ad suam naturam, vt plena vasa exinaniantur. sed primum debet dolorem omnem auferre. alia indicatio est, vt ea materia quæ facit illum tumorem e medio tollatur. Hos itaq; duos scopos cum videret Hippocr. noster iure accommodatissima remedia nobis proponit. & primum proponit remedia externa, scilicet vt prematur manu, si hoc non iuuat, vt fiat fomentum. nam hæc vox λούειν apud Hipp. sæpe significat fouere, vt in libris muliebribus, atq; in lib. de locis in homine, præsertim vbi loquitur de fracturis ossis capitis. Quod pertinet ad compressionem manufactam certe hoc auxilium vim habet calefaciendi ac discutiendi flatus, & consequenter relaxandi hypochondrium. eandem vim habet fomentum factum ex decocto aliquo relaxante, cum malua, fœnu græco & similibus. Et quod hæc sit vera ratio, videte Gal. primo contextu secundi de vict. acut. ibi enim Gal. monstrat in omnibus affectibus dolorificis studendum esse vt partes exinaniantur, & relaxentur, vt non fiat continui solutio, & consequenter prohibeatur dolor. Vbi autem minime succedit, vt his remedijs tensio auferatur, alia indicatio est perficienda, & euacuanda est materia. propterea his duobus remedijs ex sero, & intrito acri vult nos docere Hippocr. vbi exinanita sunt vasa & dolorem sedauimus, conuertendum esse studium ad materiam euacuandam. & hoc videte apud Hippoc. vbi in pleuritide dixit: prius vtendum esse fomentis, deinde euacuatorijs remedijs venæ sectione si dolor ad clauiculas pertinet, purgatione si ad hypochondria. Itaq; cum hoc præceptum sit firmum, videri potestis quam recte dicit, vbi hypochondria ipsa sunt tensa purgationem esse moliendam, neglæcta venæ sectione. Sed purgatio hypochondriorum qua ratione fit? hypochondria solent duobus modis commodissime euacuari, aluo, & vrina, nulla est alia ratio euacuandi fœliciter hypochondria, quam per vrinam, & aluum: & per vomitum ventriculus: per sputum pectus. Itaq; proponit duo remedia ad aluum, & vrinam; ad aluum serum; quod vt aluum moueat solet varijs modis exhiberi, vel alteratum, vel in magna copia. alterari consueuit serum ad purgandum duobus modis, primus modus indicatur a Gal. vbi docet, serum purgatorium præparandum esse oxymelite. alius modus est ille qui libro quinto Aphorism. 64. proponitur a Galeno quo in loco inquit, ad hoc vt soluat & purgare possit serum (& loquitur de hypochondrijs tensis) miscendum est sero mel & sal. Sed cur est quod Hippoc. non proponit serum alteratum, sed duntaxat in magna quantitate ad octo heminas, quæ sunt octuaginta vnciæ, pauloque minus quam octo libræ nostræ. Hypochondria vbi sunt tensa, semper suspicandum est lienne intumescat, ea propter Medicus in curando hoc affectu debet semper respicere ad lienem

lib.2.et 4.a

lib.4.de vi. acut.t.7.

lienem. nam Hippocr. libr. de affectibus internis dicit semper vtendum esse sero, nisi æger sit lienosus, atq; lib. 2. de morb. in erysipelate pulmonis laudat serum, sed dicit lienosis non conuenire, verum id quod in pauca quantitate acceptum ducere multum queat. Vt ergo hoc doceret, vult magna copia esse exhibendum, vt melius eluatur, & detrudat materiam magno impetu. nam dicit Hippoc. si vomatur, & non deglutiatur, conuertendum esse studium ad vrinam, quia hoc habuit in animo vt præberetur in magna quantitate, ne retentum in hypochondrijs læderet aliquo modo lienem; sed vno impetu eijceretur. Addit si vomatur, & nam deglutiatur vrinam esse prouocandam, quia dicit vtendum esse intrito acri. Erat autem μύττωτον vt narrat Gal. in expositione linguarum Hipp. & Erot. genus quoddam cibi ex allio seu cæpis quando fiebat ex allio σκόροδον, erat appellatum, quia allium multo est acrius cœpis. Hoc autem ita esse videte agud Iulium Pollucem, qui dicit μυττωτὸν σκόροδον vrinam mouet. atq; adeo vehementer vrinam mouet, vt dicat Aristot. 1. sec. Prob. 39. & 11. sect. prob. 6. non solum prouocare vrinam, sed fœtenter etiam eam reddere. Quapropter cum intentum haberet euacuare per vrinam, laudat allium, quod in hypochondrijs distentis & maximè vbi conuexa iecinoris pars obstructa atq; tumida, est vnicum præsidium est vrinam prouocare, quod ea pars sic melius, quemadmodum caua per aluum expurgetur. Plinius quoq; lib. 20. cap. 5. narrat Praxagoram in morbo lienis, qui fit obstrustis hypochondrijs vinum miscuisse. Sed cur preponit externa remedia internis, quoniam (vt perhibet Gal. initio 2. lib. de vict. rat. in morb. acut.) Medici debent ante cætera explorare quis sit morbus, an sit ab humore, an sit ex flatu, & debet primus dolorem tollere, vbi non potest dolorem tollere ad causam doloris animum conuertere debet. id quod fecit sæpe, præsertim lib. de vict. acut. Igitur vt doceret semper prius tentandum esse sedare dolorem & discutere, preposuit externa internis remedijs.

Παρωνυχίας κηκὶς μέλαινα ἐν μέλιτι.

Reduuia galla nigra in melle.

Sed video aliquem statim esse insurrecturum Hippoc. vult nos docere curationem reduuiæ. Ille vir qui ita est grauis, vt nil nisi difficilia cognitu, raraq; proponit, cum reduuia est vilissimus & despicatissimus morbus, vt habeatur etiam prouerbium in eos homines, qui sunt male occupati, quos solemus dicere, reduuiam curare. Et Cicero aduersus Roscium dicebat, ego qui cum debeam curare caput Roscij curo reduuiam. apud Plutarchũ etiam, aliquis laborans vitio Iecoris (vt color arguebat) adijt Medicum, vt curaret reduuiam neglecto magno morbo. Hæc vox παρωνυχία apud græcos plura significat, morbum quendam, & herbam, quæ proprietate quadam curat eum: de qua plura loquitur Gal. plu Diosc. Sed non loquitur Hipp. hoc loco de reduuia herba, sed de reduuia morbo. hic autẽ est duplex cõmemoratus apud scriptores græcos & latinos: vnus affectus est, quando summa illa cuticula quæ ambit vngues dilaceratur, scribit enim Festus huiusmodi affectũ appellatum esse interdum reduuiã rediuiã & reluuiam a resoluendo quia in hoc affectu resoluitur illa cuticula. alias affectus, est genus tumoris quoddam circa vngues, quod solet esse
lib. 5. cap. 81. maxime infestũ. barbari appellant panaritiũ græci παρωνύχιον, nos reduuiã. de hac Paulus sermonem habet. Cum igitur hi duo sint affectus non est existimandum loqui cum de priore illo affectu reduuia, quæ nullam molestiam affert, & est potius turpitudo, & affectus quem nullus fere curat, de quo veteres dixerunt velle curare reduuiam: sed de altera reduuia loquitur, hoc est tumore, qui solet mirum quàm molestare illam partem. Et hoc ita esse videte. Huiusmodi tumor fit a sanguine pituitoso putrefacto, & feruescente. & cum sit tumor, ac propterea morbus, habet sua tempora initium, augumentum, statum, declinationem, quemadmodum alij. In initio tumoris inflammatorij, seu non inflammatorij conuenit adstringere & repellere, in augumento magis repellere & concoquere materiam, in statu, omnino discutere & declinatione. Iam vero idem

propo-

propositum ab Hiopoc. est. galla, & nigra cum melle. galla omnis vim habet adstringendi, & maximè nigra, quæ appellatur a Diosc. omphacistis nostri Romanam nominant. mel habet facultatem concoquendi & dissipandi. Itaq; hoc medicamentum compositum est ex adstringentibus & dissipantibus. Quod si ita est, conuenit tempore augmenti & status. Vnde non potuit mihi placere opinio Pauli, qui dixit, conuenire in initio: quia cum sit compositum ex resoluente & adstringente, conuenit in augmento & statu, non autem in principio & declinatione. Sed cur proposuit remedium duntaxat augmento & statui accomodatum, non autem alijs temporibus? quia (vt intellexistis) huiusmodi morbus maxima tormenta facere solet, vt afferat vigilias & viuendi cupiditatem adimat: quod fit magis tempore augumenti & status. quare iure tradit remedia magis accommoda illis temporibus quæ maius negocium facessunt ægro.

ὥστε ἔχειν γυναῖκα ἐν γαστρί, πολύπια ὑπὲρ φλογὸς ὀπτῶντα ὡς θερμότατα, καὶ πλεῖστα ἡμίφλεκτα διδόναι τρώγειν. καὶ τρίψαντα λίτρον Αἰγύπτιον, καὶ κορίανον καὶ κύμινον κόλληκας ποιοῦντα, προστιθέναι τῷ αἰδοίῳ.

Mulier vt in vtero habeat. polypos paruos super flammam assatos, quam calidissimos, & plurinos semiustos ad edendum dare. & postquam nitrum Ægyptium contriueris & coriandrum, & cuminum trociscos facere, et apponere pudendis.

Tanta fuit semper hominibus prolis cupiditas, vt hæc omni ingenio inquiratur: quo fit vt credibile est ipsum semper fuisse sollicitatum a mulieribus & alijs, ac multa docuisse; quemadmodum apparet in morbis mulierum. Atq; ideò putandum est in his libris aliqua etiam hac de re annotasse, & forsan quæ vsu & experientia compererat vtilia. Vnde nunc duo proponi; alterum a proprietate; alterum a causa manifesta, quod ad conceptum facere putauit. primum est polypos dare paruos, assatos super flammam quam calidissimos plurimos & semiustos. secundum est pastillos vuluæ apponere, factos ex ægyptio, cumino & coriandro. Circa primum oportet indagare quæ sit sterelitas, quam nunc curat Hippoc. & cur polipos paruos assatos super flammam quam calidissimos plures & semiustos commendat. Cum remedia indicentur a natura ægritudinis, ea propter qualia sunt remedia, talem esse contrariam ægritudinem afferendum est. Remedium quod adfert Hippoc. est polipus. polipus est animal marinum ex genere cæpiarum, multis pedib. hoc animal (vt perhibent Diocles, Plin. Athen. atq; etiam Gal. & omnes, est animal salacissimum, imò verò propter suam salacitatem scribunt interire, & si verum est quod omnes fatentur, singularem quandam potestatem habet ad concitandam in hominibus libidinem, prætetea ad prouocanda omnia purgamenta quoad interiora. Quomodo autem prouocet libidinem dubitari posset. Nonnulli existimarunt idcircò esse quia est difficilis coctionis: quæ difficiliter coquuntur excitant flatus; quę excitant flatus, inducunt tentiginem. Sum tamen ego huius sententiæ, aliqua alia vi arcana huiusmodi animal libidinem excitare. Sed quia polipi hoc non videntur simpliciter habere, neq; possunt ad hoc simpliciter commendari, videndum est quā facultatē vult habere polipum. Primum debet esse paruus polipus, quia polipi parui facilius coquuntur, nec habent carnes ita duras. alia ratio est, quoniam polipi vetusti quemadmodum cætera animalia, sunt magis infœcundi, habet enim senectus vt inertem omnem venerem reddat. quare vult esse paruos, vt habeant facultatem illam similem concipiendi. Præterea vult esse assatos, & super flammam. primum vult esse assatos, quia humiditas exerementitia impedit facultatem cōcipiendi ea propter opus est auferatur: aufertur autem per exiccationem. hinc est quod omnia assata humiditate excrementitia minus abubdant. Ita polipi assati habent quidem humiditatem naturalem copiosiorem, sed carent excrementitia, quæ adimitur assatione; Nam Hipp. 4. vic. acut. 37. inquit si febricitet debere pisces esse elixos; si sit sine febre assatos. quasi assatio adimat humiditatem illam exerementitiam. Sed cur potius vult assari super flammam? Veteres (vt alias monui) varios modos habebant assandi, & assabant super cineres,

carbones,& flammam : Gal. autem in fine consilij pro puero epileptico gloriatur sese inuenisse modum coquendi carnes clibano : vnde potestis colligere modum hunc esse optimum;sed tempore Hippoc. non erat in vsu,quia forsan commendasset. sed commendat modum assandi super flammam,vt distinguat ab assatione super cineres & carbones quæ sunt multo deteriores. Addit debere polipos esse multos, quia errant qui existimant vno vel altero remedio posse superari:opus est frequenti remedio, hoc est vt pluribus vicibus vtantur. Adijcit quoq; debere esse calidissimos,quia quæ sumuntur actu frigida, potius eneruant Venerem,quæ ad venerem excitandum sumuntur,debent esse calida actu. Adijcit postremo,debere esse semiustos,vt scilicet doceret,debere conseruari humiditatem illam natiuam,cui infixa est potestas illa adiuuandi veneris impetum. Ex his omnib. iam conspicere potestis ad quam sterilitatem conueniat. si enim vim habet calefaciendi,exiccandi,& arcanam facultatem ad libidinem concitandam;sterilitas nulla alia est,quam quæ fit ab intemperie frigida,& humida. Et cur potius de hac loquitur, quam de vlla alia? quia hæc frequentissima omnium fit a frigida & humida intemperie, & hinc fit vt ille qui sunt inertes ad venerem solent appellari frigidi. Subiungit Hippoc. remedium quod in vterum indendum est.est autem hoc vt teratur nitrum & Ægyptium,cuminum & coriandrum,atq; fiant pastilli,& hi deinde immittantur in vterum. Quo liquore sunt faciendi pastilli non docet:quare non docet? quia solers ingenium, hoc facile potest intelligere; sed quomodo hoc potest intelligere? ex scopo qui est vt calefiat & exiccetur vterus. Quapropter eligendus est illi liquor qui habet vim calefaciendi & exiccandi, & debet esse vinum. videte Hippoc. vbi loquens de sterilitate simile fere remedium apponit, & vult faciendum esse cum vino. Sed cur dicit nitrum ægyptium eligendum esse, primo de morb. mul. proponit rubrum? Certum est Ægyptias fœminas omnium esse fœcundissimas,vt Arist etiam dicat quinq: vno pertu edere, omnes scriptores tribuunt hanc fœcunditatem nitro,quia aqua Nili nitrosa est. vnde nitrum Ægyptium cum in Nilo faciat fœcunditatem, iure existimandum est conuenire. Et vult addi cuminum & coriandrum,quia calefaciunt & exiccant, Sed video dubitari quomodo cuminum ad libidinem excitandam, & prolem faciendam conferat,quia cuminum discutit flatus ex flatibus fit tentigo,ex tentigine conceptio. præterea Arist. afferens rationem cur vetitum esset tempore belli ferre menram,quia(inquit) consumit geniturам : igitur simile est expectandum de cumino. Respondendum est ad faciendam fœcunditatem & consequenter excitandam venerem, valere quidem flatuosa,sed illa tentigo est inefficax,non durat. verum spiritus naturales faciunt tentiginem, quapropter qui existimant ex vsu flatuosorum maxime foecundas euadere mulieres, maximè errant ; sunt spiritus naturales. Igitur cuminum quia aufert flatus,iure potius prodest,

lib.1. de morb. mul.

sec.30.prob.2

Ἢν ἐκ κραιπάλης κεφαλὴν ἀλγέῃ, οἴνου ἀκρήτου κοτύλην πιεῖν. ἢν δὲ ἄλλως κεφαλὴν ἀλγέῃ, ἄρτον θερμότατον σὺν οἴνῳ ἀκρήτῳ ἐσθίειν.

Si ex crapula caput doleat quis vini meri heminam bibat, si verò aliter caput doleat, panem quam calidissimum cum vino mero edere oportet.

Transit Hippoc. a fœcunditate,siue remedio sterilitatis,ad remedium ebrietatis,& forsan hoc fecit summo iudicio,quia(vt scribit Arist.) ebriosi omnes sunt infœcundi, semen ebriosorum omnium est infœcundum,& idcircò cum ante egit de foecunditate facienda. ebrietasq;foecunditatem extinguat,dat nunc remedium ebrietatis non adeo tritum. Sed videamus quæ nos vult docere Hippoc. his paucissimis verbis inquit:Si quisquam doleat caput propter crapulam, bibere oportet vini meri heminam. primum scire oportet nomen græcum κραιπάλην & latinum crapulam,(vt habet Galen. quinto Aphoris. 5.& Aet. lib. 4. significare omnem cruditatem & molestiam,quæ oritur a vini nimio vsu; cruditas autem hæc & molestia, duplex est;vel enim offendit animum & corpus, ita vt vtrunque afficia-

sec.3.prob.

afficiatur, vel offendit duntaxat animum: si vtriusq; appellatur μέθη a græcis, a nostris ebrietas veteres appellarunt vt tradunt festus & Tertull. helucum; si autem animus offendatur, & corpus si nihilominus mouet, appellanrur hi ab Arist. & à Plut. ἀκροθώρακες, quan quam Clemens Alexand. secus acceperit hoc nomen. De qua ergo crapula loquitur Hippoc. de vtraq; ille loquitur. Sed qua faculrate offendit animum crapula? omnes viden tur sentire ratione caliditaris: sed aromata omnia magis penetranr & calefaciunt caput, nihilominus nullum horum lædit capur. Arist. dixir propria vi & temperie vinum læde re caput; & propterea vis quędam peculiaris est in vino, merito cuius spiritus ita offendun tur, vt lædantur. Sed dicet aliquis vestrum, qui fieri potest vt noxa vini a vino pellatur, est enim Scorpio a Scorpione (vt Gal. scribit) non item a vino id fieri existimandum est. puto ego propter tres rationes commendari ab Hippoc. ad tollendum dolorem ebrietatis primum quia Hippoc. non loquitur de ebrietate dum est in augumento, sed dum est in declinatione, quia loquitur de dolore; dum ebrij sunt in illo impetu, non senriunr dolorē. In declinatione ebrietatis cur vinum valet? quia post ebrietatem relinquitur sucus crudus, qui dum mittit vapores in capur, facit dolorem capitis. vinum discutit vapores illos, crudosq; succos dissoluit. Atq; hoc scola illa Salernitana in aureis illis carminibus docet.

sec. 3 prob. 2. & 26. *3 symp. c. 8.* *sec. 3. prob.* *libr. de antid.*

Quod si forte tibi noceat potatio vini
Hoc matutina rebibas, & e rit medicina.

Sed moderatè bibendum est ad heminam ex consilio Hippocr. hoc est vncias decem. alia ratio est a calore vini refrigeratur mirum in modum corpus, ac firmarur calor natiuus ac veluti suffocatur: & hinc est quod dicit Aristot. ebrios sæpe fieri hydropicos. & quod hoc etiam sit verum, inquit Plutar. & Terrull. veteres finxisse Bacchum hederatum, vt frigore hederæ auerteretur noxa caloris vini: quare etiam hac rarione laudandus est Hipp. hoc remedio vt frigus cōpescatur vini moderati vsu, caloreq; tertia ratio est, quod vbi fit quia flatus relinquunrur in cerebro, qui distendentes cerebrum inducunt dolorem, hac ratione conferr vinum, quia flatus discutit. Addit Hipp. si aliter capur doleat, præbendus est panis calidissimus, imò cum vino meracissimo. quid vult dicere Hippocr. si aliter fiat? aliqui existimarunt velle dicere, si est ratioue ventriculi. alij si fiat ex cardialgia, nam huiusmodi remedium commendarur eriam in cardialgia. Sed ego existimo nihil aliud velle eum intelligere, quam si a conrraria causa ebrietaris fiat dolor quæ est contraria causa ebrietatis? inedia. videte Auic. Gal. & omnes qui docuerunt etiam curare ebrietatem ab inedia. Igitur dicit sumendum esse panem calidissimum & vinum, quia nihil est quod æque statim reficiat vires, & detrimenra inedia auferat. atq; ideo diligenrissimus Homerus (vt inquit Alex.) quotiescunq; fingit aliquem hospitem hospitari apud amicum suū, semper affingit sibi apponi panem & vinum. quia ad reficiendas vires peregrinantium nihil æquè valer quàm panis, & vinum. vinnm, non quia nutrit, sed quia ranrū est vehiculum. Sed cur Hippoc. vult offerri panem calidissimum? panis calidus (quemadmodum scribit Hippoc.) flatus inducit, & sitim facit. quomodo ergo conferr in doloribus auferendis? Arist. quærens rationem cur panes frigidi & verusti non æque cohæreant, ac calidi, dicit idcirco esse, quia calidiores sunt humidiores, & habenr humiditatem magis lentam, quam frigidi, qui sunt albidiores, quia habenr parum humiditatis. In inedia venrriculus exiccatur, igirur humectandus est. sed ad humectandum ventriculum, nihil vtilius est quam quod habet humidirarem lenram, quod adhæreat. sed non videtur esse hæc resolutio probabilis, quod panes hac ratione sunt albidiores, quia sunt sicciores; sicciras enim magis videtur facere ad nigredinem, vt in plantis senibusque videri vnicuique licet, & habetis hoc apud Aristotelem in fine suorum Problematum, quomodo ergo dicit panes vetustos esse albidiores, quia sunt sicciores? Sicciras est priuario humidiraris, humiditas duplex est, aerea, vel acquea. quare duplex quoque est siccitas, alia quæ priuat humiditate

sec. 2. prob. 62. *libr. 4. de rat. vic. in morb. acut.* *sec. 21. prob. 4 & 6.*

tate aerea, alia, quæ priuat aquea; illa siccitas quæ priuat humiditate aerea, facit nigredinē quæ aquea, albedinem. Igitur in corporibus senescentibus fit nigredo, quia remanet aquea, & excrementitia humiditas, aerea autem absumitur. sic etiam inquit Aet. corpora denigrari a sole, quia absumitur humiditas aerea; cur est quod quanto magis vetustatem contrahit oleum, tanto magis albescit? quia consumitur magis, ac magis humiditas aerea.

Ἢν ἄνθρωπον θέρμη ἔχῃ μὴ ἀπὸ χολῆς, μηδὲ ἀπὸ φλέγματος, ἀλλ' ὑπὸ κόπου, ἢ ἄλλως πυρετήνῃ, ὕδωρ θερμῆναι πολλόν. ἔπειτα ὑπερχέων τὴν κεφαλὴν βρέχειν, μέχρις ἂν τοὺς πόδας ἱδρώσῃ, καὶ ἄλητον ἑψεῖν παχύτατον. ἐπὴν δὲ ἱδρώσῃ τοὺς πόδας, ἄλητον ὡς πλεῖστον καὶ θερμότατον ἐσθίειν, καὶ οἶνον ἄκρητον ἐπιπίνων, περιστελλόμενος ἱματίοις, ἀναπαυέσθω, εὐκόπως.

Si hominem febris capiat non a bile, neq; a pituita, sed vel a lassitudine, vel aliter febriat, aquam calefacere oportet multam, deinde superfundendo capiti illud madefacere donec pedibus sudet, farinam plurimam & calidissimam edens, ac vinū merum super bibens stragulis circumstratus quiescat sine lascitudine.

Quæ sequuntur ad finem huius libri a nonnullis interpretibus sunt omissa; cur hoc factum sit, ignoro, nisi dicere velimus, forsan contextum ipsorum caruisse his verbis. quia tamen video omnes contextus illa habere, & quia sunt eriam alicuius momenti pro medicina facienda, deliberaui duabus lectionibus absoluere, vt deinde possim auspicari clarissimum illud opus inclyti nostri Hippocr. de victus ratione in morbis acutis. Tota autem pars quæ sequitur, potest commode secari in duas partes prior continet curationem febris, & quatuor remedia, quæ affert pro curandis febribus. Cæterum dubitari posset de qua febre loquitur Hipp. & idcirco operæ pretium est, vt paulatim inuestigemus de qua febre loquatur. inquit ergo si calor hominem apprehenderit, non a bile, non a pituita, sed a lassitudine, aut alia aliqua causa, calefacere oportet multam aquam, & superfundere capiti donec pedes sudent. Ænigma purum videtur hæc sententia Hippocr. spero tamen me ita clare vobis eam explicaturum, vt veluti manu tangatis sensum ipso Hippoc. dignum. Tria (vt nostis) sunt genera febrium alia febris est hæctica, alia putrida, alia diaria. quod non loquatur de hæctica patet, quia vinum commendat, quod in febre hæctica non conuenit. Et notate hoc loco, Hippoc. nunquam meminisse huius nominis, nimirum febris hæcticæ. ergo ne eam non cognouit? imò verò sed sub nomine tabis semper nobis eam significauit. non loquitur de febre putrida, quia omnis febris putrida fit a bile, vel a pituita, sed excipit febrem a bile, vel pituita, ergo excipit omnem febrem putridam. Superest ergo vt loquatur Hippoc. hoc in loco de febre diaria. Nec mirari oportet Hippoc. solertissimum tractare de febre diaria, quia huiusmodi febres sæpe conuertantur in febres putridas, & propterea debet Medicus in ijs extinguendis non vulgarem operam ponere. Cæterum, quia sunt multæ diariæ, de qua loquitur Hippoc. dicit, si fiat a lassitudine, vel aliter: quid intelligat quando dicit fieri a lassitudine, satis est clarum. Sed quid significat, si aliter? vult dicere (vt dixi alias) contrarium, quasi dicat si fiat a contraria causa atq; hic sit sensus si fiat a laxa cute, aut astricta. Sed priusquam vlterius progrediamur, eximendus est scrupulus, qui oriri potest; nam dixi, omnem febrem putridam fieri a bile, vel pituita, sed certissimum est ex auctoritate Gal. & Auic. fieri etiam febres sanguinis, qui est diuersus humor, a bile & pituita. De febre sanguinea longa disputatio est, sed ad rem præsentem non pertinet. illud constituendum est, verum esse, omnem febrem putridam fieri a bile, vel pituita; & de sanguinea, quod scribit Gal. & Auic. scilicet vbi sanguinis putrescit, vel assatur, vt fiat febris, semper conuerti in bilem; adeo vt febris sanguinea vbi facta sit, semper appellanda febris biliosa, quia Hippoc. dixit, quod vbi putrescit, vel assatur sanguis, si eius pars flaua putrescit, fit bilis flaua, si crassior pars, fit melancholia, adeo, vt putrescente sanguine semper sit appellanda febris putrida. Atq; rem ita sese habere 6. Epid. sec. 6.

colli-

colligitce ex fine libri Hippocratis de natura humana, & lib. de art. vet. vbi dicit omnem
febrem fieri ab amaro, falso, vel acido. Et notate morem fuisse apud Hippoc. appellare
succos nomine saporum sicut elementa qualitatum. bilem flauam intelligit sub voce ama
ro, pituitam sub salso, & malancholiiam acido, quare videre potestis Hippoc. intelligere
nomine bilis & pituitę omnem febrem putridam. Inquit ergo Hippocr. si fiat febris a las-
situdine, aut alia de causa, multam aquam calefacere oportet, & caput perfundere, donec
pedes sudent. Vt autem huiusmodi doctrina diligenter a vobis comprehendatur, tria cir-
ca hæc verba sunt examinanda; cur dixit, si θέρμη hoc est calor corripiat hominem, solet e-
nim dicere si πῦρ hoc est ignis præterea quærere oportet cur Hippoc. in febre a lassitudine
& ab astrictione cutis commendet aquam calidam & multam, super caput fundi. postre-
mum est, quid velit significare Hippoc. quandò dicat, donec pedes sudent. Admirabilis
senex nullum verbũ habet quod non sit maximi vsus. Quod ad primũ attinet vsus est ma-
gno iudicio voce caloris, quia febris diaria est mitissima, & quod hæc non fiat in somnia
videte Gal. & plæris alijs in locis. Gal. ve satissimus in Hipp. doctrina, dicit, quotiescun- 1. Epi. agro 6.
que vtitur Hipp. hac voce caloris intelligit febrem mitem & blandam, quia febris vehe-
mens appellatur πῦρ ergo quotiescunq; dicit si ignis hominem corripiat; intelligendum
est de febre magna quando, vero scribit, si calor hominem præhendat, de febre miti ac
blanda. Quod ad secundum pertinet; maximo etiam juditio hoc dixit, siquidem vbi fe-
bris fit ex lassitudine, emolliendum, humectandum, & relaxandum est corpus a labore exi-
catum. Sed cur Hippocr. dicit de capite, & non de corpore? quia vbi quispiam febricitat
ex labore, & lassitudine semper caput maxime laborat, quia semper cerebrum in labore
præsertim si sit sub dio aut sole, maximè afficitur. Sed cur laudat aquam calidam, & mul-
tam ad lassitudinem maxime valent balnea aquæ tepentis, quæ frequentissime erant in
vsu apud veteres, quod omnes lassitudines maximè recreant: vult autem Hippoc: multã
aquam affundi, quia ipse mirabili sua experientia, & vsu comprobauit magnitudinem re-
mediorum valde efficacem esse: & memini me legisse apud Hippoc: se mulieri laboranti
fluxu sanguinis triginta heminas aquæ affundisse: sed cur dicit affundendam esse aquam
calidam multam donec pedes sudent; ad quid debemus expectare donec pedes sudent?
Arist. duo dicit maxime facientia ad hoc, vnum est, pedes & partes omnes infernas minus Sec. 2. prob.
& tardius sudare quam supernæ. Et hoc facile vnusquisq; vestrum experientia compro- 20 23 25.
bare potest præterea inquit Arist. quod homines dum laborant, semper minus sudant,
quã cum quieuerint a labore, quia vbi laboramus, corpus maximè incalescit intumescit,
& velut inflatur in hoc tumore conniuent meatus carnis & cutis, in hac conniuentia non
potest sudor exire, vbi quieuimus, subsidet ille tumor, & patent meatus, exitquæ sudor.
Non ergo loquitur de febre quæ fit a labore, ęquum est intelligere suppressum esse sudo-
rẽ quare, prouidendũ est vt corpus sudet maxime si post laborẽ secuuta sit cõstrictio cutis.
Cum ergo dicit, donec sudent pedes, vult dicere donec sudet totũ corpus, sudor enim pe-
dum indicat sudorẽ totius. Post hæc sequitur Hipp. proponere alia remedia, & duplex
remedium est quod proponit, vt offeratur farina crassa, calida, & deinde super bibat vi-
num satinam Hipp. proponit, quia (vt alias dixi) erat fere cibus quotidianus, in frequen-
tissimo vsu erat apud veteres polenta, vnde æquius erat cum loqueretur de diaria propo-
nere cibum quotidianum, quemadmodum nos solemus præscribere panatellum. Sic
itaq; facit, proponit farinam & crassam tanquam, cibum quotidianum. Sed cur calidam?
quia cum corpus laborauit, semper habent imbecilas vires, & languidum calorẽ, & præser-
tim ventriculi quare si cibus frigidus offeratur tunc temporis, ęgre concoquitur; & discite
hoc, vt ægris semper calidi cibi actu offerantur, quia in ægrotantibus semper calor ventri-
culi naturalis infirmus est. quare opus est semper exhibere eos cibos qui possunt facile cõ-
coqui. Sed cur dicit vinum esse superbibendum? supra cum Hippoc. loqueretur de do-
lore capitis, vult dandum esse panem cum vino, nunc dicit dandum esse primum panem,
deinde vinum. hic latet magna Hippoc. prudentia. Si vinum commisceatur cicutæ, enecat
cicutam, secundum aliquos, si superbibatur, auget illius venenum. adeo vt differentia sit

sic si

ficſi vtamur vino cum farina vel pane iugulantur nō eleuantur vapores: ſi bibatur ſolum eleuantur ad caput. Quare cum Hippoc. loqueretur ſuperius de dolore capitis, ratio poſtulabat, vt proſpiceret, ne vinum peteret caput: & idcirco commiſcebat vinum pani: hic opus eſt calefacere, roborare, recreare, cum maxime caput ſit affectum: primum nutrit deinde recreat, poſtmodum recreat ſemper caput, vinum enim poſt cibum datum roborat caput, ſi eget robore, ſi offenſum & infirmū eſt offendit: & idcirco dicit Hipp. qui habent caput infirmū, non debent claudere vino ſed cibo ſtomachum. Alex. A, hr. quærens rationem cur in languore virium in febribus damus vinum cum pane, dicit poſt multa alia ſem per Homerum panem proponere vino, ſemper inquit oblatus eſt panis & vinum non dicit vinum & panis quia panis eſt verum nutrimentum, vinum non nutrit ſine pane. Igitur dicit hoc facit Homerus docens ſemper cibum antecedere debere potum. Tertium remediū quod proponit Hipp. eſt, vt æger qui laborat hac febre poſt ſudorē, & cibū ſumptū, debeat ſe ſtragulis cooperire, & quieſcere. cur hoc pręcipit Hippoc. in febre cū virib. debilib. quia vbi corpora ſudarūt nihil pernitioſius eſt quā corpora aeri externo opponere, quā cū corpora illorū ſunt laxa, aer externus intimius penetrat, & propterea magnopere tūc ferit vires lāguētes, & calorem hebetatū. vnde qui ſudarunt debent ſeſe maxime cooperire, ne apertos meatus corporis aer ingrediatur, & magis lædat. quod etiā Hipp. quietē præcipit, non ſine magno iudicio hoc facit quia dicebat prudentiſſimus ſenex, vbi quiſpiam laborauit quies ſtatim laſſitudinem aufert: quare vbi loquitur de febre ex laſſitudine, iure quietem imperat, quia hæc ſoluit laſſitudinem. Sed hoc etiam ruſtici ſciunt, quomodo præceptum ita vulgare relinquit, a nimio labore quietem eſſe remedium. hoc myſteriū Hippoc. nemo ſatis intelligit, niſi primum librum meum gymnaſticorum exacte & diligenter legerit, nam veteres vbi ſeſe exercuiſſent, ſolebant aliud genus exercitationis facere, quod appellabant ἀποθεραπείαν, quemadmodum equos (ſi licet nos brutis comparare) vibemus parum ambulare poſtquam diu multumq; exerciti ſunt. Vult ergo dicere Hippocr. non debere facere hanc ἀποθεραπείαν ſed penitus eſſe quieſcendum, quia eſt febris a laſſitudine, quæ quietem ex præcepto Hippoc. requirit.

Sec. 2. prob. 52. (margin, beside "per Homerum")

ἢ μὴν ναρκίσσου δύο ἢ τρεῖς κεφαλὰς ἐπὶ τῷ δείπνῳ ἐσθιέτω.

Vel narciſſi duo aut tria capita poſt cœnam edat.

Putarunt aliqui totam hanc particulam legendam eſſe copulatiuè, quaſi Hippocr. poſt alia remedia adducat etiam hoc, vt pro prouocanda vrina, edantur duo, vel tria capita narciſci. Sed cum videam Dioſcoridem docere narciſſum ſiue edatur, ſiue bibatur, excitare vomitum; exiſtimarem omninò legendam eſſe hanc particulam, ſicut eſt; quaſi dicat, ſi prædicta medicamenta nō adminiſtrabuntur, vel ſi ſine fructu, capienda ſunt duo vel tria capita narciſci, ſcilicet vt vomitus excitetur: nam videbitis veteres cum proſpera valetudine fruerentur atq; cum aduerſa maxime commendaſſe vomitum, ſane, vt cibos magis ingurgitare poſſent. hoc habetis apud omnes, penè ſcriptores, & præſertim de Vitellio, qui quotidie bis euomebat, vt poſſet ſe magis ſæpiuſq; cibos implere, gulæq; inſeruire. maior tamen pars poſt cœnam ſolebat vomitum excitare, quia parcè prandebant & liberaliſſime cœnabant. Ad vomitum autem prouocandum, vtebantur cibis pinguibus, & multis, & deinde alio medicamento. Hippoc. tradit rationem ciendi vomitum ſine moleſtia; commendat, vt edantur pinguia, multaq; & ficus præſertim addit deinde vomendum eſſe donec ficus exeant Ariſt. (qui hunc morem norat) quærit rationem cur ficus vltimo edatur, & cur vltimo euomatur, quia æquum eſt, vt primo exiret, vltimo aſſumpta, grauitati illius attribuit quia petit fundum. Sed pace Ariſt. dixerim, mihi videtur longe lateq; feſelliſſe, quia ſunt multa quæ grauiora ſunt, vt caro bubula raphanus, aliaque quæ tamen non ex eunt poſtremo. quare vera ratio huius rei mea ſententia eſt, quia lenta eſt, & propterea adhæret parietib. ventriculi indeq; non eliditur, niſi totus cibus exierit, quare eſt

li. de inter. aff (margin, beside "multis, & deinde alio medicamento")

Sec. 22. prob. 1 (margin, beside "timo edatur")

recte verum præceptum Hippoc. sed alia ratione, quam scribit Arist. Vult. ergo ad curandas has febres exhibenda esse duo vel tria capita narcissi, neq; ob aliud nisi vt conciteтur vomitus. Sed circa hoc præceptum Hippocr. tria breuiter sunt consideranda, vt omnis hæc doctrina Hippoc. breuibus verbis explicata habeatur; primum est, cur in febre diaria excitet vomitum, quia febres diariæ sunt vilissimæ & ferè a medicis solent negligi. aliud est, cur potissimum præcipiat in ea febre quæ fit ex lassitudine, quæ corpora non parum defatigat. postremum est, cur Hippoc. potissimum velit edenda esse duo, vel tria capita narcissi, & post coenam. His rite explicatis videbitis, quam accommodatissimum præceptũ nobis hodierno die attulerit Hippoc. Quod ad primum attinet, res hunc in modum sese habet. Medicus in curãda febre diaria debet spectare ne diaria in febrẽ putridam trãseat; sunt autem suapte natura salubres, sed facilè conuertuntur in febres putridas. Ad hoc faciendum, oportet, vt remedia accõmodatissima febri adhibeantur, secundum vnũ quodq; genus. vbi hæc non conferunt, & febris adhuc perduret, debet conuertere studiũ ad euacuandum corpus. euacuatio fieri potest, vel per sanguinis missionem, vel per aluum, vel per vomitum, euacuatio per sanguinis missionem fit in ijs febribus, quæ fiunt ab obstructione, quemadmodum Galenus scriptum reliquit vbi præ cæteris laudat in his febribus sanguinis missionem, etiamsi inquit non adsit plenitudo, vel (vt Aetius græcus habet, & interpres vetus, atque Constantinus Africanus) si plenitudinis signa adsint. In illis febribus quæ fiunt à cruditate, vel a crapula, vel alia repletione, conuenit euacuatio per aluum. Sed quia Hippoc. non loquitur de his febribus, sed de febre diaria, a lassitudine, hinc omittit euacuationem per venæ sectionem, & per aluum, & laudat euacuationẽ per vomitum, scilicet ne hęc febris conuertatur in putridam. Ad secundum dicendum est: in lassitudine in labore omni fit destillatio humorum, & præsertim a capite, quæ destillatio mittitur deinde in varias partes, in stomachum, atq; in articulos vbi fouet lassitudinẽ. vomitus duo præstat, primum euacuat ventriculum, & quicquid destillauit in ventriculum educit, alterum est, quod humores colliquatos qui petunt articulos, abducit & deflectit ab articulis. quare non absq; ratione Hippocr. in huiusmodi febre a lassitudine commendat vomitum, quemadmodum videtur etiam commendasse magnus Auic. quarta primi de vomitu agens vbi dicit: inter alia maximè conferre lassatis corporibus. Erat postremum cur Hippoc. potissimum commendet capita seu bulbos narcissi, quam quidquam aliud. & cur potissimum post coenam. Oribas. sermonem habens de ijs quæ faciunt vomitum, multa commemorat, & inter cætera inquit bulbos narcissi sine molestia vomitum ciere: cum ergo Hippoc. curaret febrem diariam ex lassitudine, opus erat vt eligeret remedium, quod sine molestia cieret vomitum; hoc facit narcissus, ergo iure alijs præfert Hippoc. Sed video dubitari ab aliquo, quia Oribas. cap. sequenti eiusdem libri paulo ante a me citati, bulbos narcissi vehementer vomitum concitare, & Paul. Aegn. referens fere eadem verba quæ refert Oribas. inquit valentissime ciere vomitus bulbos narcissi. quod si verum est, quomodo ergo potest Hippoc. bulbos narcissi commendare, quia sine molestia vomitum cient. Respondeo ad vomitum ciendum posse adhiberi bulbos narcissi varijs modis, vel cum vino, vel sine vino; si cum vino assumantur, valdissime prouocant vomitũ; & de hoc Paul Aeg. & Oribas. loquitur, sed si sine vino, quemadmodum vsurpat Hipp. a coena sine molestia cit vomitum.

li. 8. meth. c. 4.

8. coll. cap. 20.

lib. 3. cap. 42.

Τὸ μέλλοντι μαίνεσθαι τόδε προσημαίνει τὶ σημεῖον, αἷμα συλλέγεται αὐτῷ ἐπὶ τοὺς τιτθούς.

Eum qui futurus est maniacus, significat hoc signum, sanguis colligitur ipsi ad mammas.

Postrema hæc sententia libri secundi Epidemiorum habetur quoq; ab Hippocr. & explicata est elegantissimè a Celso, vbi scribit: mammæ mulieris suffusæ sanguine, furorem esse futurum testantur. Est itaq; hæc sententia cum illa sententia Aphor. ferè eadem, ve-

runta-

runtamen mihi cogitanti in duobus consideratione dignis diuersa est, quia in Aphorismis Hipp. manifestissime loquirur de mulieribus hic promiscue loquitur, non nominat neq; mulieres neq; viros. alia diuersitas est, quia Hippoc. in Aphor. inquit, si sanguis colligatur in mammis, mulieri indicat futurum esse furorem. hoc in loco contrarium dicit, scilicet, & vbi furor futurus est colligitur sanguis in mammis. adeo vt perspicuè appatet diuersam esse hanc sententiam ab illa Aphoris. Quod ad sententiam Aphoris. spectat, Gal. interpretans eam duo dicit non siue memoria prætereunda, vnum est, hanc Hippoc. sententiam esse experimento compertam nõ ratione; nam etsi in plurimis sequetetur rationem, tamen etiam aliquando imò sæpe experimentis pro ratioue vtitur. Itaq; tanti hæc facit Gal. quanti ea quæ rarione confirmata sunt ab eo. aliud est si vlla ratio adduci potest, hæc est quod quotiescunq; a sanguine feruido vapores acres & calidi feruntur ad caput, priusquam feriant caput, feruntur in mammas, atq; hæc est ratio cur maniaci futuri semper habent sanguinem collectum in mammis. Sed hæc ratio (pace Gal. dixerim) placere mihi non potest, reperio autem multo digniorem Hipppc. vt alias docui, magnus est consensus inter vterum & mammas. magnæ & amplissimæ sunt venæ per quas sanguis mittitur ab vtero ad mammas; sunt etiam aliæ venæ per quas ad mammas sanguis fertur. qui sanguis interdum conuertitur in lac interdum non potest conuerti in lac, propter eius multitudinem, sed remanet in ipsis, si remanet in ipsis & non fiat lac, incalescit, vbi incalescit sanguis, interdum etiam comburitur, atq; sic communicans incendium pectori, cui proximæ sunt mammæ, & cordi facit, vt mittat vapores acres & feruidos in cerebrum, qui deinde inducant maniam. imò hoc est necessarium. atq; cur ita facile mammæ cancris corripiantur vera ratio est sanguinis multitudo quæ rapitur ad mammas. De hac autem sententia quid dicendum? vt liberè dicam puto non fuisse castigatam ab Hippoc. aut si est castigata, est ea quæ est in Aphor. quia non est verum quod vbi futurus est furor semper sequatur collectio sanguinis in mammis, est bene verum, quod quotiescunq; colligitur sanguinis in mammis propter rationem prædictam fiat furor. Cæterum melius in Aphor. facit de mulieribus loquens, quia hoc symptoma proprium est mulieribus, fateor enim quod lib. 11. cap. 39 scribit Plin. inter omnia animalia solum hominem e maribus habere mammas, sed mammæ viri non ita sunt comparatæ quemadmodum mulieris, non enim tanta copia vasorũ fertur ad mammas viri. vnde hoc potest esse verum in mulieribus, in viris nequaquam: propterea ea sententia quæ est in Aphor. est castigatior.

Dei gratia finis est impositus huic libro in quo explicando studui auditorum auribus maximè placere, & diu noctuq; veram doctrinam Hippocraticam in medium afferre.

LAVS DEO.

INDEX

[illegible] ameth [illegible]

[illegible] ud [illegible] preceres [illegible]

[illegible] and [illegible]

INDEX
RERVM, ET VERBORVM
DITISSIMVS.

Artes

D

E

Excre

INDEX.

N

O

R

S

Vesper-

FINIS.